This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



CORNELII PAULI HOYNCK

VAN PAPENDRECHT,

ARCHIPRESBTTERI MECHLINIENSIS

ANALECTA BELGICA.

IN SEX PARTES DIVISA.

VITA

VIGLII AB AYTTA ZUICHEMI

Ab ipſo Viglio ſcripta, Ejuſque, nec non

JOACHIMI HOPPERI

ET

JOANNIS BAPTISTÆ TASSII

OPERA HISTORICA

ALIAQUE ANALECTA AD HISTORIAM SCISSI BELGII POTISSIMUM ATTINENTIA

IN SEX PARTES DIVISA.

Collegit, Digeſſit, Notiſque Illuſtravit

C. P. HOYNCK VAN PAPENDRECHT

ARCHIPRESBYTER MECHLINIENSIS.

TOMUS SECUNDUS. PARS PRIMA.



HAGÆ COMITUM,

Apud GERARDUM BLOCK.

M. D. C C. XLIII.

LENOX LIBRARY
NEW YORK

PRÆFATIO

AD

EPISTOLAS SELECTAS.

NOvem omnino volumina *epiſtolarum* manuſcripta exſtitiſſe, teſtatur inventarium alterum, cui titulus: *Papiers miſes au coffre ſigné* 17. *contenant les lucubrations de Docteur* VIGLIUS DE ZUICHEM, quod dedi *Sup. tom.* 1. *pag.* 240. Hodie in Collegio Vigliano non reperiuntur niſi octo volumina mſſ. in folio: quæ nec eadem ſunt quæ inventarium exhibet, & quæ ſunt eadem, non eodem ordine ſignata ſunt, quo notantur in inventario. Exhibeo ordinem inventarii: *Ibid. pag.* 242.

Primus liber epiſtolarum Domini Viglii Zuichemi ex exemplaribus deſcriptarum per M. Adrianum Goudanum, ab 15. *calendas Februarii* 1525. *uſque ad finem anni* 1536. Hodie ſignatur his notis: *Epiſtolæ Viglii Tomus II.* 1525—1536. Habetque paginas 404. Nomen Adriani Goudani, nec in fronte nec in calce reperias.

Secundus liber epiſtolarum ejuſdem Domini Viglii Zuichemi per eumdem M. Adrianum deſcriptarum

a 10. *die Januarii* 1537. *uſque ad finem anni* 1541. Hodie notatur his caracteribus: *Epiſtolæ Viglii Tom. III.* 1537—1541. paginas implet 328. Nec hîc Adriani Goudani nomen occurrit.

Tertius liber epiſtolarum ejuſdem Domini Viglii per eundem M. Adrianum quoque deſcriptarum a tertia die Januarii 1542. *uſque ad finem anni* 1561. Qui videtur partem conſtituiſſe præcedentis voluminis ſecundi, cùm paginarum notæ non ſint novo ordine inchoatæ, ſed continua ſerie productæ, nempe a n. 329. ad 623. Et in hujus fronte legis in membrana exteriore, ipſiſſima fere verba inventarii. Intus verò pagina prima chartacea habet hanc inſcriptionem: *Liber tertius epl̄arum Dn̄i Viglii Zuichemi &c. ab* 3ª. *die Januarii anno* 1542. *uſq. ad finem anni* 1561. *per M. Adrianum Goudanum.* In dorſo porro ſunt hæ notæ: *Epiſtolæ Viglii Tom. IV.* 1542—1561.

Quartus liber epiſtolarum Domini Viglii Zuichemi ſelectarum, & ex exemplaribus quoque deſcriptarum per Joannem Keersmaker ab anno 1560. *uſque ad finem anni* 1573. Non reperitur. Joannes ille, Viglii Bibliothecarius erat cùm in fata concederet, ut vides in Codicillo.

Liber minutarum Domini Viglii Zuichemi ad illuſtriſſimum Dominum Cardinalem Granvellanum a menſe Januario 1566. *uſque ad finem Februarii* 1576. Et hic deperditus eſt.

Liber minutarum ejuſdem Domini Viglii ad Joachimum

mum Hopperum ab Januario 1566. *uſque ad finem Martii* 1576. Hic adeſt; ſignatus in dorſo: *Epiſtolæ Viglii ad Hopperum Tom. I.* 1566—1576. Paginæ notatæ non ſunt. Habet epiſtolas 267. atque adeo triginta ac tres plures quàm Gabbemana editio, de qua in præfatione ad has ipſas epiſtolas dixi ſatis.

Literæ Domini Viglii deſcriptæ per Joannem Keersmaker ab anno 1574. *uſque ad finem anni* 1575. Et hæ deſiderantur.

Literæ ejuſdem Domini Viglii Zuichemi deſcriptæ per M. Adrianum Goudanum ſeparatim, quæ non habentur in libris epiſtolarum confuſe. Hæ quoque inventæ non ſunt.

Literæ Domini Viglii Zuichemi ad Dominum Ludovicum Schoranum præſidem Secreti Conſilii ab menſe Septembri 1542. *uſque ad nonam Septembris* 1548. *compactæ & membrana obtectæ.* Et hæ amiſſæ ſunt, quarum, uti & ad Card. Granvellanum integri decennii ſpatio ſcriptarum, magna eſt jactura, quod de rebus publicis tractent.

Quæ nobis deſint conſpicimus. Adſunt autem ex Collegii Lovanienſis archivo quatuor alia volumina mſſ. in folio, ſignata n. V. VI. VII. VIII. Unicum, & quod ſignatum eſt n. VI. intus habet hunc titulum: *Variæ litteræ D. Viglii Zuichemi ad viros eruditos ſuæ ætatis, deſcriptæ ex Minutis per Feijonem Snecanum a°.* 1560. In ſuperiore ora paginæ alia manu: *Mangotius.* Porro *Feijo Snecanus* nec in

inventario, nec teſtamento, nec demum in codicillo notus eſt. Unde ergo hæc volumina quatuor migrarunt in Collegium Viglii? Id juxta ſcio cum ignariſſimis.

Harum epiſtolarum per *Feijonem* deſcriptarum multo maxima pars continetur in voluminibus per *Adrianum Goudanum* deſcriptis, ac ſignatis n. II. III. IV. Inſeruit *Feijo* nonnullas epiſtolas virorum eruditorum ad Viglium, quas *Adrianus* non exhibet. Item epiſtolas a Viglio aliorum nomine conſcriptas, veluti nomine Epiſcopi ac principis Monaſterienſis ad Paulum Papam III. & Reginæ Mariæ Hungariæ nomine ad Julium PP. III. variaſque alias. *Adrianus* temporis rationem habuit, & ejus ordine ſervato deſcripſit, *Feijo* nullum ſervavit. Unde forte dicendum ſit *Adrianum* deſcripſiſſe poſt *Feijonem*, quod mihi videre videor ex vol. V. ubi pag. 29. ad epiſtolam *Caſparis Urſini Velii* ad *Viglium* datam ex Œniponte 7. Februarii 1532. hæc in margine lego aliâ manu adjecta: *Omittatur & interſeratur literis doctorum virorum, & ſi quas ſimiles alii vel ad Viglium vel ad alios ſcripſerunt.*

Ceterum ex his quatuor voluminibus ſelegimus nonnullas epiſtolas, quæ in prioribus illis per *Adrianum Goudanum* deſcriptis inventæ non ſunt.

Quid utilitatis epiſtolis ſuis ineſſe Viglius cenſuerit, in teſtamento ſuo prodidit, ubi n. 12. ita loquitur: *Libros familiarium epiſtolarum, ceteraſque mi-*

minutas litterarum mearum latinarum, juxta inventarium deſuper confectum, faſciculum quoque litterarum mearum latinarum ad Ludovicum Schoranum præſidem Secreti Conſilii, prædeceſſorem meum, nec non exempla quoque litterarum latinarum ad illuſtriſſimum Dominum Cardinalem Granvellanum, & Dominum Joachimum Hopperum (piæ memoriæ) ſcriptarum, unà cum epiſtolis latinis doctorum virorum ad me ſcriptis, ſelectiſque, lego eidem Collegio meo apud Lovanium ſub cuſtodia præſidis ibidem, ex quibus alumni mei, ſtudia actioneſque privatas & publicas, vitæque totius meæ curſum percipere valebunt.

Supereſt, ut quid mihi conſilii fuerit, paucis dicam. Omnes epiſtolas familiares ad diverſos ſcriptas, & per *Adrianum Goudanum* in ordinem redactas, edendas eſſe cenſuerunt viri cùm ſapientes, tum docti, qui illas ob ſtyli elegantiam variamque eruditionem perplacere atque delectationi eſſe arbitrati ſunt. Sed interceſſit typographus. Quare non damus niſi ſelectas aliquot: non quòd vereamur reliquas lucem haud mereri, ſed, quòd ajunt, ſeculum noſtrum jam ejuſmodi merces faſtidire. Quid facias delicatulis? Oportet noſſe ſapores, ſed magis cibos. De illis, librorum propôlæ ex auditu nonnumquam rectè, de his ut plurimùm judicant male. Cedendum tamen fuit. Sed ne reliquæ ultimum in Collegio Lovanienſi conflictum cum tineis truci-

CORNELII PAULI HOYNCK

VAN PAPENDRECHT,

ARCHIPRESBYTERI MECHLINIENSIS

ANALECTA BELGICA.

IN SEX PARTES DIVISA.

INDEX.

Claudio Peutingero. XVIII.
Conrado Bruno. CXLI.
Cornelio Myeropio. IX.
Cornelio Sceppero. CXXXVIII.
Cornelio Suys CLX.

D.

DOthiæ Wyardæ. LII.
Dux Sabaudiæ Collegio Juriſconſultorum Lovanii. CLXVIII.

E.

ENgelberto Cancellario Brabantiæ. CXLIX.
Eraſmo Roterodamo. III. IV. VI. VII. XIII. XXII. XXV. XXX. XXXIII. XXXVI. XLIV. XLV. XLIX. L. LI. LXI.
Eraſmus Roterodamus Viglio. XLVIII.

F.

FLorentio Grebovallio. LV. LXVI. LXXXI.
Franc. Card. Alciatus Viglio. CLXXII.
Franciſco Craneveldio. LX.
Franc. Epiſc. Monaſt. Paulo III. CXXXIX.
Franciſco Rupilio. XII. LXIII.
Frederico Schenk a Tautenberg. XLVI.
Fredericus Archiep. Traj. Viglio & Duci Albano. CLXXIII.

INDEX.

G.

GEorgio Cornbechio. LVI.
Georgio Fuggero. LXXVI.
Georgio Hermanno. XIV. LXXII. LXXXII. XCII. XCVI. CV. CXII. CXVI.
Georgio Sigiſmundo Seldio. CI.
Gerardo Rymio. CLXVII.
Gerardo a Veltwyck. CXXIX. CXXXI.

H.

HAdriano Mario. LXXVIII. LXXXIX. CLIV.
Hayoni Hermanno. LXIV. LXXXIV.
Hectori Hoxvirio. LXII. CXIII. CXIV.
Henrico Falcomontano. CXVII.
Henrico Rechlingero. LIX. LXXXVIII.
Hermanno Letmatio. CLXII.
Hieronymo Baldungo. XXVI.
Hieron. Frobenio & Nic. Epiſcopio. CXXVI.
Hippolyto Perſyno. CLV. CLVI.

I.

JAcobo Duxino. XI. XXVII.
Jacobo Horſtio Can Colon. CLXV.
Jacobo Omphalio. CIII.
Idzardo. CLXX.
Joachimo Hoppero. CLXIV.

INDEX.

Joannes in Garten Bernardo Lachamer. CXV.
Joanni Cholero. XXXVIII. XLI. LXXIII. LXXIV. LXXXIII. LXXXVI.
Joanni Chryſoſtomo Zancho. LXXV.
Joanni Ferenbergero. LXV.
Joanni Georgio Hermanno. LIII. XCIII. XCVII. CIX.
Joanni Groppero. CXLIV.
Joanni Hervagio. LXVIII. CX.
Joanni Jacobo Fuggero. LXXVII. CIV. CVI. CXIX.
Joanni Mepſchio. CLI.
Joanni Richebè. CLXIII.
Joanni Secundo. XXVIII.
Joanni Sinapio. CXXXIV.
Joanni Bapt. Palmæ Alexandrino. X.
Juſto Velſio. CLII.

K.

KEmponi a Martena. LVII. CII.

L.

LEonardo ab Egkh. CXI.
Leonardo Langemantel. XXXIX.
Ludovico Carino. XC.
Ludovico a Prato. CXXVIII.
Ludovico a Schora. CXL. CXLV. CXLVI.

INDEX.

M.

MAtthiæ Heldt. LIV. LXXX. LXXXVII.
F. Michaeli ad S. Sulpitium. XXXV.

N.

NIcolao Everardo. CXXIII.
Nicolao Nicolai Grudio. CXXVII.
Nicolao Perenotto. CXXI. CXLIII.

O.

OTho Card. Auguſtanus Viglio. CLXXI. CLXXV.

P.

PEtro Bacherio. CLXXXI.
Petro Bauſano. XCI. XCIV. C.
Petro Crabbe. CLVIII.
Petro Nannio. CLXVI.
Philippo Melanchtoni. CXVIII.
Philippo Nigri. CXXV.

R.

RUardo Tappero. CLIX. CLXXX.

S.

SEbaſtiano Truchſes. CXXIV.
Serapioni Hanya. LXVII.
Sigiſmundo Gelenio. CXXXVII.

Simoni Piſtorio CLIII.
Siukoni a Mellama. V.
Stephano Montano. XCV. CXXXII.

T.

TZalingo Wyardæ. VIII.

U.

UDalricho Langemantel. LVIII.
Udalricho Zaſio. XXXII.
Udalrichus Zazius Viglio. XXXI.

V.

VUlmaro Prof. Lovan. CLXIX.

W.

WIlhelmo a Trautmonſdorf. XLIII.

VIGLII AB AYTTA ZUICHEMI EPISTOLÆ SELECTÆ AD DIVERSOS.

Ex MSS. codicibus Collegii Vigliani Lovanii.

Adjectis ſummariis & notis.

EPISTO-

EPISTOLA PRIMA.

Ex Tomo II. fol. 1.

BERNARDO BUCHONI (1).

Patruo ſuo abblanditur. Significat emptum a ſe Ciceronem, in cujus laudes ampliſſimè diſcurrit, etiam ex S. Auguſtini teſtimonio. Pecunias in libri exolationem, & Aymarum de Leg. XII. Tab. poſcit. 1525.

SEculum jam propemodum, honorande patrue, eſſe mihi videtur, quod nulla a te epiſtola venit; quamquam iſtud ſeculum vixdum eſt trimeſtre. Sed facit amor meus erga te, ut quodvis momentum, quo nihil a te nobis adfertur, annus videatur. Tantum tuas jucundiſſimas, doctiſſimas, ac ſanctiſſimas amo litteras. Quid enim non jucundum quod a te? quid non doctum quod a tanto viro, qui totam pene ætatem in litteris contrivit? quid non ſanctum quod a tali patruo proficiſcitur? Verum cauſam ſilentii tui ipſe facilè conjicio, quæ etiam prohibuit, ne noſtræ litteræ ſæpius ad te pervenirent. Nam hoc tempore aut frigus tabellarios proficiſci vetat, aut impedimento eſt pluvia, aut obſiſtunt venti nimium acres & vehementes. Quare non eſt cur mirer te nihil ſcripſiſſe: eſt tamen cur litteras tuas expectem. Auſus ſum ante aliquot dies, humaniſſime Patrue, aliquid te inconſulto tentare, verum non ſine ſuaſu optimi & doctiſſimi mei præceptoris *Jacobi* (2), quem in omnibus meis negotiis conſulem (3) mihi adhibeo. Conſulturus etiam te eram, ſi morari in aggrediunda re licuiſſet; habebam enim ea in re multos rivales, & ſi oblatam occaſionem ne-

(1) Vide Vitam Viglii Num. VI. & notas ad eumd.
(2) (*Jacobus Volcardus*) de quo ad N. XIII. Vitæ Viglii.
(3) *Conſul*, pro eo qui conſilium dat. Haud equidem rectè. Quod hîc *Viglius* junior uſurpavit, non occurrit alibi.

neglexiſſem, ſpreta pœnitentiam mihi reliquiſſet. Quare admonitus ſapientis Apophthegmate: *noſce tempus*, maturavi conſilium ut potui citiſſimè. Nunc tu quid egerim æquis precor auribus cognoſce. Oblata mihi nuper ſunt omnia *Ciceronis* opera elegantibus typis excuſa concinnèque ligata: offerebantur autem a quodam, qui abiens, neſcio an in Italiam an Franciam, libros ſuos hic relinquere coactus eſt. Emi ego ea opera bortante & ſuadente ſimul Magiſtro *Jacobo*, exiguo profectò precio. *Cicero* autem quomodo non adfert utilitatem maximam, quem omnes judicant acutiſſimè, doctiſſimè & diviniſſimè ſcripſiſſe? ex quo etiam authore feliciùs quis diſcere poteſt ſive eloquentiam ſive ſanctimoniam. Hic enim eſt ille *Cicero*, qui in foro, in rebus judicialibus, in orando neque ſuperiorem unquam habuit, neque parem. In jure civili non parum eruditus, quippe a *Q. Mutio Scævola* inſtitutus, ut in vita *Ciceronis* docet *Plutarchus*. Cujus etiam *Scævolæ* plurimas in Digeſtis habemus leges, doctas profecto & ſapientiſſimi pectoris inſignem redolentes prudentiam. Sed quid *Ciceronis* meditor præconium apud eum cui vel maximè *Cicero* eſt cordi? Spero jam non modo non expoſtulaturum te mecum, quod id auſus ſim facere priuſquam tibi indicaſſem; verùm etiam non invitum nummos, quibus eos libros perſolvam, contributurum. Studemus diligenter juri, ad quod intelligendum non paulùm etiam nos juvabit *Ciceronis* lectio. Cui enim Rhetorica ipſius majori poſſunt eſſe uſui, quam juris perito? quam doctè illic confirmare noſtram cauſam, adverſarii item refutare ac refringere, docet? quæ ipſa in jure non minimum locum obtinent, in cauſis agendis maximum. Tum etiam Topica ipſius cùm omnibus ſint utiliſſima, tum a nullis propemodum, exceptis fortè jure-conſultis, intelliguntur. *Cicero* enim vir ut multarum magnarumque artium, ita juris etiam peritiſſimus, habitâ *Trebatii* ratione ad quem ſcribebat, nam ipſe inter primos jus profitebatur, omnia ex jure civili exempla deprompſit. Deinde in tota parte oratoria in omnibus ſuis orationibus, quas vel apud judicum tribunalia vel apud populum habuit, nonne multa ex jure loca adferuntur, quæ ipſe & copioſiſſimè & eruditiſſimè explicat? Sed tranſeamus ad philoſophica laboris ſui monumenta. Ac primò occurrit mihi

mihi graviſſimi viri *D. Aurelii Auguſtini de Ciceronis* ſapienti ſanctimonia graviſſimum teſtimonium. Quod nos aliquando apud *Angelum Politianum* legere contigit. Qui *Auguſtinus* quod affectum mutaverit, quod ad Deum preces & vota converterit, quod deſideria non eadem quæ primò habuerit, quod omnis ei vana ſpes evilueric, quod immortalitatem ſapientiæ quæſierit, æſtu cordis incredibili, poſtremò quod ſurgere jam cœperit, & ad Deum reverteretur, cuncta hæc *Ciceronis* munus fatetur, unique prorſus illius libro, qui vocatur *Hortenſius*, omnem ſuæ ſalutis occaſionem retulit acceptam. Non enim ad acuendam linguam liber [inquit ſanctiſſimus vir *Auguſtinus* (4)] ille offerebatur, nec locutionem mihi, ſed quod loquebatur, perſuaſerat. Officiis autem Tuſculanis & Academicis quæſtionibus quid ſanctius? Libro de finibus bonorum & malorum quid magis philoſophicum? Epiſtolis autem quid ad imitandum utilius, quid ad legendum ſuavius? In reliquis denique omnibus libris, quantam licet conſpicere ſapientiam, quàm graves ſententias eloquentiæ ſale conditas? quantam in ipſo homine ſanctimoniam & integritatem vitæ, morumque legere poſſumus? valdeque mihi nunc probatur illud *Quintiliani:* Ille ſciat ſe profeciſſe cui Cicero valde placere cœperit. Sed neſcio quo me inſcium rapit ſermo. Recepti canendum eſt. Reliquum jamque eſt humaniſſime D. Patrue, ut ego diligenti ſtudio ejus libros revolvam; tuæ autem liberalitatis erit contribuere pecuniam in libri exolutionem. Scripſi nuper ad te oroque iterum, ut mihi *Aymarum* tuum (5) de Legibus XII. Tabularum, quem abeunti mihi oſtendebas, mittas. Nulla nobis neceſſaria ſunt; curat enim tua humanitas ſedulo, ne *Viglio* aliqua res deſit. Vale optime D. Patrue. *Lovanii* 15. Calend. Februarii anno 1525.

(4) Confeſſ. lib. 3. c. 4.
(5) *Aymari Rivallii* Hiſtoria Juris Civilis, ſive in XII. Tabularum leges communes. De qua editione agatur, non liquet. Ceterum edita fuit Moguntiæ an. 1539. in 8. & in Tractatu Tractatuum ſive Oceano juris, exſtat tom. 1. pag. 3.

Ex Tomo VI. fol. 202. vſo.

EPISTOLA II.

BERNARDO BUCHONI PATRUO.

1528. *Suum erga patruum amorem teſtatur, cujus in ſe merita commemorat, nobiles prodens ſenſus, adoleſcens vix annorum viginti. De Hayone Camminga, ac de ſtudiis ſuis, libriſque comparandis.*

DIligenter ſane; chariſſime Patrue; nuper curaſti, nequid me iſta belli calamitas turbaret. Magis tamen ego nunc ſollicitus ſum, ut viciſſim, me id ſcire cognoſcas. Cùm enim utrumque inopinata hoſtium fraus dejeciſſet, me, nequid tibi gravius accidiſſet, te, ne quid ego triſtius audiſſem, quod ſtudiorum meorum tranquillitatem læderet: haud temerè nunc me cura angit, ut te iſtius ſolatii participem faciam. Adeò quippe amantium mutua quædam & lætitiæ & triſtitiæ communicatio eſt: ubi is ſuperior creditur, qui magis ob adverſitatem amici dolet, vel ob felicitatem gaudet. Sed jure conſultorum noſtrorum dum expendo rationes, video hos neſcio quid amplius parentum, quam liberorum affectibus conceſſiſſe. Horum quidem pietatem agnoſcunt: illis tamen naturalis charitatis erga filios vinculis aſtrictis multo altiorem in amore gradum tribuunt. His ipſi ſucceſſiones & pleraque alia expendunt: ac propter commune parentum votum, non ſic parentibus liberorum, ut liberis parentum hæreditatem deberi aſſerunt. Quorum quidem ſacroſanctam authoritatem non attentabo: ut tamen quod ſentio exprimam, non idem juris in cognatis recipio. Nam hîc me & ratio & proprius affectus diſſentire cogit. Non autem objiciam nunc Ciconiarias illas leges (1) quibus brutorum exemplo officii ſui monentur liberi, ut parentibus infantiæ vices rependant. Non excuſabo quoſdam, tardius aut nun-

(1) *Ciconiarias leges*] Dicitur ciconia alere ſuos parentes, cùm ætate graves, ſeipſas alere non valent, unde hæc avis gratitudinis ſymbolum eſt. *V. Dict. de Trevoux.*

nunquam promerentibus gratiam referentes: ſed quorumdam hîc cupio ſententiam refellere. Qui quos natura in nativitate hos ipſi in amore quoque poſteriores ubique ponunt: ut nos prope pudore afficiant, qui non beneficiis tantummodo, ſed & amicitia ab majoribus vincimur. Patruum enim te mihi natura haudquaquam hîc noverca dedit: id enim ego inprimis feliciter mihi contigiſſe puto. Huic litteras, huic multarum rerum peritiam, regionum cognitionem, magnorum virorum amicitias, me ipſum denique debeo. Vincis tu tamen naturam, quod me tam enixe amplecteris. Accuſantur parentes qui non æquali amore liberos fovent: quis unquam a te quæſo, Prudentiſſime Patrue, majora erga cognatos officia deſideravit? Omnes ſe tibi multum debere fatentur: tantum abeſt, ut quid in tua humanitate requiratur. Quis verò non miratur etiam, quod *Viglium* æqualiter tibi cum aliis conjunctum (quod ad agnationis ordinem ſpectat certe primum, ſed id lucis, non naturæ eſt) quis verò non miratur, quod *Viglium* tantum amas, tantum curas, ut etiam parentes meos meritò pudere debeat, qui in amoris erga me certamine a te vincuntur. Hoc cum cogito, quo me chariorem habes, eo te viciſſim vehementius ardeo. Perpendo enim quantum vel ea ratione Patruum redamare debeam, quod me delegerit, quem diligeret, cùm nullo naturæ privilegio cæteris præferrer. Quid taceam, quod me rudem non modò præceptoribus optimis erudiendum tradiderit, ſed multo etiam Patrum ipſorum curam vincens, exactiſſima inſtitutione formarit. Hæc cùm examino beneficia: patiarne me ab eodem in amore vinci? An mihi id iſti perſuadebunt, ut ego minus Patruum meum amem, quam ille me? Deum immortalem quanta mihi cura fuit, quæ diligentia, quæ ſollicitudo, ut gaudium meum tibi indicarem. Ipſo ſtatim die quo tuas litteras acceperam, reſcribebam, gratulabarque Patruum, animæ dimidium meæ, ex hoſtili furore ereptum eſſe. Scribo iterum, ne ſi nuperrimæ litteræ interciderint, diutius uterque noſtrum mutuo motu crucietur. Pecuniam autem nuper a te miſſam adhuc expecto. Mercator autem qui eam adferre debuit, nondum advenit. Faciam te ſtatim certiorem, ubi audiero quo loco ſit, & an eam accepturus ſim. Illud etiam ſcire de-

bes, Calendis Maiis, neſcio quo fato, *Heijnem Cammingæ* juvenem nobilem huc adveniſſe. Is cum longa peregrinatione per Germaniam tandem Dolam attigiſſet, vix a nobis retineri potuit, ob ſolitudinem hujus oppidi, & Scholaſticorum non ita magnum numerum, ſi cum Lovanio conferre lubet, quæ tamen me & delectant & juvant. Magis enim inter paucos virtus exurgit, cùm noſcere queamus cum quibus nobis de ſtudio certamen eſt. Me autem unicum cubiculum capit, idque non adeo magnum: pleriſque etiam Europa nimis parva eſt. Perſuaſimus tamen tandem: & quamvis fatigatus eſſet, ſatiari tamen quotidianis laboribus non potuit. Sic ſane fieri plerumque ſolet, ut qui ſemel e nido evolarint, nullo plane loco conſiſtere queant Tantum habet momenti & laborum conſuetudo, & perpetua regionum non ſine delectatione mutatio: ut videre nihil diu poſſis, aliud atque aliud ſemper velis. Deterruimus poſtremò hominem, & plane ut hic nobiſcum maneret, coegimus. Verebamur enim ne alibi in retia incideret imprudens & incautus, magno amicorum, ſed majore ſuo malo: nec alio ire poterat niſi redire maluiſſet. Ex Italia enim armis & fame excludimur: Gallis hoſtes ſumus: in Germania non ſummum modo corporis diſcrimen eſt, quid enim in inteſtino illo diſſidio tutum eſſe queat? ſed animus etiam graviſſime periclitatur, ne ſcilicet horrendarum opinionum & hæreſeωn procellis obruatur: in Burgundia cum jucundum ſit vivere, tum etiam adhuc tutum. Quæſo te, humaniſſime Patrue, ut ejus amicis ipſum hîc adeſſe indices. Ego & communis Patriæ, & clariſſimæ ejus familiæ, tibi ſemper amicitia conjunctæ cauſa, lubens quidquid potero in ejus gratiam ſum facturus. Quod ad mea ſtudia attinet, nihil dubites quin tuo judicio & expectationi ſim reſponſurus. Expecto quotidie tuam & voluntatem & liberalitatem, illam in emendis, hanc in exolvendis libris. Noli diutius bonos conatus remorari, quos ſemper promovere ſoles. Remoraberis autem, ſi longius conſilium de his rebus proteles. Augebis autem mirum in modum, ſi benigne in librorum comparationem pretium conferas. Vale Chariſſime Patrue. Dolæ. Anno 1528. nono Maii.

EPI-

EPISTOLA III.

ERASMO ROTERODAMO.

Ex Tomo II. fol. 6.

Eraſmum profuſiſſime & forte immodicè demulcet, ejuſque amicitiam expoſcit, Bernardi Buchonis decani Hagæ-Comitis, patrùi ſui nuper mortui, hortatu. 1529.

INter tot pulcherrimas virtutes, doctiſſime *Eraſme*, quæ vel ſingulæ immortalitatem tibi parere poſſent, maximè incomparabilem tuam eruditionem, & expoſitam omnibus humanitatem admiramur. Illa effecit, ut totus orbis latinas literas veluti captivas poſtliminio receperit, hæc quotidiano nos deſiderio titillat, atque adeo excitat, ut quamvis humi ſerpamus; atque ad tuæ doctrinæ majeſtatem velut ad ſolis radios caligemus, optare tamen, ut in notitiam tuam recipiamur, audeamus. Nec potes, vir humaniſſime, hoc noſtrum deſiderium vitio nobis ducere. Etenim cum tua humanitate tam multos delectes atque ornes, cur non & nos tuam benevolentiam expetamus? Cum literarum Studioſi ſimus, cur te earum parentem non colamus? Cur juvenes tam venerandam ſenectutem pio aliquo non demereamur obſequio? Cur denique & iſtius noſtri erga te animi ſignificationem ingratam tibi fore credamus? Ego ſane, Venerabilis *Eraſme*, ita ſtatim a pueris erga te ſum affectus, ut non alius mihi vehementior ad ſtudia ſtimulus fuerit, quam ut ſic proficerem, quo tuæ me inſinuari benevolentiæ poſſe ſperarem. Quod etſi nondum ſum aſſecutus, tanto tamen tui deſiderio quotidie incendor, tantaque mihi in tua humanitate poſita ſpes eſt, ut nec meo quidem propoſito ab temerario iſto ad te ſcribendi auſu prohiberi quiverim. Vel *Poliphemo* potius huic aſſcribe, qui ſic te mihi prædicavit, ut quamlibet paganus ad ſacra Muſarum accedere audeam. Vel ſi vis dona id *Carolo Sucqueto* juveni hoc tuo erga eum amore digno, qui meam etiam impudentiam ſua exhortatione auxit. Saltem hunc unicum fructum habeam perpetui mei erga te amoris, ut ſemel ineptè ad te ſcribendi venia mihi detur.

Inter Erasmianas Epiſt. MXIII. ad quam reſpondit per Epiſt. MXX.

Ma-

Maluiſſem ex præſenti tecum colloquio aliqua notitiæ ſemina jeciſſe, antequam ad ſcribendum abſenti accederem. Sed nunc voluntatem meam remoratur Baſileenſis tumultus: aliquando tamen me beatum putabo, ſi te videre potero. Quod cum ipſe jam diu deſiderarim, tum me patruus quidam meus ſæpe hortatus eſt. Is fuit *Bernardus Bucho* Decanus in Haga-Comitis, cujus benignitas ſtudia mea ſemper aluit. Nuper vero ex vivis diſcedens triſtiſſimo mortis ſuæ nuncio me afecit, liberaliter tamen ſtudiorum meorum impendiis teſtamento proſpexit. Vellem te intelligere quantùm is te amarit, quam fideliter contra inſanos quoſdam crabrones defenderit, nam & ex ejus nomine de tua benignitate majorem ſpem conciperem. Tamen eam tu erga omnes comitatem præ te fers, ut non aliorum adminiculo opus ſit, ſed tuapte natura ad redamandos homines tui ſtudioſos admonearis impellariſque. Confido itaque, eruditiſſime *Eraſme*, eſſe te æquo animo ſuſcepturum hanc meam epiſtolam, quâ compulſi ſumus, quem erga te gerimus affectum expromere. Nec diutius me potui (ut ex animo loquar) continere, quin quantopere te amarem, epiſtolâ teſtarer, cum ex tuis ſchedis, quas multi Phileraſmii cum *Carolo* legimus, nebulonis iſtius H. E. improbam nequitiam cognoſcerem (1). Sæpe pro te contra N. ſtetimus, qui ſi noſtris obtemperare conſiliis voluiſſet, in viam rediens ſpontaneam hanc infamiam evitare potuiſſet. Quando ſic vult, accedat tuo catalogo, in quo hujusmodi portenta poſteris es nota redditurus. Oro autem te, doctiſſime *Eraſme*, ne ex hujusmodi belluarum inſana virulentia de candidiſſimo noſtro erga te pectore diffidas. Quicumque tibi male vult, eum & nos hoſtem noſtrum eſſe judicamus (2). Nunc id ſcribo, ut epiſtolam tibi extorqueam, tantum enim nunquam ſperare ſum auſus, ſed ut me profuſiſſimè te amare intelligas, paratumque eſſe ut pro virili

(1) *Sæpe pro te contra* Lu. Ca. *ſtetimus, qui ſi noſtris obtemperare conſiliis voluiſſet, in viam rediens ſpontaneam hanc miſeriam & infamiam evitare potuiſſet. Potiatur itaque* Lucii Catilinæ *exitu; & quando ſic vult* &c. Ita inter opera Eraſmi edit. Lugd. Bat. an. 1703. Nos ſequimur MS. noſtrum.

(2) *Nec id nunc ſcribo, ut* &c. Ita in ead. edit. Et rectius.

rili ab utiliſſima ſtudiorum tuorum quiete, improbiſſimorum nebulonum furorem propellam. Vale unicum orbis noſtri decus. Ex *Dola.* Ad 15. Cal. Mart. 1529.

EPISTOLA IV.

Ex Tomo II. fol. 7.

ERASMO ROTERODAMO.

De primæ ad Eraſmum epiſtolæ ſucceſſu lætatur, a quo ad rerum communionem fuit invitatus. Profitetur ſe literario ſtudio gloriam quærere velle. Eraſmi adverſariis male vult, de amicis gaudet. 1529.

ETſi non mediocri temeritatis meæ pœnitentiâ afficiebar, qui ad te litteratorum omnium principem literas meas ignotus dare auſus fuerim, magnam tamen contra nunc ex eventu (qui longè meam expectationem ſuperat) voluptatem capio. Nec mihi potuit quicquam jucundius accidere, quam quod illæ literæ tam ineptæ gratiam tamen aliquam apud te invenerint. Jam certè quærebam qui impudentiæ meæ culpam apud te deprecarentur; & ipſe te ſic æquum benignumque offers, ut quod ego excuſare voluerim, tu non modo in meliorem acceperis partem, ſed laudi etiam aſſcripſeris. Cum tu vero adeo benignus ſis peccati mei cenſor, vix mihi conſto, aut qua ratione viciſſim tuæ humanitati reſpondere debeam, ſcio. Illud vero quod ex veteri amicitiæ lege ad rerum communionem abs te invitor, pudore ac verecundia denuo me afficit, dum tam largam mihi fidem tuæ erga me benevolentiæ facere dignaris. Impudentiſſimus autem ſim ſi ultronei tui beneficii alium ſponſorem exegero. Nec mihi ſane iſthoc pacto quicquam reliqui facis, quo ego tuæ in me benevolentiæ ſatisfacere poſſe credam. Pudore etenim haud levi afficior, cum pro tam grandi beneficio tam tenuem referendæ gratiæ facultatem ſupereſſe mihi perſpicio. Quod ſi tamen fortuna animo reſponderet, & quantum vellem poſſem quoque, re ipſa de-

clarārem, quanti *Eraſmum* faciam. Porro patrui mei *Buchonis*, cui tecum olim non ingrata conſuetudo interceſſit, eadem exhortatio fuit, ut litterario ſtudio gloriam aliquam quærere conniterer. Idipſum vero quanta alacritate a te audierim, dici non poteſt. Non deſiſtam autem, donec utriuſque voto reſpondero. Sed quid quæſo, Ornithoplutuſne ille tuus ſuſpendio proximus eſt? Sic tollantur quotquot ſimili furia tui animi tranquilitatem infeſtant. Nec alter ille vivere diu poteſt, cum præter corporis morbum mens quoque illi non ſatis ſana ſit. Cogita autem te hujusmodi monſtris domandis in cælum ire, nominiſque tui gloriam illuſtriorem reddi. Quin & Herculis virtus incognita manſiſſet, niſi tot ærumnis exercitata fuiſſet. *Hayonis* noſtri majorem in modum felicitati gratulor, cui quotidiana conſuetudine tua frui contigit. Ex animo autem precor, ut quam diutiſſimè diligentiſſimeque omni officio obſequioque eam tueatur. Habet autem eam tui amor energiam, ut in plures συμφιλῦντας transfundi cupiat, unde & nos, ubi tanto a te amoris amplexu ſuſcepti ſumus, nobis ipſis non ſatisfacimus, niſi plurimos nobiscum in ejus communionem trahamus. Vale. *Dolæ*. 23. Martii 1529.

Ex Tomo II. fol. 8.

EPISTOLA V.

SIUKONI A MELLAMA.

1529. *Avinione non ſubſtitit ob peſtem, & quòd Alciatus inde Biturigas conceſſiſſet. Valentiam ſe contulit, doctoralia ibi inſignia, ubi minimum impenditur, ſuſcepturus; pecuniam ſibi mitti, & literarum commercium, poſtulat.*

SIgnificaram tibi, mi *Siuko*, noviſſimis literis meis, paratum me ut Avinionem irem. Nec mutavi conſilium: fui enim Avinione, ſed ut ſæpe Dolæ audiviſti, amœna magis ibi quàm ſalubris eſt habitatio. Quod cùm ipſe cognoſcere mallem quàm credere, ubi Avinionem veniſſem, peſtilentia jam

jam inchoantis metu conterritus, cœpi mecum de abeundo consilium inire. Alia etiam discedendi causa erat, quod *Andreas Alciatus*, cujus famâ excitatus potissimùm eò me contuleram, inde discederet, ac magno conductus salario, apud Bitnrigas nunc profiteatur. Quam ob rem ego in vicinam Academiam Valentiam me contuli, ac ibi statui parentum commilitonum meorum voluntatem expectare, sub hyemen fortassis ibidem Doctoralia insignia suscepturus. Nam minimum hoc loco impendisur: & *Philippi Decii* (1) nomine, qui hîc haud ita pridem professus fuit, celebre adhuc hoc Gymnasium habetur. Unum restat, ut pecunia in eam rem mihi mittatur. Porro cognoscere desidero qualis tu sis orator, & quomodo patri persuaseris, ut centum francos, quos tam justè ab eo prioribus litteris petii, subministret. Matura autem quæso ut eam pecuniam citissimè acci-

(1) *Philippi Decii*] de quo aliquid dixi ad Vitam *Viglii* N. XVI. Videndus *Baylius in diction. Verbo*: *Decius*. *Sweertius in sel. orb: delic.* adfert ejus epitaphium inter Pisana: „ *Phi-* „ *lippus Decius*, sive de *Dexio* Mediolanensis J. C. celebri fa- „ ma notissimus cùm primum locum studii in jure Canonico „ & Civili tenuisset, Pisis, Senis, Florentiæ, Paduæ, Papiæ, „ & demum ultra montes in Gallia, revocatus in Italiam ab „ excelsa Florentinorum Republic. posteaquam stipendium „ 1500. aureorum in auro pro lectura consecutus fuisset; de „ morte cogitans, hoc sepulcrum sibi fabricari curavit, ne „ posteris crederet. "

Janus Vitalis in hanc inscriptionem ita:
„ Dum curat *Decius* sibi sepulchrum
„ Clarum marmore ponere eleganti,
„ Inscripsit titulos ineruditos,
„ Ut risum magis excitare possint,
„ Quam laudare hominem undecumque clarum.
„ Quod si non sibi cultius sepulchrum
„ Quam doctos titulos & elegantes
„ Curasset, modò mollius jaceret.

Hanc non addidi, cùm scriberem ad Vitam *Viglii* epitaphium superius, quod serius eam reperi in ejusdem *Sweertii epitaphiis loco-seriis pag.* 219. *Edit. Colon. anni* 1623.

accipiam: ne quid ſtudia mea inde remoræ accipiant. Superioribus diebus ſcripſi ut ad *D. Cornelium* (2) opera *M. Vincentii* (3) mitteretis. Quod ſi Dolæ is adhuc hærebit facile eam ſum accepturus. Reliquam meam pecuniam, quæ ex Patrui teſtamento accrevit, ſpero fideliter a *D. Upkone* (4) conſervari. Veſtes, libros, annulos & ſi quid præterea eſt, ſi is quoque cuſtodiat, puto in tuto fore. Tu tamen de iſtis, & reliquis negotiis aliquando ad me ſcribe. Ex Friſia ne literulam adhuc, poſtquam eò rediiſti, a te recepi. Cuperem ut aliquando hanc admirationem mihi adimeres, & tacere deſineres. Omne præteritum ſilentium condonabo; quicquid ſuſcepi ſtomachi, ponam. Chariſſimum te pergam habere, ſi mihi de omnibus rebus meis prolixiſſimè ſcribes. Scribe quæſo. Et ſi non potes expoſtulatione mea flecti, ſaltem tam blandis precibus commovearis. Quos aliis literis ſalvere jubebam, rurſus velim ſalutes. Bene vale. Valentiæ. Pridie Calend. Maii 1529.

Ex Tomo V. fol. 141.

EPISTOLA VI.

ERASMO ROTERODAMO.

1529. *Cur relictâ Dolâ, Avenionem primùm, tum Valentiam, ac demum Biturigas conceſſerit. Eraſmi videndi deſiderio tenetur.*

VEl ob eam cauſam, *Eraſme* Doctiſſme, Dolam illubentius reliqui, quod ibi propter tam exiguum, quo a te aberam, loci intervallum, aliquando me occaſionem inventurum ſperabam, ut deſideratiſſimo tui conſpectu fruerer. Sed neſcio quomodo fatum meum & amicorum conſilia voto huic adverſentur. Nam Dolæ cùm adhuc agerem, ſtudioſorum quorumdam juvenum precibus, operam qualemqualem meam in

(2) *D. Cornelium*] a Mierop.
(3) *M. Vincentii*] magni theſaurarii. V. ad Vitam N. LXII.
(4) *D. Upkone*] a Burmania Senatore Friſiæ.

in tradendis Jurisprudentiæ rudimentis, requirentibus tandem assensi. Sed audaciæ istius me postea non semel puduit, pœnituitque. Repugnat enim adhuc ætas, cui discere magis quàm docere conveniebat: præsertim cùm ex Patrui mei munificentia, parentumque liberalitate non desit, unde citra docendi quæstum, meo (quod dicitur) succo vivere, Litterisque libere vacare possem. Attamen gravi imperiosaque cohortatione, amici quidam non indocti eò impulerunt. Ad hæc ita obnixe Adolescentes ipsi a me contenderunt, ut non quid ingenii mei imbecillitas ferret, sed quod ipsi vellent, suscipere compellerer. Ubi igitur quod desiderabant a me impetrassent, porro etiam persuaserunt, ut Avinionem unà cum ipsis proficiscerer, *Andream Alciatum*, primi inter Juris Consultos nominis Professorem audiendi gratia. Sic nescio quomodo sperata diu invisendi conspiciendique tui occasio subtracta est. Adeo tamen adhuc vetus illa cupiditas pectori meo inhæret, ut quantum spei decessit, tantum ei desiderio quotidie accrescat. Nec illam ex animo meo deponere possum: Deum precans, ut te diu nobis servet superstitem, ut etsi serius, aliquando tamen hujusce voti compos reddar. Lugdunum ubi veni, accepi a *Paulo Cerrato*, viro cum primis docto & humano, *Alciatum* jam Avinioni valedixisse, & amplissimo honorario ab Regina Navarræ, sorore Regis Francorum, ad Biturigas esse evocatum, & in ea Academia magno salario esse conductum. Hi verò qui me eo pertraxerant, etsi magno desiderio *Alciatum* eò sequi cupiebant, parentum tamen obsecuti mandatis, & prius secuti propositum, tutiùs nos, bello inter Cæsarem & Regem Francorum nondum composito, Avinione in Pontificia ditione, quàm in Gallia habitaturos putabant. Proinde nos institutam profectionem prosecuti sumus. Verùm eventus consilium parum probavit, inde enim confestim, propter subortentem pestilentiam, Valentiam retro secedere coacti fuimus, ubi mihi longius ob urbis amœnitatem morari libuisset, præsertim cùm pestilentis contagiosique morbi periculum, quod præcedenti anno ibi fuerat grassatum, nullum restaret, & ii qui jus civile ibi profitebantur, bene docti mihi viderentur. Verùm Mercatores Germani, qui Lugduni negotiantur, de nostro ab Avinione discessu certiores a nobis

bis factis, explorata ſecuritate in Regia Curia, ut ad Biturigum Academiam *Alciatum* ſubſequeremur, ſuaſerunt: quorum conſilio lubenter acquievimus. Hæc noſtra prolixius ideo ad te tantum ſcribo, ut obligationi, qua me ſuperioe epiſtola tibi obſtrinxi, ſatisfaciam. Neque enim debeo optimum patronum quicquam mearum rerum celare, quando jam amplius temeritatem meam, quod ſæpius audaciuſque Litteris meis tibi obſtrepam, deprecari opus non habeo. Perges enim ut ſpero eam boni conſulere, cùm quidquid in hac parte peccem, ſtudio ac amore tui præcipue peccem. Ubi iter ſuſceptum abſolvero, dabò operam, ut de *Alciato*, ac ſi quid erit aliud quod te ſcire putem velle, ex me intelligas. Bene vale, *Eraſme* Doctiſſime. Ex Lugduno Menſe Maio 1529.

Ex Tomo II. fol. 10.

EPISTOLA VII.

ERASMO ROTERODAMO.

1529. *Apud Biturigas vivit & fruitur Alciato, qui quotidie Eraſmum prædicat, meliores in paucis literas ſectatus, nec diſſentire volens ab omni eo quod illi placuit.* Pontificium *apud Aulum Gellium retinendum. Viglii epiſtola cum Eraſmianis publicata, ſuper quo favore ſe beatum prædicat, & riſus ſibi ac ludum quærit.*

ETſi ſciebam, Doctiſſime *Eraſme*, non ſine faſtidio te ea lecturum quæ de peregrinatione mea e Lugduno ſcribebam, vicit tamen, & in eam culpam me impulit ſingularis obſervantia quam erga te habeo. Nam poſtquam ſemel totum me dedidi, & viciſſim tam benigne in tuam gratiam receptus fui, mei eſſe officii ſubinde exiſtimavi, ut quicquid inſtituerem, id tibi ſignificarem. Apud Biturigas ſatis ex animi ſententia vivo, & *Andreæ Alciati* doctrina ac benevolentia ſumma cum voluptate fruor. De quo quod ad te ſcribam, nihil habeo, niſi quod valde me delectet de incompara-

parabilis ingenii tui excellentia quotidiana illius prædicatio. Nullius certe ille aut sæpius aut honorificentiùs meminit, quam *Erasmi* nostri. Sic enim sese quasi in numeros & matriculam tuæ militiæ refert. Nosti veterem querelam hujus nationis Gallicæ, quæ tantùm non interdicto possessionem annotationum in Pandectas *Guilelmi Budæi* ab *Alciato* asserit, quasi ille jure omnia occuparit, nihil laudis huic nostro relinquens. Nunc tamen induciæ esse videntur, quamquam non desunt qui reliquos Galliæ professores exstimulent, ut Italo homini gloriam hanc eripiant. Ex hoc genere nuper quidam Aurelianensis Doctor, *Petrus Stella* gravia minitabatur, jamque litem denuntiabat. Quem tamen sic compescuit *Alciatus*, ut Gallus vel in suo sterquilinio iterum insilire non audeat. Meliorum litterarum lucem mirum est hîc tam paucos adhuc admittere. Quin etiam sunt qui ipsi *Alciato* puriorem dictionem vitio vertere audeant. Quamquam (quod miraculi nobis instar est) sic potest ille in publicis lectionibus loqui Bartholicè, ut in eodem ludo videatur institutus. Iterum privatus sermo sic est mundus, ut ipso Caballino fonte labra proluisse videatur. Divinorum tuorum monumentorum magnus admirator est, nec quisquam exactius potuit legisse Chiliades. Quantum tuo judicio tribuat, nuper ex quodam ipsius responso (ut Jureconsultorum more loquar) cognovi. Literator quidam Dolanus, qui *Pontificium* apud Aulum Gellium volebat subvertere, non acquiescens tuæ sententiæ, ut suffugeret sponsionis condemnationem (contenderat enim *officium* esse legendum) *Alciatum* quoque nuper super eadem quæstione consuluit. Is eleganter & Jureconsultorum verbis respondit; ab eo quod Erasmo placuit, ego dissentire non debeo. Hîc mihi Lydius lapis est. Sic curiosum Grammaticum damnavit, vulgarem lectionem confirmans etiam quadam Constantini constitutione de bonis maternis in Codice Theodosiano, ubi *fruendi Pontificium* legitur. Nimis quidem hæc multa, sed libenter commemoro apud te ista, quò tibi studiorum meorum rationem edam, quæ multo mihi prosperius videntur procedere sub eo præceptore, qui te omnis doctrinæ verissimum principem mecum agnoscit, colit, amat, atque veneratur. Quam tu vero me constanter diligas nuper ex *Sucqueto* intellexi, quo

etsi

etsi mihi nihil potuit contingere optatius, magna tamen solicitudine afficior quomodo tanti viri erga me benevolentiæ respondere queam. Eam vero quod nuper etiam publice testari, & me æterno literarum tuarum honore immortalitati consecrare volueris, etsi non potest mihi non esse gratissimum, erubesco tamen tam multa me tibi debere quæ tota videlicet vita dissolvere nequeam. Vereor autem & timeo, ne adversus istos solis radios intueri adhuc possim, neve ubi me docti tuarum epistolarum avidissimi lectores cognoverint, velut adulterinum pullum & degenerem (cujus acies non ferat immortalitatis lucem) e nido præcipitent, nec in isto tuo albo admittant. Dicent enim fortassis, modo infans erat: sic ne repente Poeta destertuit (1) esse; & audet suam epistolam velut silicem inter Erasmianas illas margaritas ponere? O scribendi cacocthes! Quid alias reprehensionis notas recenseam? Quod juvenili temeritate ductus ausus fuerim summum ætatis nostræ virum literis meis interpellare, iisque adeo ineptis & ignotus. Quare, Doctissime *Erasme*, nisi hîc clientulo tuo patrocineris, plane ex ista scena, in quam ipsum produxisti, explodetur. Tute mihi hoc intristi (2), oro ut ejus a me culpam defendas; nam quod tuæ me amicitiæ studiosè insinuarim, etsi cæteri reprehendent, me tamen numquam pœnitibit. Culpam tamen, quod mea epistola inter tuas publicata sit, longissime a me abesse cupiam. Quamquam enim minus deberem vereri eam in Læliorum manus venire, postquam a te Persio probata est, tamen ut tu cæteros eruditione

(1) *Sic ne repente Poëta destertuit esse?*] Imitatum videtur ex A. Persio in prologo.

Nec fonte labra prolui Caballino:
Nec in bicipiti somniasse Parnasso
Memini, ut repente sic Poëta prodirem.

Desterto, is, ui, ere. *Cesser de ronfler.* Postquam destertuit. *Somno excitatus.* Varnierius in Dict. poëtico.

(2) *Intristi*] ab verbo *Intero.*

Tute hoc intristi, tibi omne est exedendum. Ter. Vous vous êtes embarassé la dedans, c'est a vous a vous en tirer. *Pet. Danetius in Dict.*

dicione præcellis, ſic candore atque humanitate vincis. Et quoniam tali argumento tuum erga me animum declarare eſſe voluiſti: ne in invito beneficium perdidiſſe videaris, perpetuo me ejus memorem fore polliceor, ac quia eo me fortaſſis calcare ad majorem ſtudiorum ſpem excitare voluiſſe videris, ſic ſedulo literis operam dabo, ut eorum felici profectu majus atque majus indies tuum in me beneficium exiſtat. Vale noſtri ſeculi decus ſingulare, & ſtudioſorum omnium unice patrone. Biturigibus Calendis Septembribus. 1529.

EPISTOLA VIII.

Ex Tomo II. fol. 25.

TZALINGO WYARDÆ.

A Tzalingo ſolatia accepit ſuper ſuo de patrui obitu dolore. Tempus haud recte dicitur doloris medicina. Ipſe Paſtor Zwichemenſis factus prudentiſſime curat onera beneficii. An futurus Sacerdos? De fructibus beneficii, & de vicario ſtatuit; quod reſignabit, ſi quis cognatorum ſe dignum præbuerit. Collatoribus ſcribit gratiarum actionem. 1529.

INiquam contraxi tecum permutationem, mi *Tzalinge*, omnium optime Cognate, nempe qui ad te tam mœſtam & lamentationum lachrymarumque plenam epiſtolam (1) dederim, pro qua tu mihi tam grata ſolatia reddidiſti, ut non aliis pharmacis vulneri meo præſentius quis mederi potuerit. Illud tamen mihi adhuc cum Philoſophis non convenit, quod illi tantam medicinæ vim in tempore ponant, ut eo omnium malorum memoriam veluti abluant. Nam etſi ſatis conſentiam, muliebres ploratus deponi ipſa hora, tamen aculei illi dolorum infixi pectoribus, numquam ab amaris illis

(1) *Epiſtolam*] Qua ſuper re? Nempe ſuper Patrui Buchonis obitu.

illis cogitationibus mentem liberant, ſic ipſe experior: Non facile qui mecum verſantur, poſſunt ex meo vultu aliquam conjicere triſtitiam, ſed interim toties in ſuſpiria me cogit illius viri memoria prorumpere, ut Philoſophis fidem habere non poſſim, qui ad omnia animi vulnera, tempus præcipuum eſſe exiſtimant collyrium. Sed deſino, ne iterum tibi cicatricem refricem. De illo habeo tibi ingentes gratias, quod ſic tua oratione parentem deliniveris, ut ſuum officium benigne mihi præſtiterit. Sed de pecuniæ meæ fortunâ non amplius. Sacerdotium de quo ſcribis præter omnem animi exſpectationem obtigit, quod non ideo mihi minus gratum eſt, quia humile eſt, & pauci proventus, quoniam ego recordor me a Patruo audiviſſe inde & illum velut majorem rerum auſpicia ſumpſiſſe. Ac, ut tecum jocer, voluit ille me cognomen a vico noſtro habere *a Zwichem*, antea, rogantibus me ejus appellationis rationem, non aliam dicere poteram, quàm D. Patrui voluntatem, nunc Paſtor creatus in *Zwichem* paulo aptius *Zuichemus* vocor. Certe ſi initiari ſacris debeam, nuſquam locorum lubentius id fecero, nam & ibi te memini primum Deo Sacrificium obtuliſſe, & ille locus ſemper nobis auſpicatus habitus eſt, ubi, avia vivente, primitias & nuptias non paucos ex Conſanguineis noſtris celebraſſe meminimus. Quod ſcribis Patruum retuliſſe ſæpius, quod ego me addicere ſacris officiis non decreverim, ſcias id illum hac ratione mihi ſemper ſuaſiſſe, quod putabat ſegnius me literis operam daturum, ſi mihi paratum in ſacerdotio otium eſſe conſpicerem. Ille igitur omnem ſedulo evitans occaſionem qua potuiſſem forte a ſtudiis avocari, nullam me volebat ſpem in Eccleſiaſticorum ſacerdotiorum quæſtu ponere, ſed ſic vitam inſtituere me admonebat, ut opes atque honores ipſe mihi meis pararem ſtudiis. Illud nonnunquam piè addebat, ſacerdotum inquinatiſſimam hodie paſſim vitam eſſe, ac inde populi in eum ordinem odia vehementer acerba quotidie excreſcere, hæc ejus erant calcaria quibus mihi diligentiam ſolebat excitare. Ego tamen ſemper eo animo fui, ut nulli me vitæ generi addixerim, & quo plus literas amavi, eo vidi ſacerdotum vitam ad earum quietem magis eſſe accommodatam. Quare ut adhuc non de certo vitæ inſtituto apud animum decrevi, ita abſit, ut de-

creverim omnino non initiari ſacris. Recte igitur tu quidem cum patre feciſti, qui oblatum beneficiolum acceptaſti. Quid enim obſtat, cur non ratum habeam quod egeris, præſertim cùm illi, ætatis meæ comtemplatione, biennii mihi abſentiam atque deliberationem conceſſerint? Interim autem oro ut meo nomine ei rei aliquam impendas curam. Primùm, ut divina officia debitè peragantur, ne quid ſit quod in eo populus mihi imputet. Nec mihi placet, ut aliquem conſtituatis vicarium ex erronibus illis, ſed probo viro & pio officii mei vices mandari, & honeſtam mercedem decerni peropto. Si quid vero reliquum erit, id apud *Upkonem* (2) cupio deponi. Quod de domo Paſtorali inſtauranda ſcribis, ad id utinam id animi reliqui haberent quod ego, nam per me ſolum perfici non poteſt; Ut autem omne id, quod mihi ex beneficio deductis impenſis debetur, in eum uſum impendam, non poſſum adhuc conſentire, & vereor ne meam liberalitatem Pater prodigalitatem interpretetur, audio enim poſſe XX. Florenos annuatim inde colligi, & vides quàm pia ſit & * ſtudiorum meorum cauſa, quæ tantis indigent impendiis in tam peregrina regione, finito D. Patrui mei præſidio. Nolo tamen ut pater nimis avarè agat, & ſibi eos fructus metat. Ut vero omnem adminiſtrationem ejus curæ adimam, neque id mihi ſatis conſultum videtur, ne is benignè ſatis erga me declaratum animum alienet. Quare ſic mihi viſum eſt, ut tu cum patre de vicario idoneo proſpicias. Si quid verò ultra ejus mercedem mihi ſupererit, id cupio cum reliquo meo peculio apud Doctorem *Upkonem* deponi, vel ad meam neceſſitatem, vel ad uſum ædificii, de quo tu ſcripſiſti. Ut reſignem vero beneficium, adhuc mihi non videtur. Tamen ſi ego ſententiam de ſacris muto, & ſe quis meorum cognatorum dignum præſtet, lubenter cupiam illi gratificari. Hæc ſunt quæ volui vos ſcire ſuper negotio ſacerdotii mei, de quo mihi prolixè & clarè ſcripſiſti. Petiit etiam Pater, ut gratam me

* Tò & *abundat.*

(2) *Upkonem*] a Burmania, Doctorem, ac *Reinci a Burmania* cognati ſui patruum, Conſiliarium in Senatu Friſiæ, ubi obiit an. 1557. Succeſſorem habuit *Tralingum ab Eiſinga.* Ita lego in tom. 4. epiſtolar. p. 593. vſq.

me habere collationem beneficii, ejus Patronis epistolâ declararem, cui obtemperare volui. Ecce igitur tibi Epistolium quod latine scripsi, quod verebar, ne non possem rectè (ut tibi fatear) Frisonicè scribere. Tu in eo dando vel supprimendo tua utêris voluntate, & ejus te illis interpretem præbebis. Pecunia a Patre data adhuc sub controversia est. Clarius explicabit frater, cui de reliquis meis negotiis scripsi. Vale, & me ama, Parentumque & propinquorum benevolentiam conserva, atque auge. Biturigibus. an. 1529.

Ex Tomo II. fol. 28.

EPISTOLA IX.

CORNELIO MYEROPIO (1).

1529. *Cornelii silentium excusat, & ad scribendum provocat. Queritur se ab omnibus necessariis suis derelictum. Hortatur ad sapientiæ studium, Palladem loquentem inducens.*

Diu exspectatas tuas literas tandem accepi. Quid autem tam diligenter mihi silentii tui causam dicis? An tot annis, tot officiis, tam sincera benevolentiæ obstrictos invicem nos brevis taciturnitas dissolvet? Literæ tuæ quamtumvis mihi sint gratæ, te ipsum tamen omnibus rebus facile antepono. Neque rursus sic tuam excusationem admitto, ut meæ facilitati confisus, si quæ scribendi opportunitas dabitur, tam avide tuas literas expectantem frustrêre. Nunc vero maximè sperabam, ut aliquid de rebus meis ex Frisia intelligerem. Facit autem patris cæterorumque propinquorum meorum negligentia, ut vulnus tempore mitigatum de chariſſimi Patrui fato subinde recrudescat. Cum enim cogito quoties

(1) *Cornelio Myeropio*] Vincentii filio, de quo in notis ad Vitam Viglii N. LXII. Vide *Van Leeuwen Bat. illustr. pag.* 1017. *Jacob de Riemer in Vern. descript. Hagæ-Com. part* 1. *p.* 237. *Heuss. in Hist. Episc. Ultraj. p.* 428. *& Catal. meum Præp. & Decan. ad an.* 1545. *in præpositis Majoris.*

quoties & quam benigne ille ad me conſueverit ſcribere, nunc vero deſertum me eſſe omnium neceſſariorum meorum officio, nec quemquam literam ad me mittere, graviter ſane meum fatum fero. Tu ſi quid accipies quod me conſolari queat, accuratè fac mittas. *Renici* neceſſitas malè me habet, ſpero tamen *Antonium* tuum utrique boni aliquid apportaturum. Miror tamen quid tantum tuam profectionem in Galliam parentes remorentur, aut cur non ipſe diligentius eos urgeas. Vides omnes ex illo Dolano nido provolare. Fortaſſis te nunc Valentinæ illæ Sirenes detinent. Excute illos amores & ab illa Venere te aufer. Ecce te Pallas vocat, Pileum rubrum & coronam oſtentat, ad ſeſe te invitat, noli ſpernere tam Sanctam Deam, hujus auſculta voces. „ Aſpice „ quanto majorem ſincerioremque voluptatem ſis ſuſceptu„ rus, ſi me in deliciis habere animum inducas. Ecce ego tibi „ pro parvis laboribus ſcientiam dabo quæ te ubique commen„ dabilem reddet. Sella illa dignitatis Hagenſis (2) ſemper a „ doctiſſimis prudentiſſimiſque viris fuit occupata, in ea ego „ avunculum tuum (3) olim tot annos florere volui, hanc jam „ a puero tibi promiſi; ſed vide ut anteceſſorum virtutibus re„ ſpondeas. Hoc tibi initium honorum eſſe volui, hoc præ„ mio illicere te propoſui, ut cognoſceres quanto tibi ma„ jora ſim præbitura, ſi tu adhortationibus meis obſecutus, „ vigilanti literarum ſtudio ad diſciplinæ adyta te conferas, „ & ex mea ara doctrinæ ſertum ſuſcipere enitaris. Hoc „ optimos tuos parentes velle, hoc tot amicos, qui tam ſyn„ cerè tibi favent, expectare, ſæpe intellexi. Nunc etiam „ & meis monitis aliquis quæſo apud te ſit locus. Vides „ æqualem tuum *Chriſtophorum* quanto præmio honorarim. „ Cum hoc tu pari ſemper paſſu ambulare cœpiſti, an patie„ ris quod ille tibi bravium præripiat? Duo ſuperſunt anni, „ quibus ſi mecum in literis diligenter perſeveres, jam te ego „ tuis paternis Laribus cum ſumma gloria reddam. „ Sed deſino

(2) *Sella illa dignitatis Hagenſis*] id eſt, Decanatus Capituli B. M. in palatio Hagæ-Comitano, in qua ſucceſſit *Bernardo Buchoni ab Aytta*, Viglii patruo.

(3) *Avunculum tuum*] Jacobum Ruyſch, Mater namque *Cornelii Mariæ Ruyſch*, Domina de Cabau. *Van Leeuwen cit.*

fino fabulam agere. Ignoſces vero, optime *Cornelî*, ſi liberius te admoneam. Scis quæ mea de te ſit ſolicitudo, quam debes cogitare ex amantiſſimo tui pectore procedere. Et quamquam non dubitem, quin pro veteri tua conſuetudine, tuâ ſponte curras, tamen quia fatigatis equis ſubinde calcare eſt opus, ideo & ego familiariter quaſi aquam tibi iſta hortatione ſuffundere volui. Ut huc commigrares fruſtra te monerem, cùm parentum conſilio voluntatique obſequi conveniat. Si tamen quam aliam viſes univerſitatem, ſine gravi diſpendio poteris ad Bituriges divertere. Ego te lubentiſſimè videbo; ſi quid interim eveniet, cura ut intelligam. Vale. Biturigibus anno. 1529.

Ex Tomo II. fol. 31.

EPISTOLA X.

JOANNI BAPTISTÆ PALMÆ (1) ALEXANDRINO.

1530. *Elegantiſſimè ſuam erga eum obſervantiam teſtatur. Quæ partes diſcentium, quæ laus doctoris. Quare reſpondere ejus literis diſtulerit. Commendat candidatum quemdam. Augurium haud vanum de Viglio. Cogitat in Germania jus profiteri, religionis prius compoſito negotio. Alciatus laudatus. Italiam quare adire ſtatuit.*

ANtea, Vir Clariſſime, pudorem excuſabam, at nunc mihi ob nimis longum ſilentium negligentiæ cauſa dicenda eſt, ſic ſemper apud te reus ſum, ſed non fugitivus, ſponteque ad tuum me tribunal ſiſto. Nec enim me tua ſeveritas terret, ſed morum comitas & ingenii liberalitas, ſumma juris civilis prudentiâ exculta, ultro etiam allicit. Porro tui nominis memoria ſæpe me oblecto, glorioſumque duco quod

(1) *Jo. Bapt. Palmæ*] Is Valentiæ Jus profitebatur, cùm Viglius ibi doctoralem lauream accepit.

quod te inter præceptores meos recenſere poſſim. Et quanquam mihi tua doctrina haud diu perfrui licuerit, prædicabo tamen, non quid a te utilitatis acceperim, ſed quid accipere potuerim. Nam multum an parum diſcipuli proficiant, in ipſorum diligentia induſtriaque ſitum eſt: poſſe vero plurimum perficere, ea demum unica Doctoris laus eſt. Qui doctrinam ſuam quaſi lautam quamdam cœnam auditoribus proponit, a qua qui jejuni eſurienteſque diſcedunt, ſibi merito eam culpam imputare debent. Nam præceptor quaſi ſplendidus convivator munus ſuum cum laude peregit. Sic & ego hanc ipſe mihi noxam nocui quod ad primos conviviorum miſſus de lautiſſima tua cœna diſceſſerim. Quam tamen vel ideo quod deguſtarim, tuam ſemper magnificentiam merito in ore habere debeo. Atque ob eam cauſam gratias tibi ago maximas; quod & Valentia diſcedens coram facere volueram, niſi me meæ verecundiæ vitium impediviſſet: Cujus quod tu tam æque excuſationem acceperis, iterum plurimam habeo gratiam. Cauſa autem, quod nunc ſerius reſcribam, ea fere fuit, quod ſuperioribus menſibus quidam ad vos ituri, ultroque literas a me flagitantes, diu ab officio ſcribendi ſuſpenſum tenuerint, ac deinde dum Pariſiis eſſem, aliiſque locis relaxandi animi cauſa peregrinarer, me abſente hinc diſceſſerint. Quod reverſus valdè dolui, nec tamen citius reſarcire tam longum ſilentium potui, quod nullus ſe mihi tabellarius offerret. Tandem autem is obtigit, quo non poſſet alius eſſe gratior, quippe familiaritate mihi valdè junctus, & ipſe facundia, civilitateque non vulgari præditus. Eoque patrono facile me veniam abs te impetraturum ſpero. Eſt autem ipſe Academiæ veſtræ antiquus alumnus, ad quam nunc quaſi poſtliminio redit, &, quod ego arbitror, veſtro judicio ad doctrinæ inſignia capeſſenda comprobari cupit. Nil autem opus eſt, ut eum ego tibi commendem, quum propriis dotibus ſic reſpondeat, ut nihil ornamenti alterius oratione accedere ei poſſit. Quamobrem & tua ſpero benevolentia digniſſimum ipſum cognoſces. Hîc autem de noſtris Doctoribus & hac Academia copioſiſſimè tibi cuncta referre poterit, ut ipſe ejuſmodi rebus ſcribendis ſuperſedendum mihi ducam. Quam autem me fœlicem eſſe tua benevolentia exiſtimem, dici non

pot-

poteſt. Proinde ſumma quoque voluptate tuas literas accepi. Quarum teſtimonio & chirographo in mei honorem perpetuo uti queam. Plurimique facio a tali viro non laudari tantum, ſed etiam amari. Non faciunt tamen tuæ me laudes ſuperbum, ſed quum illis nondum me reſpondere cognoſcam, ſaltem ut coner, admoneri me credo. Nec ullus ſane mihi gravior eſt ad ſtudia ſtimulus, quam talium virorum nondum merita probatio. Atque adeo a puero doctos viros tuique ſimiles ſemper obſervavi, ſaltem ut eorum amorem promererer, ſi laudibus dignus eſſe nequirem; utrumque me vero a te conſecutum ſummoperè gaudeo, omenque tuum lubens accipio, quod majoribus me aliquando rebus & Patriæ uſui eſſe poſſe augureris. Ipſe tamen in animo habeo hoc veſtrum ſaxum aliquot antea annos volvere, id eſt profitendi publicè onus ſubire, quò ætati nondum negotiis maturæ autoritatem aliquam publica profeſſione prius conciliem. Cujus quidem conſilii mei auſpicium in Germania mea capere decrevi, modo ea Imperatorio auxilio, conſilioque ab inveterato Chriſtianæ Religionis errore revocari poterit. Aliter enim Legum Juriſque noſtri ſtudium, quod ibi ſemper jacuit, excitari nequibit. Ad eam non parum me adjuvare poterit *Alciati* commendatio, cujus apud nos longè celeberrimum nomen eſt, ob additam Jurisprudentiæ politiorum literarum diſciplinam. Quem ego poſt meum illinc diſceſſum ſedulo ſtudio audivi, diſputationibuſque quotidianis annixus ſum ut a tali viro aliquid ad me fructus perveniret. Habeo tamen in animo antea Italiam viſere, & forte ſub novum Ver eo me conferam, accedit enim multum exiſtimationis doctrinæ apud noſtrates homines, quod ea Italicis literis & moribus tincta ſit. Bene vale, Vir clariſſime. Biturigibus XIIII. Calendas Martii anno 1530.

EPI-

EPISTOLA. XI.

Ex Tomo II. fol. 41.

JACOBO DUXINO (1).

Excusat silentium suum, ac Jacobum multis demulcet, exponens quoque officium discipuli erga præceptorem. Persuadere conatur suum erga eum studium & amorem, pollicens se laudum ejus fore præconem. De Bituricensi Academia, & in primis de Alciato. Consilium Duxini expetit pro ratione studiorum suorum, super quo ab Alciato tulit responsum, quod exhibet, insufficiens. 1530.

LIteras tuas, eruditissime præceptor, majorene verecundia an lætitia acceperim, non queam dicere. Pudet enim me mei pudoris, quo hactenus suffusus, scribere ad te distuli. Non tamen humanitatis tuæ, non summæ eruditionis, non beneficiorum tuorum erga me immemor, sed tantum immodice verecundus, ne per literas quidem, quas tamen, ut vulgo dicitur, nihil pudere solet, interpellare te ausus fui. Gratulor verò plurimum mihi, te virum, non solùm doctissimum, sed etiam celeberrimum, tam benigne erga me affici, in quo ego non sine mea ignominia a te vincor. Etsi enim major Parentum est erga filios charitas, quàm vice versa, ubique tamen legimus discipulis præceptores summe amandos atque observandos esse debere, ut si aliter ipsorum maximis beneficiis satisfacere nequeamus, saltem affectionem justam erga eos geramus, & voluntas prompta adsit, si desit facultas. Fit tamen nonnunquam, ut vel ingratitudo, vel vitiosa quædam verecundia, meritam gratiæ agnitionem vel extinguat vel tegat, oblivisci verò plane pravissimi cujusdam ingenii est. Quod & Diis & * semper odiosum extitit. Minus autem peccat, cujus degeneri animo timor obstat, tenet enim mente beneficium, etsi creditoris vul-

* *Supple:* hominibus.

(1) *Jacobo Duxino*] Juris Civilis Professori in Academia Dolana, de quo V. Notas ad Vitam Viglii N. XV.

vultum ferre nequeat. Id, ubi iſtas verecundiæ habenas perfregi, cogor tibi, optime præceptor, clare fateri, nec in aliam partem velim interpreteris meam taciturnitatem. Sic cogitabam. Scribamne ad Doctorem *Jacobum*? Sed quid tanto, tam bene de me merito, tam ſingulariter erudito Viro? Quapropter multis modis gratiam apud me iniit tua humaniſſima epiſtola, cùm quod hunc pudorem mihi excuſſit, tum etiam, quod tuam erga me benignitatem expoſuit, & animum meum ad ſtudia erexit. Oro igitur ut ſilentium meum in meliorem partem accipias, quandoquidem ego de affectu meo nihil erga te mutavi: de quo tamen tu dubitare videris, conſanguinei mei (2) qui tuam epiſtolam reddidit, ſermone in nonnullam ſuſpicionem adductus. Tuam autem in amando me conſtantiam cùm laudo, tum illius temeritatem admiror, & preſens etiam increpavi, cur de eo quod ipſe ignoraret tam temerè tecum fuerit locutus (3). Semper autem de te non modo honorifice ſum locutus, ſed etiam ſenſi. Quid autem ſenſiſſe me dicto? Imò ſumma admiratione prudentiæ tuæ in utraque juris paleſtra, eruditionis in cæteris literis, virtutum in omni vita, adeo ad te diligendum atque amplectendum fui inflammatus, ut in patronorum meorum albo & ordine primum tibi ſemper locum aſſignaverim. Cum vero paginam acceptorum ab amicis beneficiorum reputo, non alius eſt, qui pluribus vel gravioribus nominibus, me ſibi obligatum

(2) *Conſanguinei mei*] Quis ille ſit, mihi eſt incompertum. Sed *Renicus a Burmania* Dolæ agens, *Viglio* ſignificarat, quid de ipſo Doctor *Jacobus* ſentiret. Ad quem reſcribens, ait: „ Non recuſo eum amare, modo talis ſit, qualem tu eum eſſe „ ſcribis, & ego opto. Me ſane gratiſſimum diſcipulum, laudumque ſuarum patronum habebit, ſi viciſſim candide, & „ ſtudiis meis, & famæ faveat. Illius enim eruditionem plurimi facio. De animo erga me illius ſemper dubitavi, non „ modo cum illic agerem, & præſens ambiguis quibuſdam „ ſignis malevolentiam ipſius colligerem, ſed multo magis abſens." *Tom.* 3. *pag.* 40.

(3) *Temerè tecum fuerit locutus*] Quæ iſta temeritas fuerit, colligo ex his quæ de *Duxino Viglius* ſubdit loc. cit. „ De eo „ ipſum indignari fero, quod *Alciatum* tanti ego faciam. Et „ noſti conſequenter illud; Figulus invidet figulo.

gatum habeat, quàm tu Doctiſſime idemque humaniſſime præceptor. Ne putes me igitur unquam commiſſurum, ut hac ingratitudinis nota, quæ probis tantopere eſt abominabilis, inurar. Et quanquam vix unquam occaſionem mihi affuturam ſperem, ut pro tantis meritis tibi reſpondeam, grata tamen voluntas & ſatisfaciendi deſiderium, ſeverum etiam creditorem placare ſolet. Plurimum & me inde tibi debere confiteor, quod ſic me ibi prædices. Scito autem me ſemper advigilaturum, ut tuis commendationibus & te præceptore, non indignus fiam diſcipulus. Quocunque ſane terrarum me fortuna feret, circumferam viciſſim, non modò in pectore, ſed etiam in ore meo, *Jacobum*. Nec enim ſine numine contigiſſe mihi arbitror duos *Jacobos* (4) præceptores, unum in humanioribus literis & Græcis, qui apud doctos, moriens, nomen reliquit celebre, & literarum monumentum, quo poſt multa etiam ſecula victurum eum ſpero. Cui tu alter *Jacobus* oportune mihi Dolæ ſucceſſiſti, quod ego inter prima fœlicitatis meæ capita merito recenſeo. Quis enim fuit in docendo diligentior, humanior, peritior? Ac utinam ego fuiſſem tam ſedulus diſcipulus, quam tu doctor. Aliquid tamen, certe totum hoc quod ſcio, cùm a te ingenue me accepiſſe agnoſcam, & lubenter agnoſcam, & perpetuo agnoſcam, obſecro ut & tu opinionem ſiniſtram, quam malevoli homines tibi adverſum me ineantaverunt, eximas. Me enim ſemper gratiſſimum diſcipulum, & laudum tuarum præconem, quocunque terrarum ivero, experieris. De Academiæ hujus ſucceſſu quæ a me ſcribi deſideras, jam a pleriſque antea intelligere potuiſti, qui hinc ad vos redierunt. *Alciati* profitendi inſtitutum tibi quoque cognitum arbitror. Ejus ſane ſpecimen accipere poteris ex Commentariis in L. deteſtari. ff. de verborum ſignificationibus. Videtur certe jus civile in artem coacturus, ſic omnia conatur in regulas, exceptiones, limitationeſque redigere. De eo malim tuum judicium audire, quàm meum proferre. Profitebatur hîc etiam antea ſenex quidam Hiſpanus cui nomen eſt *Salvator Ferdinandus*. Is contra *Alciatum* irritatus, ſponte ſe ab profitendi

(4) *Duos* JACOBOS] Nempe *Duxinum* hunc Dolæ, & *Volcardum* Lovanii, de quo in Notis ad Vitam. N. XIII.

tendi munere abdicavit. Nunc novum Italia Doctorem misit, *Alciato* curante, qui vix biennio ætate me præcedit. Nondum periculum primæ lectionis subiit, nec minora de se promittit, quam nos expectemus. Agitur & de alio advocando. Magistratus enim & Regia soror summopere conantur literatis viris hoc Gymnasium illustrare. Salaria omnibus satis honorifica præbentur; Adeo ut *Helvetius* etiam quidam, centum Scutatos, quod horam unam Græca profiteatur, accipiat. Ego adhuc intra testam me contineo. *Carolus* (5) autem noster fœliciter in lucem est progressus, & sic legit, ut cæteri professores ei invideant, scholares autem observent atque ament. Hæc habes de re Gymnastica. Quoniam autem præsens soleo semper a latere tuo, Clarissime Doctor, doctior discedere, non potui omittere quin tibi ostenderem, quantopere & absens a te discere cupiam. Tale autem est quod nunc scire laboro, quod sine negotio demonstrare potes, in quo plurimum me juvabis, & novo quoque beneficio iterum obligabis. Nam cùm tanta sit scriptorum apud nos copia, cognoscere aveo, quos tu magis, vel professori, vel ei qui missionem nunc a Scholis meditatur, utiles esse putes, id est, inter tam multos quos optimos judices. De *Bartholo* jam præjudicata omnium est sententia, eum merito primum haberi. An & consilia perlegenda censeas, & quæ potissimum deligenda, aut (quò melius consulas) qua ratione mihi posthac studia instituenda esse autumes. Idem cùm *Alciatum* rogassem, non sat in eo mihi satisfecit: a te vero exactioria expecto. Ille responsum carminibus sic exhibuit.

In Jure partes absque controversia
Dentur priores Bartholo
Decisiones ob frequentes, actio
Baldum forensis sustinet.
Utrique acumen Raphaeli & Imolæ est,
Rarò receptum posteris.

Opinio-

(5) *Carolus*] *Sucquetus*, qui & ipse *Alciato* operam dedit Biturigibus, & post Taurini in Gallia Sub-alpina jura publice interpretatus est. *V. Bibl. Belg.*

Opinionum tutius Sumeplegadas
Superabis Alexandro Duce.
Ordinis Jasan atque lucis nomine
Videndus est properantibus.
His quisquis alios addiderit interpretes,
Onerat quam honorat verius.

Ubi tibi ab ordinariis tuis studiis licebit, & nuntii dabitur opportunitas, quæso ut respondeas, ac si de qua re quid amplius cognoscere cupias, indices. Mihi nihil fuerit gratius quàm aliquid invenire, in quo præceptori *Duzino* morem geram. Vale. Biturigibus. 26. Maii 1530.

EPISTOLA XII.

Ex Tomo II. fol. 45.

FRANCISCO RUPILIO (1). JURISCONSULTO.

Suum in Franciscum amorem prolixe testatur, accepta beneficia commemorat, & ex ejus se consuetudine profeciſſe prædicat. Mittit primum ingenii sui fetum JURISCONSULTI INSTITUTIONEM, *quam Franciſci censuræ submittit; ejus discipulos extollit, & hos, jam suos factos, spondet omni diligentia, se formaturum. Antonio Fuggero commendari cupit.* 1530.

GRavi me ægritudine, eruditiſſime *Rupili*, tuus diſceſſus afficit, nec cauſa caret iſte dolor, nullius enim mihi unquam conſuetudo vel fructuoſior, vel honorificentior, vel jucundior tua fuit. Et adoleſcens adhuc, cùm tuæ notitiæ me auſpicato inſinuaſſem, ſic virtutum tuarum, ſic erudi-

(1) *Franciſco Rupilio*] Erat Germanus natione, cum quo biennium moratus eſt Biturigibus, & ad quem Romam profectum, hanc miſit epiſtolam. *V. Notas ad Vitam N. XVII.*

eruditionis, ſic humanitatis tuæ amore, admiratione, æmulatione fui inflammatus, ut a latere tuo diſcedere nunquam potuerim. Tecum enim longos memini conſumere ſoles, & tecum primas epulis decerpere noctes. Tu adoleſcentiæ meæ lubricum, ætatis tuæ maturitate temperabas. Tu ad ſtudiorum debita munia ſedulo obeunda cohortabaris. Tu doctiſſimorum honeſtiſſimorumque hominum gratiam & familiaritatem mihi conciliabas. Nec plus potuit debere *Cornuto Perſius* (2) qui tamen ad exprimendam erga præceptorem affectionem centum ora & linguas optabat in carmina centum, quàm *Rupilio* ſuo *Viglius* debere lubenter agnoſcit. Solent autem qui incendio, vel naufragio, vel hoſtili deprædatione fortunas ſuas amiſerunt, calamitatem querulis lacrymis apud Deos deplorare; Quod ſi verò tantâ triſtitiâ humanas turbat mentes eorum amiſſio quæ ſola facie bona nobis videntur, & a ſapientibus in bonorum ordine locum non habent; vides, opinor, mi *Franciſce*, quàm juſtè doleam, qui illa bona, te diſcedente, magna ex parte amittam, quæ *Stilpo* Philoſophus (3) *Megaris* a *Demetrio*, captis, ſola non potuiſſe ſe perdere gloriabatur. Veræ enim opes ſunt quæ animum ornant, ut probitas, ut doctrina, quarum me uberrimo fructu tuus privat diſceſſus. Nunquam a te abibam, quin aliquid audiſſem quod meminiſſe & juvabat, & dignum erat; aliquid a te didiciſſem, quod antea ignoraſſem. Nec dici facile poteſt, quantum me tua ex conſuetudine profeciſſe ſentiam. Ne autem amplius proficiam, tuus abitus juſtis querelis mihi deploratus intercedit. Utinam verò rerum mearum conditio ferret; ſequerer te per mare, per terras, quo tantam animorum concordiam perpetua corporum

(2) *Cornuto Perſius*] Ab Annea Cornuto in Philoſophicis diſciplinis inſtitutum ſe, Perſius teſtatur. *Jac. Vanierius in Dict.*

(3) *Stilpo Philoſophus*] qui, capta patria, amiſſis liberis & uxore, cùm ex incendio ſolus, & tamen beatus exiret, interroganti *Demetrio* (cui cognomen ab exitio urbium Poliorcetes fuit) nunquid perdidiſſet? Nihil, inquit, perdidi; omnia mecum ſunt, videlicet virtutes, quas nulla vis hoſtilis eripere quivit. *Plutarchus in Seneca, apud Car. Stephanum in Dict. Hiſt.*

rum conjunctione conſtabiliremus. Spero tamen fore; & tu, Clariſſime Doctor, da operam quantum potes, quò aliquando in Germania te videam, & ulterius tuo fruar convictu. Scis autem nihil me magis in votis habere, quàm ut poſſim Juriſprudentiæ noſtræ ſtudia, ibi nimis jacentia, pro mea virili attollere. Quæ res quantum mihi curæ eſſet, volui abeunti tibi apertius declarare. Accipe igitur primum fœtum ingenii a te formati & eruditi. Conſtitui autem hoc argumentum plenius tractare, nam quæ vides, tantummodo præludia quædam ſunt ad *Juriſconſulti inſtitutionem* (4) prima ſolum manu adhuc delineata, quæ pòſt diligentiore ſtudio per otium excolentur. Eſt autem hîc libellus præcipiti quoque opera excipiente *Hermanno* meo a me dictatus, & quanquam mendis eam ſcatere adhuc ſciam, tamen apud te nihil ſum ineptire veritus, ſoles namque tu nugis meis benignas dare aures. Releges autem, & ipſe, quæ vel corrigenda, vel addenda, vel reſecanda putabis, ſuggeres. Tali nempe *Metio* Judice (5) quodlibet delictum vertere paratus ſum. Ipſe etiam, ut dixi, hoc opus ad incudem revocabo, & reliquum perficere maturabo. Hinc itaque animum meum intelliges, quanto videlicet ſtudio ac affectu ſtudia iſthæc floreſcere cupiam. Quoties autem, Clariſſime Doctor, *Viglio* te oblectare voles, hunc libellum manibus verſabis: Nolo autem ut muneris, ſed monumenti mei loco habeas, alia enim ratione (ſi Deus volet) tuum æs diſſolvam, beneficentiæque non modo tuæ, verum etiam adoleſcentium tuorum optimæ indoli & ſpei reſpondere conabor: Quorum ſane plurima erga me & officia & beneficia extant. Nam & nuper *Joannes Paungartner* ſphæricum annulum dedit & auro pretioſum, & artificio admirabilem, & talis adoleſcentis amicitiâ eò mihi oppignoratâ, longe gratiſſimum. Fœlix autem

(4) *Juriſconſulti inſtitutionem*] Eſt titulus libelli, ut ipſe ſubdit. Sunt autem dialogi, ſeu iſagogici libri. Libri primi, de quo ſolo hîc, interlocutor eſt *Rupilius*, cujus in eo ſententias refert, uti ſcribit ad *Haionem Hermannum* 16. Sept. 1536. quando reliquos nondum perfecerat. *Tom. II. p.* 376.

(5) *Metio judice*] Metius Suffetius, Albanorum Dictator, tempore Tulli regis Romanorum. *Car. Steph. in Dict. Hiſt.*

tem tu talibus discipulis, fæliciores autem illi te Magistro, a quo tam liberaliter jam eruditi sunt, & sub quo quotidie magis proficiunt. Mihi quoque mei auditores eo gratiores existunt, quod ipsis consanguinitate jungantur, & ex eadem stirpe descendentes, ut virtutibus & literarum monumentis similes sese præbeant, tacite admoneantur. Ipse autem injunctum aut obtrusum potius a te mihi munus (6) omni diligentia in formandis eorum studiis egregie absolvere conabor. Et digni erunt spero talibus parentibus, & tali patrono *Antonio Fuggero*, cujus herois virtus in urbe vestra, imo in tota Germania resplendet. Cui velim ut & mea & illorum studia sedulo commendes. Bene vale haud minima nostræ pars, *Franciscæ*, animæ. Biturigibus III. Calend. Septembr. an. 1530.

Ex Tomo II. fol. 52.

EPISTOLA XIII.

ERASMO ROTERODAMO.

1531. *Nuntiat se in Italiam advenisse, ac de via salutasse Baptistam Egnatium, qui de Erasmo honorifice sentit, secus atque alii, Ciceroniani. Quis Lazari Bonamici admirator? Non omnes Itali Erasmi contemptores, qui eum in Italia expectant. Holoander medici ibi imperitiâ interiit. Erasmum optat adesse.*

RElIqui Augustæ apud *Antonium Fuggerum* (1) literas quas ad te in Italiam proficiscens scripsi, eisque te certiorem reddidi de benignissima ipsius in te sibi demerendo

(6) *Injunctum aut obtrusum a te mihi munus*] Non apud Biturriges, unde hæc epistola, sed Patavii quo mox profectus fuit, instituit *Rupilii* quondam discipulos, qui *Henricus* & *Quirinus*, *Rechlingeri*, affines *Fuggeris*, unde ipse *Antonio Fuggero* commendari cupivit. *V. Notas ad Vitam. N. XX.*

(1) *Antonium Fuggerum*] V. Not. ad Vitam. N. XV.

rendo voluntate, & quàm tibi omnia in illius ædibus commoda esse possint, si modò animum ad id tuum inducere velles. Iter autem Italicum ex animi sententia absolvi. Venetiis invisi *Baptistam Egnatium* (2) senem valde facundum, & hilarem, non modò in privata consuetudine, sed & in publica professione. De te is valde amanter rogavit, honorificèque locutus est, propter quod & ipsum pluris facio, & amo magis. Nam cæteri qui hîc aliquid scire volunt, ex eo ferè captant gloriam, quod *Erasmum*, Transalpinosque fortiter contemnant, unum admirantur *Ciceronem*, eosque solos laude dignantes, qui ad ejus imitationem studiosè se componunt. Cum quibus jam aliquoties velitatus sum, sed absque convitio. Ad quod tamen subinde me provocat Germanus quidam qui suo judicio valde sapit, seque proprio præconio egregiè decorat, etsi aliorum plurimorum sententia helleboro nonnunquam indigere videatur. Is sic juravit in *Lazari Bonamici* (3) laudem, ut nullus tam eximiè doctus recitari possit, quin ille illicò occinat, *sed nihil ad Lazarum*. Et me judicium mutaturum ait, idem enim & *Hermanno Frisio* accidisse. Nam qui sic non sentiunt, nihil, inquit sentiunt. An non hoc est semel perfricare frontem? Et, si non ista impudentia est vel arrogantia, certe stultitia sit maxima, necesse est. Ego autem *Ciceronianum* tuum vel hac de causa diligentius relego, ut hoc hominum genus melius retundam: tametsi invitus cum ejusmodi ingeniis in certamen venio. Nequit enim obstinata eorum mens disputatione ulla flecti, quin irritantur magis, contentioneque ipsis ansa præbetur gravius lacessendi, quos venerari debebant. Nec tamen his consentiunt omnes. Et sunt ex ipsis Italis, qui modestiores, minimèque ambitiosi debitam tibi, & totius orbis suffragio, omniumque verè doctorum & syncerè judicantium applausu meritam

(2) *Baptistam Egnatium*] V. Not. ad Vitam N. XXI. Adde, quod ille multo melius dixit, quàm scripsit, & habuerit divinam quamdam memoriam rerum, quas memoriter, jucundèque narrabat, ut est in elogio *Sebastiani Corradi* apud *Bailium*, in Diction. Verbo. *Egnatius*. Obiit octogenarius 4. Julii. 1553.

(3) *Lazari Bonamici*] de quo dixi pariter ad Vitam Viglii, N. XXI.

mandi a me erant magis domeſticis lectionibus, rudimentiſque noſtræ profeſſionis imbuendi, quæ publicè infœliciter traduntur, quod ineptiſſimos quoſque & imperitiſſimos huc, quaſi ad vile aliquod munus, relegant, cùm tamen in omni re, fundamentorum prima præcipuaque ratio eſſe debeat. Atque ut ad præſens ſeculum inſtitutionem accommodarem, dabam antea operam, ut ſeparatas, vulgi judicio, Juris & bonarum literarum diſciplinas, quæ olim conjunctæ erant, & ſemper ſapientiſſimi cujuſque ſuffragio cohærere debent, ipſe conjunctim eis traderem, quod multum ipſis proderit ad faciliorem ſequentium ſtudiorum perceptionem. Satis autem hactenus domi inſtitutos ac ſpectatos in publica nunc majorum profeſſorum theatra eos deduco, delegique ex multis profeſſoribus unum, quem ſtudioſè ipſi mecum audiant. Is eſt *Mantuanus* (3) quidam, acri ingenio, fideli memoria, ea pronuntiatione, quæ attentionem auditorum retinere poſſit: concurrens (ut hîc loquimur) *D. Franciſchini Curtii* (4) ſenis egregii & bene docti; ſed ego alterius diligentiam hujus authoritati præhabeo. *Curtius* in faſtigio poſitus ætatis, opinioniſque dudum quæſitæ præjudicio, ſecurus eſt. Ego illos autem potius audiendos cenſeo juvenibus, qui ad honorem eluctantur, ſuperioribuſque pares eſſe nituntur. Præceptorum enim talium conatus excitant etiam plurimum auditorum ſtudia. Poſt meridiem profitetur *Socinus* (5) quidam hæreditaria Jurisprudentiæ dote inſignis, ſed tamen mirè

(3) *Mantuanus*] Marcus de Mantua Benavites. V. Not. ad Vitam n. XXI.

(4) *D. Franciſchini Curtii*] Ita in ms. Cod. plus vice ſimplici. Agitur de *Franciſco Curtio* juniore, de quo loc. jam cit. Vernaculè vocabatur *Franceſchin da Corte*, quod me docuit Baylius in Dict. Verbo: ALCIAT ad litt. D.

(5) *Socinus*] Marianus, de quo ibid. Erat Alexandri filius, *Mariani* nepos, uti intelligo ex diction. Baylii, verbo: SOCIN (MARIANUS) primo loco. Quare corrige, quod in notis ad Vitam a. XXI. ex *Poggianis* adduxi. Lepidum enim reſponſum ad hanc quæſtionem: *Pourquoi il diſcontinuoit ſes Leçons depuis qu'il avoit une femme*, non huic *Mariano* noſtro, ſed ejus avo tribuit *Baylius*. Noſter hîc *Marianus Socinus, hæreditaria Juriſprudentiæ dote inſignis, ſed tamen mirè in legendo faſtidioſus*, Se-

nis

mirè in legendo faſtidioſus. Malui itaque, quoniam ille concurrentem adhuc non habet, ut tum noſtri canonum audiant profeſſorem, ut & vocabulis peculiaribus ejus profeſſionis aſſueſcant magis ipſorum aures, diſcantque differentiam utriuſque juris, non tantum in rebus, verum etiam in verborum ornatu orationiſque nitore maximam. *Mantuani* autem lectionem ſedulò curo, non modo ut audiant, ſed ut intelligant, ac finitam recitare etiam mihi poſſint, quod hoc pacto efficio. Præſcribo in gloſſis, atque in *Bartholo* quæ diſcere prius debeant; tum exigo ab eis præſcripta, de quibus Doctorem publice diſputaturum autumem, ac quid deinde *Alexander*, *Jaſon*, *Deciuſque* poſt *Bartholum* adferant explico, in dubiis etiam meam ſententiam interponens argumentiſque confirmans. Sic inſtructi prodimus in Scholas quaſi docturi, diſcendi tamen cauſa. Ibi omnia, quia prævisa faciliora exiſtunt: ac de quibuſdam dubitantes, attentius auſcultamus præceptoris exſpectantes judicium. Finita lectione in circulis adhuc aliorum ingenia intelligimus, ac deinde iterum repeto exigoque audita, comproboque & reprobo, & quæ digna memoria ſunt, redigere tum jubeo. Talis autem una lectio ea diligentia audita, mihi crede, mi Domine *Georgi*, maximam adfert utilitatem, ſubigit enim ingenium

nis ortus eſt 25. Martii 1482. & obiit 19. Auguſti 1556. Eſt pater *Alexandri*, & avus *Fauſti Socini* hæreſiarchæ. V. *Baylium* verbo SOCIN (MARIANUS) ſecundo loco, id eſt pag. 227. tom. 4. edit. Holland. anni 1730. Domnus *Bernardus de Montfaucon*, qui in *Diario Italico*, omnia ſequioris ſeculi monumenta ac epitaphia neglexit datâ operâ, neſcio quare unius *Mariani* noſtri exaravit p. 399. his verbis:

Mariano Sozino juniori
Senenſi, vixit ann. LXXIIII.
M. IIII. & D. XXV. Obiit an.
M. DLVI. die XIX. Auguſti
Filii mœſtiſſim. Patri opt. p.

Exſtat Bononiæ, an ante eccleſiam S. Dominici, an in platea, vel in periſtyliis, aliisve Monaſterii locis: id apud *Montfauconium* non reperias expeditum.

genium, penetratque intellectus intima. Porro ob frequentes hujus Academiæ vacationes ſumpſi mihi munus privatim prælegendi ipſis Authentica. Maluiſſem in Græca lingua & contentus eram pancis Grammatica tradere, ſed *Reeblingeri* ſolito magis a me in Juris ſtudium inflammati, novæ linguæ laborem & avocamentum detractabant. Erit autem ipſis in primis fructuoſa illa lectio, & mihi non injucunda, continent enim noviſſima quæque jura, gloſſiſque valde ſunt fœdata, præter atque etiam propter veterem tranſlationem depravatiſſimam. Animus autem eſt mihi hoc quaſi Augiæ ſtabulum repurgare. Patavii anno 1531.

Ex Tomo II. fol. 126. vſo.

EPISTOLA XV.

CAROLO SUCQUETO (1).

1531. *Elegantiſſima, ſed vehementi oratione diſſuadet nuptias cum alienigena, eumque Patavium invitat, luculentam offerens conditionem.*

SCribis ad me, & non tantum poſtulas, ſed etiam flagitas, *Carole*, magna animæ meæ & nunc curarum mearum maxima pars, ſuadeamne, ut puellam nobilem, pulchram, locupletem, quæ & te amat, & quam ipſe redamare te judicas, quæque tibi offertur ultro, uxorem ducas. In quo ſanè ego non dubitarem promptiſſima voluntate tibi obſequi, ſi me ætatis imbecillitas, rerumque imperitia perſpicere ſineret, quid utile inutileve in re tot involuta circumſtantiis, eſſet. Et quidem ſi Rethoricari mihi hîc luberet, latiſſimus ſeſe campus offert in utramque partem differendi, ſed hoc cùm

(1) *Carolo Sucqueto*] Is fuit Flander & Juriſconſultus eximius, ac *Viglio* conjunctiſſimus, uti dixi in Notis ad Vitam N. XVII. *Eraſmo* fuit notus & probatus, a quo ad eum exſtant literæ binæ. *Alciatus* porro ad *Eraſmum* ſcribens de *Viglio* ac *Sucqueto*, *cautus*, inquit, *uterque*, *peritus uterque*, *diſertus uterque*. *Haud mirum*, *bene convenire utrique*. V. inter Eraſmianas Epiſtolam MCXLIII. col. 1322.

cùm ab doctiſſimis ante me viris ſit præſtitum, actum (ut noſtri dicunt) non agam, illud tantum, quod ipſe ſentio, quodque mea ſponte eram ſcripturus, breviter perſtringam. Non dehortabor te itaque omnino ab matrimonii ſpe, neque etiam adhortabor: ſed priuſquam quicquam in re tam ardua tantique momenti illic ſtatuas, etiam atque etiam velim perpendas, quam de te patriæ expectationem excitaveris, quæ quo eſt illuſtrior, eo, ſi quid a te erratum fuerit, graviori te infamiæ ſubjiceret. Quæro autem modò quid ſentiet, quid loquetur, ſi intellexerit, *Carolum*, qui nuper in Gallia tam præclaræ famæ fundamenta jecerit, qui eruditionis excelſa gloria cæterorum omnium lumina videbatur obſcuraturus, cui ipſa jam tacita ſecum primarium dignitatis locum deſignabat, inter Alpes deſediſſe uxoriaque irretitum libidine, omnem patriæ ornandæ, deque ea bene merendi voluntatem pro derelicto habere. Utinam, mi *Carole*, nunquam tui nominis famam patria intellexiſſet. Si illam deſeris, quæ ſtatim ac de tanto fœtu gloriari cœperit, ilico ad palinodiam revocatur, cùm ſe non ſibi, ſed longe diſſitis Alpibus, genuiſſe talem partum intelligat! Quomodo verò matris orbitatem ac lachrymas ſine lachrymis potes animo revolvere? Tu ex tribus filiis primogenitus (2), tu ſpes decusque & ſolatium illius, in te paternam virtutem renaſci videbat, ipſa tibi dudum uxorem, ſibi nurum quærebat, & hujus conſilia irrita facere, hujus gaudia in mœſtitiam convertere non te pudebit? Si quid tibi humanitatis * contigiſſet, in fata rejecta cauſa minus tenerum matris pectus vulneraſſet, at ſi te in voluntarium exilium conjeceris, ſi tam indulgentem matrem, tam tui amantem deſerueris, alienigenisque nuptiis te implicaveris, quid aliud facies, quàm ut illa in perpetuo dolore vivat, vel tua cauſa moriatur, doloris impatientia? Quæriſne ergo a me, an matrem debeas occidere? hoc an te negabis facere, qui tam evidentem illi occaſionem præbeas?

* *Legendum*: humanitus.

(2) *Ex tribus filiis primogenitus*] Secundò genitus *Antonius*, fuit conſiliarius in Parlamento Mechlinienſi, quamvis in Catalogo non reperiatur, ſed ita ſcribit *Val. Andr. in Bibl. Belg.* & in *Faſtis Acad. Lovan.* p. 165. Tertiò genitus fuit *Joannes* ut eſt ibid. Et in variis ad eum Eraſmi literis.

beas? Scis in parricidio non tantum authorem puniri, ſed & conſultorem & conſcium. An itaque illud vis, ut me in criminis tanti ſocietatem, ſi tamen ulla in re turpi ſocietas eſſe poteſt, pertrahas? Sed redibis in patriam cum illa. O! os impudens, tune ſub patriæ oculis, in conſpectu propinquorum, in maternis Laribus, tanta inſignitus nota, ne dicam infamia libidinis, ſtultitiæ, impietatis, audebis apparere? Et mater ſcilicet jam expectat nurum peregrinam. Scis Comicum proverbium, uno animo omnes ſocrus oderunt nurus, & tu tales delitias ad maternas ædes deduces. O! quantam rixarum inimicitiarumque telam texis, quantum incommodorum pelagus ingrederis. Si fortuna eſſet tenuis, poſſes ex Æthiopia uxorem ducere, at cùm parentum omne ſit ſtudium, ut amplum patrimonium liberis relinquant, & tua mater in lautiſſima re ſit: an non merito indignetur, impium, ingratumque filium ſe peperiſſe? Habes avunculum apprimè divitem, eundemque ſine ſuis hæredibus, cujus ab inteſtato lege ad te veniet ſucceſſio, crediſne illi tuum factum placiturum, crediſne illum teſtamentum ſcripturum, atque ad quoſvis potius quàm ad malè morigerum nepotem patrimonium tranſmiſſurum? Omitto iſta quæ longum fuerit recenſere, & quæ ego non ſatis ipſe intelligo. Hoc tantum rogo, ut ipſe ad te redeas, rationemque propriam in conſilium adhibeas, & ſepoſito pauliſper iſto præcipiti, ne dicam inſano, amoris affectu, vide quid agas, quantamque tragœdiam tibi præpares. Sapientis eſt non modo quod præſens eſt aſpicere, ſed meminiſſe quò tua prius conſilia ſemper tendebant, & quod futurum eſt poſt menſem, poſt annum & duos, ubi te ſatietas amoris cœperit, ubi oculos mentis quos mihi amiſiſſe modò videris, recuperabis. Concedo tibi magnum ingenium eſſe, ſed tu vide ſis, an te non pœnitebit eorum, quæ brevis voluptatis cauſa modo facere concupiſcis. Vide autem, an non te levitatis merito accuſem. Hæc enimne eſt fides, quam mihi olim dediſti, cùm iiſdem ſtudiis mutua æmulatione incumbebamus? Nondum vigeſimum quintum compleſti annum, & tam cito a Muſis ad uxorem proripis? Memento quæ una colloqui ſolemus, velle nos in hoc ſtudiorum curſu ad trigeſimum annum incumbere, velle nos inſigni aliquo opere gloriam nobis conſtabilire, deinde

vero

vero in unum nidum non conferre, ubi reliquum vitæ jucunda perpetuaque consuetudine peregeremus. Non convenit libris literisque cum liberis, Musis cum uxore, hanc abdicare debes, si illarum consortium, vis retinere. Tene brevis voluptatis titillatio adeo commovebit, ut libellum repudii tam dulcibus vitæ sociis remittas? Quo tibi novam inducas, dominam, tantamque τῶν κακῶν ἰνιάδα tibi accersas? O admirabilem ingenii constantiam, nostra amicitia tot annis coaluit, & hanc tu extingui patieris, ut momentaneæ libidini satisfacias, totamque vitam doleas? Non possum non in te desiderare aliam mentem, quamquam ne mentem quidem mihi habere videris, pristinam certè non habes, cujus si ulla adhuc in te esset scintilla, non te illis compedibus astringi pateretis, quæ te ab matre, a patria, ab *Viglio*, quem tu olim amasti, separant. Anne te meæ consuetudinis tædet, an tibi parum honesta nostra videbantur consilia? Si non tædet, si probas, quæ olim constituimus, cur tu quæso modò sententiam mutas, neque nuptiis implicas? Ubi? in Sabaudia? Credo hic te mihi de vetustate Augustæ Taurinorum aliquid allegaturum, vel D. Margaritæ nostri Principis amitæ (3) convitium in ea gente objecturum. Non vitupero gentem, sit pulchra & dives uxor, sint magni affines, de his nunc non disputo, de tua persona quæro, tuæ ætati ea con-

(3) *D. Margaritæ nostri Principis amitæ*] Hæc est *Margareta* illa celebris, *Maximiliani I.* Imp. filia, & *Philippi I.* Hispaniarum Regis soror, adeoque *Caroli V.* amita, quæ Delphino Galliarum (qui postea *Carolus VIII.* fuit) desponsata primùm, tum *Joanni* Hispaniarum Infanti, ac tandem *Philiberto II.* Duci Sabaudiæ nuptui tradita, nullam prolem genuit: unde hoc ejus epitaphium legitur apud Ferreolum Locrium;

Ci git Margot, noble Damoiselle,
Deux fois mariée & morte pucelle.

Postea gubernatrix Belgii, ibi usa fuit his titulis in actis publicis: *Marguerite Archiducheſſe d'Autriche, Ducheſſe & Comteſſe de Bourgogne, Douariere de Savoye, Regente & Gouvernante &c.* Lettres de Louis XII. Roy de France imprimées a Brux. 1712. tom. 2. p. 99. 131. Obiit Mechliniæ 1. Decembr. 1532. quod ultimum ignoravit *Menlius de Majoribus Maximiliani II.*

conditio non convenit, aliud expectabat patria, aliud volebat mater, aliò nos tendebamus. Quæ mihi deinceps occasio colendæ tecum amicitiæ? Quæ voluptas absente semper eo quem amo? Quin si tu illic hærere decreviſti, delere te de animo debeo, cùm ego dudum de tuo excidiſſe mihi videar, & cùm non poſſim niſi cum dolore & fortunæ tuæ & amicitiæ, qua numquam frui amplius potero, meminiſſe. Quid eſt cur me in vanum cruciem? Quantam tu, mi *Carole*, fortunam negligis? Nam si omnino animum ad rem uxoriam habeas, poſt aliquot annos, ubi literarum ſtudium, in quo cum admiratione omnium tantum profeciſti, fœliciter abſolveris, ubi in patriam redibis, quis te non generum illic expetat, ubi patris (4) clariſſimi, Equitis, Cæſareique conſiliarii, de Flandria tua optimè meriti, memoria adhuc recens eſt? Ubi tu fortunam habes in ea etiam regione, quæ divitiarum nomine prima cenſetur, ultra vulgarem modum ſplendidam, ubi tot propinquorum, affiniumque opibus affluentium favore munitus eſſe poteris, ad hæc omnia ubi tua doctrina meritum conſequi pretium queat. Viſne quæſo Scholaſticus aliquis literator fieri, & in piſtrinum aliquod te dedere Taurini? Quid enim eſt quod illic expectes? Ubi tu nudus, deſtitutuſque omni auxilio, nullum habebis niſi ex uxore ſolatium. Momentaneæ ſunt ſocrus blanditiæ, affinibus cito putebis, & ut ſemel concludam, non putabam te tam ſtolidum, qui illud vel in deliberationem ponere

(4) *Patris clariſſimi*] Caroli Sucqueti pater, fuit Antonius, Conſiliarius in Secreto Conſilio, de quo *Tomb. des homm. illuſt. p.* 24. „Meſſire Anthoine Sucquet, Chevalier, il eſtoit frere „ de Jean & pere d'Anthoine Sucquet, Conſeillers du grand „ Conſeil, & mourut a Bruges en l'an 1526. giſt en l'Egliſe „ Cathedrale de S. Donas, ou ſe voit encor ſa pierre ſepul„ chrale contenant ſes armes." In *Comp. chronol. Epiſcopor. Brugenſ. p.* 250. & 251. refertur ejus epitaphium e lapide juxta odeum eccleſiæ Cathedralis, ubi annus obitûs biennium diſcrepat: „Sepulture de Meſſire Anthoine Sucket, Cheva„ lier, & Conſeiller de l'Empereur Charles Quint, qui trés„ paſſa l'an 1524. le dernier d'Aouſt, & Dame Iſabeau de Wal„ le, dicte Axpoele ſa femme, laquelle trépaſſa l'an 1533. „ le 26. d'Octobre."

here auderes, an uxorem illic oblatam debeas accipere, id eſt, an pro brevi lætitia ſempiternam ſervitutem, ignominiam, matris, avunculi, propinquorumque omnium, immedicabilemque dolorem tibi ſponte accerſas. Alium quære, ſi tibi adhuc adlubeſcat iſta inſania, qui tibi ejus ſit author. *Viglius* nunquam ſuadebit, nec committet, ut tuo in præſentia affectui obſequens, in poſterum non ſine diris imprecationibus tale conſilium ei exprobres. Quin tu potius, ſi bene tibi conſultum cupis, huc ad nos feſtina, atque in veterum tè amicorum gremium recipe, quo iſtum amorem animo amoveas tuo. An non tu dudum ſpem nobis adventus tui feciſti? Cur ergo nos ludis? An putas hîc tibi defore digna eruditione tua præmia? An nunquam cogitas, quàm tibi fideles ſimus, & quàm benigne omnia noſtra communicâre ſoleamus? Hoc tibi dico; ſi in tempore adveniſſes, pulchrè nos potuiſſe honori tuo, non ſine luculento lucro, conſulere. Omnes autem ex noſtra natione te expectabant, teque omnibus officiis cumulare decreverant. Sed dum illic amores alis tuos, & nos in perfidiæ ſuſpicionem deducis, qui de te multa prædicantes, ſpemque adventus tui facientes, luſiſſe vel fefelliſſe illos videmur. Adhuc autem ſi veneris, aliqua ſpes ſupereſt. *Henricus* enim noſter, cujus erga te ſtudium & voluntatem non ignoras, Conſiliarius eſt ab natione noſtra creatus, iſque multum tibi prodeſſe poteſt, ſi publicè profiteri lubet, cùmque de eo cum illo ſum collocutus, fecit mihi pleniſſimam fidem, modo adveneris, centum ſe coronatos (5) tibi impetraturum, idque, niſi effecerit, ſoluturum ſe affirmat, hoc & ex ipſius epiſtola cognoſces. Privatim vero ſi operam aliquam impendere amicis ſtudioſiſque velis, non deerunt alteri centum. Quamobrem quæſo, mi *Carole*, abjice animum a nuptiis, atque huc te quam citiſſime confer. Hoc iterum atque iterum rogo, ſi tuam ſalutem, famam, ſi te ipſum, ſi *Viglium* amas. *Rupilius* noſter eſt Venetiis, brevi ad nos rediturus. Ab *Eraſmo* nonis hujus menſis accepi literas, is ſignificat ſe nondum habuiſſe tabularium ut ad te reſcriberet,

(5) *Centum coronatos*] Alibi ſcribit, Venetos in profeſſorum Patavinorum honoraria, octo ducatorum milia erogaſſe quotannis. *Tom.* 2. *p.* 58.

ret, mirarique quid illic veneris; si non veneris, curabo ut tibi Epithalamium scribat, sed non quale tu fortasse desideras. Hæc volui, charissime *Garcie*, paucis respondere literis tuis. Et cùm habere me aliquid serii negotii *Henrico* significassem, suasit impulitque, ut ad (*te*) proprium nuntium mitterem, quo de tua voluntate certior fieret, nam alii sunt, qui ejus gratiam studiosè ambiunt, quos omnino repellet si tu certam adventûs tui spem feceris. Quamquam desine nos deinceps spe inani lactare. Ipsum te fac videamus, si nos tecum salvos vis esse. Vale. 26. Augusti anno 1531. Patavii.

Ex Tomo II. fol. 154. vso.

EPISTOLA XVI.

CAROLO SUCQUETO.

1531. *Suam de amici valetudine sollicitudinem anxie prodit, amoremque testatur blandissimis verbis.*

QUando tandem, anime mi, diuturnam istam solicitudinem mihi adimes? Quando te pristinæ valetudini restitutum intelligam? Interea dum tu illic decumbis, ego hic vivus, valens, videns, lachrymis tantum non consumor. Testes mei affectus multos hîc habeo, qui & commune malum una dolent, & suo dolore meum etiam exasperant. Hoc mihi crede, multas insomnes duxi noctes, tuæ ægritudinis periculo perculsus, perterritusque. Quid tibi hîc recitem querelas, quibus me exanimabam cùm extrema de te mihi *Schalengius* nuntiabat. Sicne tam dulcis, fidelis, charæ animæ consortio vita mea privabitur? O! crudelis genie, cur me tam arcto vinculo amicitiæ colligasti, si hoc tam cito abrumpere voluisti? Cur quos in vita socios esse jussisti, non sinis & fati esse participes? Hæc dum ego continuis lamentationibus mecum repeto, ecce *Renicus* vivere te nuntiat. Minuit autem ille dolorem, non sustulit sollicitudinem, etenim cùm manus adhuc officium non faciant, qui queam esse securus? Obtestor te per amicitiam nostram, habe valetudinis diligentem rationem, daque operam, ut istius mali prospe-

sperum videamus exitum, nisi nos perpetuo mœrore vis conficere. *Schalengio* libros tuos tradidi, sic enim per *Ronicum* jussisti. Non est nunc tempus, ut de consiliis tuis tecum litigem, quæ quantum mihi placeant, vel potius displiceant, satis declaravi. Utinam hic esses, ut quæ cupio, coram tecum agerem, hîc te foverem, te consolarer, & animum dejectum erigerem. Cur mihi hæc officia invidisti? Ægrotare te non volo, sed tamen si necesse est, ibi malim, ubi te queam mea opera & ope sublevare, adjuvare, amplexari. Iterum rogo etiam atque etiam cura ut valeas. Inprimis vero animum confirma, cogita ea quæ te oblectant, tristia ex animo rejice, tum vero cura, ut corpus moderata diæta foveas. Si defungi hoc morbo poteris, salubrior postea aliquot annos vives, quod ut cito fiat Deum opt. Max. enixè precor. Amici omnes recte valent, idemque tibi optant. Ubi intellexero te tibi restitutum, lætiora, & plura scribam. Bene vale animæ plusquam dimidium meæ. Patavii pridie D. Catharinæ 1531.

EPISTOLA XVII.

ANTONIO SUCQUETO.

Ex Tomo II. fol. 63.

De fratris Caroli morte suum eleganter dolorem testatur, ejusque elogium scribit, petitque defuncti lucubrationes conservari. 1532.

COnsolerne te, an meas ipse lachrymas in tuum sinum effundam, Charissime *Antoni*, haud satis equidem scio. Justissimus enim dolor mentem pœne mihi ademit; nam qui mihi constare queam, parte ea animæ meæ amissa, qua ego mihil charius habui, nihil fidelius, nihil delectabilius, in hac vita sensi? Te testor, qui fratris animum cognitum habuisti, quàm ille me amarit, ego verò illum vincere in eadem arena studui. Hoc credo nec illi ullum me chariorem fuisse, nec ullum mihi illo, excipio quorum natura nobis affectum ingenuit. Quanquam ego fratris consanguinei mortem æquius fuissem laturus. Quantum autem mihi fuit ju-

cundior ex vivente fructus, tanto vehementior est ex defuncti desiderio acerbitas. Et hæc nos tantum benevolentiæ mutuæ proæmia esse volebamus, conveneratque, firmata ærate & constituta utriusque fortuna, celebrem aliquando amicitiam nostram reddere, & inter cariſſima amicorum exempla nomina proferre. Tantum fructum, tantas spes, crudeles Parcæ tam immaturè præsciderunt. Omitto quæ ad me privatim pertinent. Quantum in eo Flandria amisit! Quæ certe nullum impræsentiarum generosiorem fœtum alebat. Quanta enim in illo indoles, quàm dexterum ingenium! Quanta fœcunditas, prudentia, gratia! Quæ styli fœlicitas, quàm exacta & syncera juris scientia! Quod in tenebricosis legum ænigmatis erudiendis & elucidandis acumen! Et hæc omnia in ea ætate, cui Prætor lapsæ adhuc subvenire solet. Scio cùm hæc commemoro, lachrymas me tibi excitare: sed quid vis? Nec ipse hæc sine suspiriis scribo. Utinam paruisset meo consilio, qui a fatali Taurino toties eum revocare sum conatus. Sic enim eum salvum adhuc victurum autumo (nisi omnia in fatis ponere volumus) sic & tuis rebus consuluisset, nec amicos in acerbissimum luctum conjecisset. Quod de animo ipsius a te alienato conquereris, non possum credere. Quin potius arbitror, præsagam mentem inde te voluisse deterrere, unde sibi malum impendebat. *Cornelio* subiraſcor qui de ejus morte nihil ad me. Rogo, mi *Antoni*, ut quæ commentatus est, quæque annotavit, ea cures diligenter conservari, quo aliquando videamus unà si quid erit quo ipsius memoriam conservemus. Cum *Renicus* apud eum esset, convalescere videbatur, nondum tamen valetudo ferebat, ut quicquam ad me scriberet, tantum jubebat, ut libros cuidam Taurinensi Scholastico ad se curandos committerem, quod ex *Florentii* & aliorum amicorum consilio feci. Cujus me modo pœnitet, vereor enim ne illo mortuo pereant, quanquam eos potes ab *Cneiselio* exigere, ad quem eos perveniſse arbitror. Velim etiam, mi *Antoni*, cures, ut epistolas quas diversis temporibus de variis ad eum rebus, de jocis, seriisque dedi, conquiras, nec in aliorum manus venire sinas, hoc enim mea valde interest. Vale, mi *Antoni*, & si quod de rebus ipsius habeas, fac me certiorem quæso. Patavii VI. Calendas Januarii 1532.

EPI-

EPISTOLA XVIII.

Ex Tomo II. fol. 66.

CLAUDIO PEUTINGERO (1).

Gaudet de reſtituta Claudii valetudine. Alciatus haud ægre fert quod is alibi doctoris lauream acceperit. Scribit ſe profiteri Inſtitutiones *Patavii, ac Carolum Sucquetum obiiſſe. Interrogat de Melanchtone circa tempus reſtituti juris Civilis. Excitat Claudium ad perſequendum antiquitatis ſtudium.* 1532.

ETſi literas tuas gratiſſimas ſemper habuerim, *Claudi* chariſſime, non tamen adeo fui inhumanus, ut tum eas efflagitarem, cùm te periculoſo morbo impeditum intelligerem, & vota potius pro tua valetudine facerem. Neque enim nos hic latuit Spiræ te decumbere; ac tuam vicem graviter ferebamus, eoque nunc nobis fuit jucundius, ex literis tuis reſtitutum te intelligere. Spero autem te deinceps ſalubriorem fore, cùm Italicas epulas hoc morbo concoxiſſe autumem, quæ prius ſtomachum tuum nimium gravabant. Scripſi nuper ad te pauca per *Conradum Heresbachium* (2) atque is cùm parentem tuum noſſe cuperet, amicitiæ noſtræ fiducia auſus ſum per literas illum ei commendare. Hoc factum meum cùm ſit ſatis impudens, velim, mi *Claudi*, ut tu apud parentem excuſes. Quanquam ego nihildum intellexi an ille Auguſtæ fuerit. De te cùm nuper ad *Alciatum* ſcripſiſſem, hæc ille reſpondit: *Quod Claudius Peutingerus a Cato inſignia ſuſceperit, mihi quidem non minus jucundum* * *eſt, quam ſi de mea manu. Scis enim mihi cum ipſo Cato non vulgarem eſſe amicitiam.* De illo huc accerſendo propè confecta res

* *Adde Tè* ferè, *ut eſt in epiſt. Alciati infra.*

(1) *Claudio Peutingero*] Is erat Auguſtanus, *Conradi*, (qui Imperatoris *Maximiliani I.* Conſiliarius fuit) filius; anno 1533. Auguſtæ in ordinarium procuratorum album adſcriptus fuit, ut prodit *Vigilius* tom. 2. p. 209.

(2) *Conradum Heresbachium*] Conſiliarium Ducis Clivenſis, de quo diverſa videri poſſunt in *Eraſmi* epiſtolis.

res a nobis erat, nisi quod ille non ex animo videtur hoc affectare. Me verò nescio quæ etiam mens hic in munus invidiosum conjecerit. Profiteor enim publicè & quidem *Institutiones* (3) atque hunc annum extremum studiis meis proposui, postea enim in animo habeo aliò me flectere. Et a Spira non abhorrebam. Sed multos audio de valetudine periclitari, qui illuc se conferunt. Rogo tamen ut tuam sententiam mihi scribas, quid ipse sundeas. *Carolum* amicissimum studiorum meorum, sodalem nuper, magno & incredibili meo dolore, amisi. Diem enim Taurini functus est. *Cneiselius* illi adfuit morienti, atque antea illo autore adjutoreque honestam conditionem adeptus est. Quem tamen minor nihil mihi adhuc de charissimæ animæ obitu scripsisse. Valde scire aveo quos autores habeat *Philippus Melanchon* qui de *Lothario Saxone* (4) hoc cujus meministi scripsit. Hoc certum est, circa ejus tempora revocatum in lucem jus civile sive Romanum. Et plerique etiam Bononienses, Academiæ auspicia ab illo deducunt. Diligentiam tuam in eruenda rerum temporumque priorum memoria laudo & amo, rogoque, ut pergas. Nullum enim studium delectabilius, nullum utilius, nullum honestius. Nec quisquam est qui te hoc possit melius efficere. Præter enim optimorum librorum inæstimabilem thesaurum, vivam habes Bibliothecam in parente viro doctissimo, peritissimoque, qui ubi tuum studium intellexerit, non minus lubenter tibi tradere cupiet, quàm tu percipere desiderabis. Vale, *Claudi* Charissime, parentique meo plurimam a me salutem. Patavii VI. Calend. Januarii anno 1532.

(3) *Institutiones*] Ad hoc profitendi munus promotus fuit procurantibus *Christophoro*, & *Othone Truchsesio*, juris tunc studiosis, amborbus postea Cardinalibus; quod in *Vita* sua ipse non adnotavit, sed prodidit *Adrianus Gaudanus*.

(4) *De Lothario Saxone*] Quid a *Melanchtone* expectarit *Viglius*, non liquet, sub illo porro Imperatore revixisse jus Justinianæum, excitatamque fuisse Bononiensem Academiam, leges apud *Ja. Vinc. Gravinam de ortu & progr. Jur. Civil. p.* 74. & 75.

EPI-

EPISTOLA XIX. (1).

Ex fasciculo Epistolarum A. Schurtii.

ANDREÆ ALCIATI.

Clariſſimo Legum Doctori, Domino Viglio Zuichemo Phryſio amico optimo.

Patavii.

Nuntiat epiſtolam Viglii ſibi redditam. De Patavienſi negotio, quò annitente Viglio, ad profitendi munus evocandus erat. Curtius competitor quid ambiat. Marianus Socinus quid effutiat; quid Salvator olim. Circularibus diſputationibus & Scholaſticorum irreverentia non ſe terreri, ait. Gratias agit pro officio per Viglium ſibi impenſo. 1532.

CUm jam lapſis duobus ſuperioribus menſibus nihil literarum a vobis recepiſſem, exiſtimavi Patavinæ iſtius profeſſionis negotium (2) evanuiſſe, nihilque per vos confici potuiſſe, quum ecce uno tempore ad me ingens epiſtolarum faſcis: quas inter & tua. (3) Ain' verò voluiſſe *Alexandrinum* & iſthic taratantaras (4) ſuas inflare? Non ſpirat igitur amplius ἐμπνεῖσιν αὐτοῖς, ut in carmine Græco eſt? Exiſtimavi poſtquam uxorem Auguſtæ Taurinæ duxit, non eſſe eum alio iturum. Non dubito tamen quin Cur-

(1) Epiſtola XIX.] Hanc edimus poſt *Andream Schurium in epiſtolar. faſcic.* qui profitetur ſe eam ex autographo dare.

(2) *Patavinæ profeſſionis negotium*] Baylius contendit ex *Voſſio*, totum hunc *Alciati* conatum ut Patavium evocaretur, merum fuiſſe dolum, ut a Rege Galliæ largius atque uberius ſtipendium promereretur.

(3) *Quas inter & tua*] Hæc *Viglii* ad *Alciatum* epiſtola intercidit.

(4) *Taratantaras ſuas inflare*] Taratantara nomen fictitium eſt, ſic dictum a ſono quem facit. Eſt enim inſtrumentum quo farina colatur. *V. Gloſſ. du Cange.* Hic accipitur pro *murmur edere, turbas ciere* aut *tumultum facere. V. Du Cange.*

Curtius manibus & pedibus elaborarit, ut illic potius eligeretur; fuit enim in ejus domo παιδευτὴς, ſcitque nihil ſibi ab eo periculi imminere. Solùm timet ne qua ſibi à Septentrione oboriatur tempeſtas: qua tamen in re nihil eſt quod dubitet: quandoquidem ejus ego canos veneror, & plurimum etiam doctrinæ tribuo. Adde quod, ut ſcribis, minime mihi ipſe ἀνυποφίατος proponitur. Cùm enim quatuor hiſce annis omne id effuderit, quod matutinis profeſſionibus paraverat, nunc pomeridianam lectionem ambit, ut citra laborem, quæ in eam quoque partem juvenis repoſuerat, in medium proferat: ne *Ovidiano* illo carmine denotari poſſit:

Quæ dixit nobis, dixerat ante mihi.

Quod non ideo ſcribo, ut conſilium ejus damnem: ſed ut intelligas non ſolùm aliis, cùm de jure reſpondet, ſed etiam ſibi eum cavere. Illud mirum, cur *Marianus* ipſe adeo in me debacchetur, ut dicat nec legendo nec conſulendo me umquam bonum jureconſultum præſtitiſſe. Compertiſſimum mihi, nullum unquam vidiſſe eum conſilium meum. Collectanea lectionum forte vidit, præſertim quæ in Tractatu de *Verborum obligatione* jam diu edita ſunt: & tamen cum eam partem profiteretur, qui ipſum audiebant, mihi retulerunt, non ſolitum eum tale judicium ferre: ut appareat novæ hujus conditionis invidia hominem morum, hujusmodi nunc comminiſci. Effutiebat tales nugas & *Salvator* priuſquam huc venirem, humanitatisque profeſſorem me vocabat: at poſtquam huc appuli, tum cœpit intelligere quid lupinis diſtarent æra. Nuper ergo vendita domo, abrenuntiato honorario & regentium munere, Gratianopolim cum omni familia ſe contulit, ibi patrocinaturus, id eſt, ut ego interpretor, eſuriturus. Quod jam prenſationes iſtorum & πράξεων euripos cœperis intelligere gratulor & tibi & mihi: ſcio enim, ſi iſthuc veniam, fore ut ex uſu meo ſint: theſauroſque hoſce in utilitatem meam recludas, & illuſtres illos, quorum mentionem feciſti, ad me allicias. Quod admones, ut cum tantopere † hîc expecter, profeſſionem * meam maturem, ne ſcilicet interim præoccupentur a rivalibus auditores, ad ſuaſque diatribas perducantur, recte tu quidem. Sed cùm adhuc mihi cum Republica Veneta non con-

† *Lege*: iſthic. *nempe Patavii.*

* *Num quid melius*: profectionem.

convenerit, non est quod hinc me tam properè submoveam, & omissis certioribus, ambiguam spem sequar. Cur autem adhuc convenire † non possit, ex literis cognosces, quas ad *Rupilium* dedi. Oportet ut illæ sint nobis tanquam canon in hoc negotio. De circularibus disputationibus, Scholasticorumque irreverentia, memorem mones: hujusmodi mihi leviter curæ sunt: fecimusque in eis quoque aliquem usum, ut novi mihi quidquam contingere non possit. Ex plurimorum literis accepi, qua facundia præfectos Gymnasii accenderis, ut me aliis præferrent: quo nomine ago tibi gratias. Tametsi satis sciebam numquam te in laudibus meis prædicandis cessare: unde ne nunc quidem cessaturum conjiciebam, quo maxime tempore præconio mihi tuo opus esset. Vale. Biturigibus v. Idus Septembris. M. D. XXXII.

† *Videtur legendum*: convenire.

ALCIATUS *tuus.*

EPISTOLA XX. (1).

ANDREÆ ALCIATI.

Ex Fasciculo epistolarum Andreæ Schurii.

Acutissimo Doctori, Domino Viglio Zuichemo Phrysio amico optimo.

Patavii.

Suum erga Viglium amorem profitetur. Operam suam non minoris quàm millenis vult aureis locare. De Claudio Peutingero. Emblemata ejus emendanda. Quem tractatum explicaturus sit. An frequentes auditores habiturus. 1532.

SCripseram ad te proximas literas, quas Mediolanum ad matrem misseram (2) quod inde facilius nuntii reperiantur,

(1) *Epistola XX.*] Et hanc quoque ex autographo se edidisse profitetur *Andreas Schurius.*

(2) *Misseram*] & infra *missi* ac *remisit*. Ita scribit *Alciatus*, inquit *Schurius*, & se tacitus aufert. Et ego, ut hisce locutionibus autoritatem adferam, non habeo.

tur, qui iſthuc veniant: cum ecce ad me alias tuas, veteriores quidem quàm quibus noviſſime reſponderam, ſed quæ in itinere diutius ſubſediſſent. Agis in eis mihi accurata meditataque oratione gratias, quod te abſentem amare pergam; hacque in re eloquentiæ tuæ fontes omnes profundis. Ad hæc ego breviter reſpondeo: quòd te amem, & lubens omnibus officiis ſim proſequuturus, merito id me tuo facere. Gratias hanc ob rem mihi ullas non deberi ſcio, ſed ſolum mutuum amorem: quod te præſtare nec dubitavi umquàm, & magis magiſque indies cognoſco. De Patavienſi hoc negotio ſcripſi ad te prioribus literis, iccircòque non arbitror operæ pretium eandem adhuc cantilenam canere. Ego non arbitror ex re mea eſſe, minoris operam in eam locare quàm millenis, & quidem equeſtribus χρυσοῖς. Tametſi & non adeo hac in re ſim obſtinatus, quin amicis dedam manus, ſed vix eſt ut hoc anno extricare me ab hiſce vervecibus poſſim niſi quod hactenus fecerunt, adhuc procraſtinentur, & mihi ante proxima Dionyſia non faciant ſatis. Eo in caſu in Italiam reverterer, commodiuſque pertractarem quod agendum eſt. Quare vos interim nolite iſtis præcidere, ſed quoad ejus fieri poterit, rem ſuſtinete, ſpe alite. Quod *Claudius Pentingerus* (3) a *Cato* (4) inſignia ſuſceperit, mihi quidem non minus jucundum ferè eſt, quàm ſi de mea manu. Scis enim mihi cum ipſo *Cato* eſſe non vulgarem amicitiam. Cuperem cùm iſthac tranſiit ut in Germaniam reverteretur, ei *D. Franciſcus* errata Emblematum (5) tradidiſſet: ut impreſſor tametſi ſerò emendaret tamen, quæ magna

(3) *Pentingerus*] Lege: *Peutingerus*; de quo in ſuperiori quadam epiſtola *Viglii* ad ipſum *Peutingerum*. *Scburius* nullos novit homines.

(4) *Cato*] Nec hunc reperit *Scburius*. *Ludovicus Catus* docuit in Univerſitate Ferrarienſi, & juris utriuſque lauream contulit *Claudio Peutingero* ac *Leonardo Langemantello* Auguſtanis, *Viglii* ſodalibus. Scripſit librum, neſcio quem, ad *Alciatum*, cùm in Gallia Ducis Ferrarienſis apud Chriſtianiſſimum Regem Orator eſſet. Scripſiſſe teſtatur *Viglius*. Epiſtolar. tom. 2. pag. 204.

(5) *Errata Emblematum*] Hæc emblemata magni æſtimata ſunt a viris doctis. *Jul. Cæſ. Scaliger*, non prodigus laudis, ea

magna cum nominis mei nota peccaverat. Ut poſtquam *Prometheï* (6) eſſe non potuimus, *Epimetheï* (7) ſaltem fieremus, & ſapere denique videremur. Miſi autem ea errata ad ipſum *Rupilium*, hiſce literis quas menſe Junio ad eum dedi. Hoc anno de *Verborum obligatione* Tractatum, ſi hîc profitear, explicaturus ſum: eis legibus exceptis, quas aliàs latinè excolui: videturque mihi fore, ut magnam ejus materiæ partem poſſim abſolvere. Gymnaſium mihi non arbitror frequentiſſimum fore, propter peſtilitatis timorem: quæ tamen ſanè plurimùm remiſſit. Sunt tamen qui frequentius futurum divinare velint, quòd proximæ Univerſitates ſint exinanitæ, nuſquamque vel triobolares (8) adſint magiſtri. Hîc de Turca magnus omnino eſt rumor, nihil certi. Puto apud vos omnia eſſe certiora. Si quid novi iſthic edatur, aut fiat, quæſo, fac me certiorem. Vale. Biturigibus III. Octobris M. D. XXXII.

ANDREAS ALCIATUS *tuus.*

ea talia ſunt, inquit, *ut cum quovis ingenio certare poſſint. Dulcia ſunt, pura ſunt, elegantia ſunt: ſed non ſine nervis; ſententiæ verò tales, ut etiam ad uſus civilis vitæ conferant.* Apud Baylium in Dict. hoc art. ad litt. M.

(6) *Prometheï*] Hæc de fabulis deſumpta ſunt poëtarum. Prometheus Japeti filius, Deucalionis pater, Minervæ opera in cœlum ſublatus, cœleſtem ignem dicitur eſſe furatus, quo luteum hominem a ſe fictum accendit, animavitque.

(7) *Epimetheï*] Epimetheus frater Promethei, qui & ipſe luteum hominem diſſimili manu finxit. Quare autem Alciatus, Epimetheus malit eſſe, quàm Prometheus, non ſatis aſſequor, cum hujus ſors felicior fuerit ſorte illius. Prometheus vinculis tandem ſolutus fuit Jove Herculem mittente; Epimetheus autem a Jove in ſimiam verſus in inſulas Pitheculas relegatus eſt. *V. Carol. Steph. in dict. hiſtor. & Jacob. Vanierium in poëtico.*

(8) *Triobolares magiſtri*] Vanitatis & gloriæ perquam cupidus habitus eſt *Alciatus*. Vide Baylium ad litt. G.

Ex Tomo II. fol. 70.

EPISTOLA XXI.

ANDREÆ ALCIATO. (1).

1532. *Qui de Alciato ſparſi rumores. Narrat profeſſorum Patavinorum altercationes, ipſe ad Inſtitutionum profeſſionem promotus. Explicat quid pro illo Patavium accerſendo ſit actum. De Bembo & Egnatio.*

BInæ abs te literæ mihi redditæ ſunt, Clariſſime Præceptor, eodem penè tempore, niſi quod eæ quas prius ſcripſeras poſterius acceperim. Earum verò nos ſummo tenebamur deſiderio, quanquam ipſum te videre magis optabamus, atque etiam ſperabamus uti tui expectationem penè publicam feceramus, ubique tua fama excitata, ut & parietes & pulpita Scholarum tuas laudes loquerentur, te vivere & florere (ſcis enim Italicam conſuetudinem) proteſtarentur. Interea vero varii de te ab æmulis ſparſi rumores, aliis aſſerentibus novis te in Gallia conditionibus aſtrictum, aliis Ducis Mediolanenſis mandata proferentibus, quibus te ad Papienſe Gymnaſium reſtituendum accerſitum ajebant, aliis alia comminiſcentibus. Quæ etſi nobis moleſta erant, eo tamen nomine

(1) *Andreæ Alciato*] Ad N. XVI. Vitæ Viglii dixi, hunc nobiliſſimum Jureconſultum, (uti a *Spondano* vocatur ad an. 1550. n. 12.) notiorem eſſe, quàm ut a me exornari debeat, aut poſſit. Videatur *Bayle in Dict.* ubi inopem te copia faciet, ut non ſit neceſſe recurrere ad paucorum verborum ſcriptores *Fichardum* & *Panzirolum*, aut ad *Thuani* narrationem, quos *Baylius* confutat. Lis eſt de ætate quam impleverit *Alciatus*, & de anno quo hac vita defunctus ſit. *Miræus* annum mortis ſtatuit 1548. *Joannes Imperialis* 1559. Alii alium. En epitaphium ex Sweertio, quod exſtat Ticini in æde S. Epiphanii: *Andreæ Alciato, Mediolanenſi, J. C. Comiti, Protonotario apoſtolico, Cæſareoque ſenatori, qui omnium doctrinarum orbem abſolvit, primus legum ſtudia antiquo reſtituit decori. Vixit ann.* LVII. *Menſ.* VIII. *D.* IV. *Obiit prid. Id. Januar. Anno* M. D. L.

nè placebant, quod conjunctam laudem tuam habebant. Cujus ſtudium ſemel nos profeſſi numquam deponemus. Hoc ſcito nullius hoc anno æquè celebratum nomen extitiſſe in hac Academia, atque tuum. *Marianus Socinus* valde ſibi timebat. Collega *Arrigutius* ambitione illius victus, verbum de te nullum. Inter hos proximis diebus acriter in circulis altercatum eſt, ac illa legatorum, fideicommiſſorumque concordia, graviſſimas inter ipſos diſcordias excivit, nam in eandem controverſiam ſemper piſtilli in morem revolvebantur. *Curtio* remiſſa privilegio fuit diſputandi neceſſitas, nec impetrare tamen poterat, ut poſt meridiem legeret. Itaque factus eſt merus recitator eorum quæ edidit; nec verbum addit, cùm tamen alii in repetitis prælectionibus, novum ad ſcripta ſua adferentes judicium, pleraque rectius tradere ſoleant. Audi modo quid ego ex tui negotii procuratione lucri acceperim. Cùm antea hic mihi & Muſis canerem, cœpi, dum tuum promovere nomen ſtudeo, aliquibus unà innoteſcere. Itaque cùm alter ex iis diem functus eſſet, quibus *Inſtitutionum* provincia mandata erat, ego ſucceſſor deſignatus ſum, ſuadentibuſque & impellentibus amicis aſſenſi. Et hactenus meo munere ſatis feliciter ſum functus, tametſi adverſarium habeam doctum quidem, ſed non minus ambitioſum, atque etiam civem Patavinum, domeſtico favore munitum. Didici itaque & ipſe in circulis altercari. Rectorem nacti ſumus non ſat cauſæ tuæ faventem, agitatque de revocando *Pariſio* (2), ſed fruſtra quantum adhuc colligo, cùm nulla apud Præfectos Gymnaſii gratia polleat. Credo autem eſurire hominem, & expectare, ut nos aliqua pollicitatione in noſtram ipſum ſententiam deducamus, ſed res non amplius penes eum eſt, & Advocatum habemus *Fœdericolam* quendam qui Venetiis poſtulandi munus exercere cœpit. Et ſi quid opus eſſe intellexerimus, illius favore aliquam inveniemus rationem, qua ab ipſo impetremus ne cauſæ noſtræ obſit.

(2) *Pariſio*] Is eſt *Petrus Paulus Pariſius* qui ob celebrem jurisprudentiæ famam, in nobiliſſimis Italiæ cathedris ſpectatus fuit, ut eſt in ejus epitaphio apud *Miræum in ſcript. ſec. XVI. apud Fabricium p.* 148. Fuit poſt S. R. E. Cardinalis & obiit an. 1545. ætat. 72.

obsit. Vellem autem te Mediolani esse, sic enim nobis liceret crebrius te omnium rerum certiorem facere. Cætera *Rupilium* ad te scripsisse non dubito. *Bembus* tibi ex animo favet. Sed inter ipsum & *Egnatium* simultas est. Alioqui communicato consilio rem possent perficere σύντε δύ' Ἐρχομένω. Cæsar Bononiæ est, & cum Pontifice consulit magnis de rebus agundis. Vix arbitrantur eum in Concilium consensurum. Sed certi nihil scribere licet, tantum est hîc de omnibus rebus silentium. Vale & tui studiosissimum discipulum vicissim ama. Patavii. Octavo Calend. Januarii an. 1532.

Ex Tomo II. fol. 73. vso.

EPISTOLA XXII.

ERASMO ROTERODAMO.

1532. *De accepta ab Erasmo epistola exultat. Egnatium Venetiis audivit. De Asulani taberna. De Lazaro Baysio, Patavinisque professoribus. De Ludovico Cato ac Alciato Patavium evocandis. Matthæus Curtius Medicinæ, Lazarus Bonamicus bonarum literarum ibi professores. Petrus Bembus magis Italicè quàm Latinè loquitur. Quas ædes ipse Patavii inhabitet, in quas Erasmum invitat.*

EPistola tua, eruditissime *Erasme*, quam mense Novembri ad me scripsisti, Calendis Januariis mihi est reddita, quam profectò loco gratissimæ strenæ accepi, unde etiam ominor hunc annum mihi ad tuum amorem retinendum confirmandumque feliciter processurum. Ego nihil sciens omittam, quod tuam benignitatem alere atque augere erga me possit. De itinere meo jam antea ad te scripsi. Venetiis solum *Egnatium* variis adhuc negotiis implicitus, atque etiam ignotus, & linguæ ignarus conveni. Audivi te profitentem illum, sed surdis pleraque auribus: cùm Italicas fabellas (1) lectio-

(1) *Italicas fabellas lectionibus* &c. *Baylius* in Diction. non observat, quod *Viglius* hîc prodit; contentus docuisse, *Egnatium* disertissimum fuisse, eruditissimum, & felicissimæ memoriæ virum.

lectionibus prolixe admiscere soleat, latino tamen sermone non minus facundus ac disertus. Sed sic captare videtur nobilium auditorum benevolentiam, apud quos scilicet vernacula lingua pretium non mediocre obtinet. In *Asulani* taberna (2) sordida prostat opulentia. Adeo nihil habent nasi, vel si odorantur, næ te illi verissima scripsisse comprobant, quibus & ejuscemodi lucri bonus est odor. *Lazarus Bayfius* (3) Oratoris illic munere adhuc fungitur, & *De navibus* opusculum habet in manibus. Proximis diebus Venetias redire constitui: tum dabo operam, ut omnia melius investigem. Patavii non illubentes habito: & professores Juris Civilis abunde mihi satisfaciunt, magna enim diligentia contentioneque auditorum studia accenduntur, humanioris tamen literaturæ plane rudes. Agitur de advocando quodam *Ludovico Cato*, viro in jure bene erudito, & in melioribus literis, si non docto, saltem imbuto. Is, me in Gallia agente, Ducis Ferrarienſis apud Christianissimum Regem Orator erat, ubi eum leviter novi. *Alciatus* rediit Biturigas, quem illic & auditorum ob proximam pestilentiam raritas, & civium perfidia, qui nescio quid de salario tergiversantur, offendit. Itaque ad nos scripsit, paratum se in Italiam redire, si honorarii justi & certi spes fiat. Quod a nobis sedulo procuratum est: eoque jam rem deduximus, ut Senatus Venetus conditiones obtulerit. Sed vereor ne frustra conemur, illeque id tantum agat, ut ostensis rivalium pollicitationibus, ad promissorum observationem Bituricenses cogat facilius. Medicinam hic antea est professus *Matthæus Curtius*, frater ejus, qui princeps Jurisconsultorum hîc habetur. Is

seram

(2) *In Asulani taberna*] Andreas Asulanus, de quo alibi me dixisse memini, Italus, ac socer *Aldi Manutii*, fuit typographus Venetus, & procuravit Græcam LXX. Interpretum editionem, de qua si lubet, *vide Le Long Bibl. sac. tom.* 1. *p.* 186. *col.* 1. *lit. B.*

(3) *Lazarus Bayfius*] Quis ille sit frustra quæsivi. Inter Erasmianas Epistolas est una, numero 939. inscripta *Lazaro Bayfio*. Et in Epist. 981. col. 1120. novissimæ editionis, hæc verba lego: *Lazarus Bayfius dedit nobis elegantissimo libello genera vestium, brevi daturus vasa culinaria.*

ſeram quidem, ſed tamen non inanem operam, Græcis literis impendit: Eoque nomine facilè primas hic partes inter Symmiſtas obtinebat. Sed eo Romam pridem evocato nemo adhuc ſuffectus eſt, cujus doctrina Medicinæ ſtudium hic celebretur. *Nicolaum Leonicenum* (4) ſuperiore anno ſcis ex humanis diſceſſiſſe. *Lazarus Bonamicus* inter literarum Latinarum & Græcarum profeſſores præcipuè probatur: ſed a non ita multis in factionem Ciceronianam devotis ac juratis. Qui hic Patronum habent *Petrum Bembum*, quem ſemel atque iterum ſalutavi: ſed aſſuevit magis Italicè loqui, atque eam ob cauſam minus mihi ſæpe illo frui licet. *Sucquetum* noſtrum huc tendentem intellexi Taurini ſubſtitiſſe. Ego cum Auguſtanis adoleſcentibus ſplendidam hic domum conduxi, quæ eſt *Contarenorum*, ab aviculis cognomen habens. Utinam, quod quidam hic ſparſerant, ad hanc urbem animum haberes: noſtras ſane ædes non diſplicituras tibi ſperarem: & me effecturum confiderem, ut quod *Fuggerus* Auguſtæ obtulit, hîc præſtare non gravaretur: ille enim non aliud æque optat, quàm de te quàm optime mereri. Affines ipſius *Rechlingeri* pro ſalute a te impertita maximas habent gratias, ac mecum tibi omnia fauſta ac læta precantur. Patavii XVI. Calend. Februarias 1532.

(4) *Nicolaum Leonicenum*] Is erat Italus, Vicentinus, qui obiit, non *ſuperiore anno*, ut ſcribit *Viglius*, ſed ante octennium, nempe 8 Junii 1524. uti lego apud *Guiliel. Budæum in Thanatologia*; & de anno quidem patet apud *Eraſmum in epiſt. Cælii Calcagnini* quæ eſt inter ſuas 750. ubi Vide col. 881. „ Fuit, *inquit Budæus*, inter primos & præcipuos purioris „ elegantiorisque medicinæ aſſertores & *Galeni* interpretes, „ præclarus eruditione medicus, qui annis ſexaginta amplius „ Ferrariæ docuit, unde & *Eraſmo* demiranti, cur artem me„ dicandi, quam profitebatur, ipſe non exerceret, reſpon„ diſſe fertur: ſe plus agere, docentem omnes medicos.“ Addit eum obiiſſe in ætate nonaginta ſex annorum. *Calcagninus* cit. ait: *deceſſit jam prope centenarius.* Jam anno 1518. *Eraſmus* eum deprædicavit, *ſenem immortalitate dignum.* V. Epiſt. CCCXXXIII. col. 350. A.

EPI-

EPISTOLA XXIII.

Ex Tomo V. fol. 29.

CASPAR URSINUS VELIUS. (1)

VIGLIO ZUICHEMO.

Ex unius Viglii epistolæ lectione accensus in ejus se amicitiam insinuat. Hermanni Frisii laus. Viglius præceptor juvenum. Georgii Logi magnificum elogium. 1532.

„ OStendit mihi literas ad se tuas, ornatissime ac proba-
„ tissime vir, D. *Georgius Hermannus* superiori mense
„ Patavio missas, in quibus tamquam in speculo facile qui-
„ dem perspexi ingenium istud tuum peracutum, eruditio-
„ nem eximiam, mores commodos ac persuaves, cæteraque
„ vitæ optime institutæ rationes, & cursum æquabilem at-
„ que inviolatum. Quid multa? Eò audaciæ me rapuit vel
„ semel tantum lecta epistola, & cognita in ea virtus tua,
„ ut extemplo ne a facie quidem noti hominis incredibili a-
„ more fuerim accensus, ac talem mihi virum, quoniam
„ coram hoc tempore non licet, at absentem per has con-
„ ciliandum quoquo modo duxerim. Equidem cùm primùm
„ te ex Frisia esse audirem, statim de ingenii tui præstantia
„ nihil dubitare cœpi. Est enim illa regio, ut equorum
„ fortium & strenuorum, ita & hominum ingenio excellen-
„ tium præcipue ferax. Quæ tamquam altera Attica om-
„ nibus

(1) *Caspar Ursinus Velius*] Silesitanus, Poëta. Burcardus Gotthelffius Struvius *in Script. Rerum German. tom. 2. p. 639.* dedit *Gasparis* carmen heroicum, ad Reverendissimum in Christo patrem, & Dominum, D. *Joannem Thurzo* Uratislavienſem episcopum, de conventu Posonienſi: ubi & laudatum invenias *Matthæum Langium* Cardinalem Gurcensem, de quo *V. Ciacon. tom. 3. col. 299.* Ab *Erasmo* quoque *Velius* celebratur. V. Epist. CCX. aliasque per indicem facile inveniendas. Edidit *poëmatum libros quinque*, apud. Joan. Frobenium 4to Basileæ 1522. *V. Annal. typrog. tom. 2. p. 2. pag. 631.*

„ nibus & literarum & virtutum ornamentis insignes semper
„ tulit. Ex quibus cùm vidi ego & cognovi permultos,
„ tum maxime *Hermanno Frisio*, qui unus & corporis & in-
„ genii dotibus abundans, visus est etiam Italis excellere,
„ usus sum perfamiliariter, primùm Perusiæ, deinde etiam
„ in ipsa urbe Roma, cujus ex suavissima consuetudine,
„ tametsi haud longa (vix enim in menses quatuor ingenii
„ illius amœnitate licuit perfrui) cum summa voluptate
„ uberrimum sane fructum percepi: cui vel ob hoc, fateor
„ a me plurimum deberi, quod ille solitus est meas esse ali-
„ quid putare nugas, & magni facere, atque omnibus mi-
„ rifice commendare. Quapropter si tu quoque in illa gen-
„ te nobilissima unus ex primis me, ultro amicitiam oppe-
„ tentem tuam, non fueris aspernatus, profecto tam mihi
„ ipse gaudebo me auctum esse tali amico, quàm nunc gra-
„ tulor *Georgio* nostro, quod te virum tantum suis liberis op-
„ portune nactus sit præceptorem, ac non mentiar, si di-
„ cam alterum parentem, qui præterquam quod eruditione,
„ studio atque diligentia aliis præstas, certe fide & amore
„ erga ipsius liberos illum adæquare videris. Hanc itaque
„ spem de te, & susceptam nuper admodum opinionem, si
„ Frisium te esse memineris ac Germanum, hoc est ingenio,
„ & ingenuis artibus, atque omnibus humanitatis officiis
„ excultum, tuis literis quas isthinc avide expecto, splen-
„ dide confirmabis. Quod ut facias, si poteris primo quo-
„ que tempore, te etiam, atque etiam rogo. *Georgium Lo-*
„ *gum* credo jam pridem non solùm te nosse, sed etiam in
„ intimam illius amicitiam perveniisse. Ad unguem factus
„ homo est, ac præter summam eruditionem & dicendi
„ gratiam, ac copiam singularem, ingenio perfestivo, in
„ adversis rebus magni animi, in secundis temperati, pror-
„ sus omnibus & Gratiarum & Musarum donis eximiè orna-
„ tus, hîc vel unus non Silesiæ modò nostræ, sed etiam,
„ absit invidia verbo, totius Germaniæ elegantes & literis
„ probè tinctos homines usquequaque antecellit. Cui tu
„ meis verbis, itemque liberis D. Hermanni imperties salu-
„ tem. Bene vale, & audaciæ huic, sed humanæ tamen
„ & officiosæ quæso ignoscas. Ex Ænipon VII. Februa-
„ rii. 1532. “

EPI-

EPISTOLA. XXIV.

Ex Tomo II. fol. 79.

GASPARI VRSINO VELIO.

Existimationem de se a Velio testatam, humili excusatione minuere satagit. Prærnaturè ad Juris Civilis disciplinam translatus, purioribus literis non satis potuit operam dare. Quid producat Frisia, quæ non genuit Hermannum Frisium, quem post sui cum eo comparationem, egregie extollit. Velii carmina Italis probantur, cui se suaque obsequia addicit. 1532.

APud eos qui me noverunt de facie, Vir clarissime, atque eruditissime, veniam ætas mea facilius fortassis impetret, si conceptam de me expectationem fallens aliquid peccavero. Verum cùm tu nunquam me videris, atque tantum ex *Georgii Hermanni* benigna mei commendatione, tam præclaro me in literis tuis eulogio ornaveris, tantò certè me magis tenuitatis meæ meritò suppudere debet, quanto te ipse in ingenio nostro dijudicando gravius errasse comperies. Quamobrem malim, ut mediocrius ab initio de nobis sensisses, & adhuc sentias, quanquam ne mediocritatis quidem laudem tueri ullo pacto me posse confido. Quid enim in nobis potest esse mediocre, si ad ingenii eruditionisque tuæ antiquam & illustrem gloriam, incomparabilemque venæ dexteritatem, quæ sine æquali, in poëticis præcipuè literis, multos nunc annos in gente nostra effulsit, referatur? Ego verò, ne quid fallaris, vixdum per ætatem rectè de studiis sentire possum, imo in iis literis, quibus literati censentur, haùd unquam mihi, ut saltem rudimenta perdiscerem justam operam impendere concessum fuit, quippe præmaturè nimis ad Juris Civilis disciplinam translatus sum, eorum jussu, quorum ob naturalem pietatem reverentiamque, in studiorum institutione, autoritati me cedere par erat. Qui ne quid me meliores literæ ab instituto remorarentur, quibus ado-

leſcens impenſe deditus eram, ilico fui in Galliam relegatus ad ea Gymnaſia, in quibus præter legalem diſciplinam nulla ſcientia in pretio erat. Porro ſi tecum *Bartoliſtarum* noſtrorum barbariem reputes, quam tamen rerum cognoſcendarum cauſa devorare neceſſe fuit, & in qua adhuc verſamur quotidie, ipſe non fueris inficiatus, etiam optimum ingenium inter tales ſpinas haud facile ſeſe ad meliorem eruditionis ſpem attollere poſſe. De ingenii vero bonitate non habeo quod me jactem, & quanquam me delectet tuum de patria mea Encomium (quis enim mortalium non ejus laude afficiatur?) tamen ſi quæ illa alba produxit ingenia, magis prope mirum videri debet, quàm quod apud Schytas tantus extiterit *Anacharſis* (1), quem in media natum Barbaria, in Philoſophia adeo emicuiſſe, miraculo prope fuit veteribus. Nam præterquam quod multum confert, ibi aliquem naſci ubi ipſæ literæ natæ ſunt, ſtudiaque incrementum accepêre, multum etiam juvat educatio, & formæt in primis excolitque ingenia inſtitutio: cujus quidem nos magiſtris caremus, & exempla domeſtica nulla penè habemus. Et quanqam certe equos fortes producat Friſia, & ſit alibi terra, optimi tantum vini ferax, at humanus animus, quem divinæ auræ particulam *Horatius* vocabat, non eſt ex ſolo æſtimandus. *Hermannum* vero *Friſium* (2), tantum quantum tu eum merito prædicas, non Friſia genuit ſed effinxit accurata a teneris procul domo inſtitutio, tum vero pertinax ſemper ſtudium & conſuetudo cum eruditiſſimis quibuſque Germaniæ, Galliæ, Italiæ, tum ad illas ipſas regiones excolendi ingenii cauſa peregrinatio. Mihi autem ultimum hoc cum illo commune eſt, ſed in aliis diverſa omnia, diverſus

(1) *Anacharſis*] Schyta admirandæ ſapientiæ. Unde proverbium de raris hominibus. *Anacharſis inter Schytas.* Vanier. in Dict. poët.

(2) *Hermannum Friſium*] Is eſt *Hajo Hermannus*, *Eraſmi* præconio nobilitatus, cujus ad eum exſtant aliquot epiſtolæ. Fuit Juriſconſultus eximius, & Conſiliarius in Friſia. *V. Suff. Petri Dec.* 10. *cap.* 5. *de Script. Friſiæ.* Nonnullas ad *Hermannum* literas dedit *Viglius*, in quibus obſervo, hunc ab illo in fortunæ ſuæ cùmprimis lautæ ſocietatem fuiſſe vocatum, raro ſanè exemplo.

verſus quoque utrique ſcopus fuit. Siquidem, ut eſt in proverbio; *Qui Comœdi eſſe non poſſunt, Citharœdi fiunt:* ita cùm politioris elegantioriſque doctrinæ laudem deſperarem, a qua etiam arcebar parentum conſilio, acrius ſemper ad jus diſcendum incubui, illo interea pro ingenii inſtitutioniſque bonitate ſemper ad primam præcipuamque, ac longe pulcherrimam doctrinæ partem, ad eloquentiæ gloriam animum applicante. Atque in hac contentione commodum in Italiam profectus eſt, ubi doctiſſimorum hominum conſuetudine & amicitia prolixè uſus, & bene dicendi imitandique præceptis imbutus, pulcherrimis ſtudiis ſuis colophonem impoſuit, ut nunc non tantum Senatus noſtri apud Leovardiam, verùm totius Friſiæ unicum & inſigne ornamentum cenſeatur. De cujus quidem familiaritate tibi gratulor, ſed tamen eo magis illi de tua, quo doctrina excellentior ipſe haberis, & in ea præcipuè arte, quæ omnibus aliis divinior & antiquior ſemper judicata eſt, cæterorum ætatis gentiſque noſtræ doctorum hominum luminibus altius obſtruis. Carmina certè tua etiam Itali, acuti ut ſcis judicii, nec vulgaris palati homines, in delitiis habent. Quamobrem, doctiſſime *Veli*, valde tu quidem falleris, ſi aliquid in nobis tale eſſe putes, quale in conterraneo meo amaſti, vel quo ipſe excellis, illius enim eruditionem admiror atque ſuſpicio, tuam etiam adoro. Aliam vero ipſe viam ingreſſus, quæſtuoſam videlicet magis, ut vulgo creditur, quàm glorioſam, non auſim mihi ex ſtudiorum ſimilitudine, quæ ignotos conciliat, aliquam vobiſcum ſperare benevolentiam. Miror verò, quomodo tu ex unico epiſtolio, rudi quidem & ſine cura de rebus familiaribus ad familiarem ſcripto, tam præclarè de me pronunties, niſi forte animum tuum ſponte ad humanitatem propenſum extimularit etiam *Georgii Hermanni* erga me affectio. In quo utrique veſtrum merito gratias ago, illi qui me tibi inſinuarit, tibi verò qui me illi laudaveris, cui me probari non leviter mea intereſt, nam cùm ille meæ fidei filii ſui ſtudia concrediderit, ad tale munus me non omnino ineptum haberi, illi merito perſuaſum cupio. Quod vero ad Juriſprudentiam pertinet, in qua principalem ſemper operam cum illo inſumpſi, utcunque adhuc conatus ſucceſſit. Literarum vero bonarum doctorem nunquam ſum profeſſus, ſi quid tamen ſuccidere temporis

poris datur, id adhortor, ut & ille & *Rechlingeri*, qui a me docentur, in ſtudio excolendo impendant. In quo haud luculentus, ſed tamen mediocris, quantum ipſe judicare poſſum, illorum profectus cernitur. Habes, doctiſſime *Veli*, brevem tenuitatis atque conditionis meæ confeſſionem, quam te equidem latere nolui, ne neſcias quem ames, ac ut deinde me habeas non plane ut amicum, (eſt enim amicitia inter æquales) verùm ut clientulum, qui & eruditionem tuam magni faciat, & benevolentiam ultro oblatam ambabus amplectatur ulnis, viciſſimque ſe tibi ad omne obſequium perpetuamque obſervantiam mancipet, quod quidem tibi ſyncera fide promitto, ac in eo faciam, ut cognoſcas Germanum, ut tu ſcribis, Friſium. *G. Logus* (3) cùm tuas literas acciperem apud me erat, coram quo quæ de ipſo adjeciſti, recitavi, & facit ille quidem viciſſim te maximi; eſtque hic ob ingenii præclari dotes apud eruditos omnes valde gratioſus. Bene vale, & ſi dabitur interdum otium, quæſo ut in cœpta erga me voluntate perſiſtas, viciſſim autem me ſenties ubivis potius, quam ut tibi reſpondeam pigrum. *Roſinum* a me ſalutabis, quem ad amicitiam ultro invitare auſus ſum hortante inſtiganteque *Chriſtophoro Hagero* (4), quo in Gallia familiariter ſum uſus, ſed tamen ille nihil ad meas literas. Iterum vale. Patavii VII. calend. Aprilis 1532.

(3) *G. Logus*] Georgius Logus in proxime præcedente *Velii* epiſtola laudatus, nobilium puerorum pædagogus, *Viglii* apud Patavium ſocius fuit.

(4) *Chriſtophoro Hagero*] Juriſconſultus, & duorum Fuggerorum *Georgii* & *Joannis Jacobi*, præceptor erat, quo in Gallia familiariter *Viglius* ſe uſum ſcribit, & ad quem prolixiſſimam dedit epiſtolam (Tom. 2. p. 157. Vſa.) ſuper quadam antiqui juris ſubtilitate, quam ſeligendam non duximus.

EPI-

EPISTOLA XXV.

Ex Tomo II. fol. 83.

ERASMO ROTERODAMO.

Eraſmi jocis jocos reddit. Cicero præcipuè, non unicè imitandus. Quis eruditi cognomen mereatur. In Ciceronianorum numero eſſe detrectat. Quid ſuper Interpretum Juris commentariis impolitie & barbarie repletis meditaretur. De ſua cum Ciceronianis controverſia. De Julii Camilli amphitheatro. 1532.

GAllus ille auſpicati nominis, (1) Eruditiſſime Eraſme, mutato de adeunda Roma conſilio, hîc ſubſtitit. Nuper autem a me interpellatus, literas omnes tuas reddidiſſe ſe reſpondit. Ego pridie D. Martini huc appuli, tuaſque literas alteras (2) accepi, quæ valde mihi jucundæ fuerunt: non ob id tantum quod te in conſuetudine ſcribendi ad me perſeverare gaudeam, jociſque etiam tuis, quibus me adverſus omnium hîc *Ciceronianorum* (3) ſententiam in ipſorum numerum vis intrudere, delector: ſed etiam quod mihi a te pote-

(1) *Auſpicati nominis*] quod erat: *Petrus mons aureus*, ut eſt in *Eraſmi* epiſtola ſtatim citanda.

(2) *Literas alteras*] quæ inter *Eraſmianas* ſunt ordine MCCXIII. ultimæ edit.

(3) *Ciceronianorum*] hos ſæpius exploſit *Eraſmus*; & in ep. ad *Alciatum*, quæ eſt MLXXXIII. col. 1243. his verbis: „ Exorta eſt nova Secta *Ciceronianorum*, quæ mihi videtur non „ minùs fervere iſthic, quàm apud nos *Lutheranorum*. Poſt„ hac non licebit Epiſcopos appellare patres reverendos, nec „ in calce literarum ſcribere annum à *Chriſto* nato, quòd id „ nuſquam faciat *Cicero*. Quid autem ineptius, quàm toto ſe„ culo novato, religione, imperiis, magiſtratibus, locorum „ vocabulis, ædificiis, cultu, moribus, non aliter audere lo„ qui, quàm locutus eſt *Cicero*? Si reviviſceret ipſe *Cicero*, rideret hoc *Ciceronianorum* genus. Plura vide in Annal. Typrogr. tom. 2. part. 1. a p. 363.

poteſtatem factam exiſtimem, ut nugas aliquas viciſſim apud te effutiam. Quæris enim quid mihi cum *Ciceronianis* conveniat, & quid ſit in controverſia. Hoc enim ſi tibi explicare volam, jam oportet, ut me aliquantiſper apud te ineptire patiaris. Et quidem quod ad illorum, qui de imitatione ſcripſerunt, rationes pertinet, cùm ea quæſtio cognitione mea major difficiliorque ſit, tanquam unus ex vulgo alteram partem ſimpliciter ſequi malo, quàm cur id faciam, exactius diſputare. Illorum verò opinioni ſemper aſſenſi magis, quæ doctorum virorum omnium poſt *Ciceronem* fuiſſe videtur: ut illum præcipue, nec tamen unicè imitari ſtudioſi debeant: imitari verò non adeo ſuperſtitioſè, ut ab ipſius veſtigiis numquam diſcedant, ſed ut ſtylum liberum quidem & nulla religione aſtrictum conentur ad luculentam illam *M. Tullii* facilitatem atque elegantiam emendare. Nam qui omnia ab eodem petenda exiſtimat, nec uſquam ab illo recedit, haud mihi perſpicere videtur, quàm lato & quàm infinito (ut ſic dicam) fine, ſcribendi dicendive uſus circumſcribatur. Et in *Cicerone* illa oratorii officii portio maxime ſemper admirationi fuit: unde ipſa eloquentia nomen ſumpſit. Jam verò ut is in ea maximè excellat, non tamen ideo ſolus amplectendus eſt. Oratio quippe rerum explicandarum cauſa inventa eſt. Quamobrem qui res ipſas non diſcunt, quid quæſo laudis ex inani orationis tinnitu mœreri valeant? vel quid dignum poſteritate edere queant? Prudentem *Ulyſſem* prædicant poëtæ, multorum mores hominum quod vidit & urbes: an non eodem modo credemus, eruditionem non ex unius imitatione, ſed ex multorum lectione parari? Jam vero iſti quid dabit eruditi cognomen, qui nec Theologiam attigit, nec Jurifprudentiæ, nec Medicinæ, nec Philoſophiæ operam dedit, omnemque in eo ætatem inſumpſit, ut *Ciceronem* exprimeret? Qui illud fortaſſis aſſequetur, ut *Ciceroni* ſimilis videatur, ſi ſuperficiem tantum intueare & cutem, ſupremumque orationis colorem. Verùm in membrorum compoſitione, in carne ac ſucco illo, qui maxime nutrit orationem, erit maxime diſſimilis. Quem non male forte compararim mulieribus iſtis Italicis, quæ pingi quotidie aſſueverunt, quas ſi quando fucos depoſuiſſe videas, rugoſam deformemque faciem non ſine cauſa rideas. Ego autem ſpe-

ro

ro veniam te daturum hiſce meis ineptiis. Cur enim non ſic appellem, quæ de re non ſatis mihi cognita, & tali, apud *Eraſmum* proferam? Sed tamen tua fretus humanitate veniam quò volui. Nam me per jocum in *Ciceronianorum* numero ponis, contra ipſorum ac meam ſententiam. Hoc enim tibi ſanctè affirmo, nunquam, ne illi quidem imitationi, quam tu non videris improbare, operam me dediſſe. Cujus fidem ætas mea tibi facere poterit, quæ adhuc intra eos annos conſiſtit, quibus Prætor reſtitutionem in integrum concedit. Et jam ſeptimus agitur annus, quod, intermiſſo meliorum literarum ſtudio, omnem operam ad Juris Civilis diſciplinam contuli, non equidem juxta legum contextum conſiſtens, ſed in vulgarium quorumcunque Interpretum commentaria penetrans. Quæ etſi barbarè ſcripta ſint, ad rerum tamen cognitionem explicationemque, de quibus in Jure agitur, plurimum ſane conferunt. Ergo nec ætas quidem talem adhuc imitationem admiſit, nec etiam ſtudium, ab illa valde alienum, imò contrarium diſſidenſque. Quod certe faterere, ſi ſcires quantopere *Ciceroniani* τῶν νομοσόφων Scholas hîc vitarent. Antequam vero huic diſciplinæ animum applicuiſſem, nondum ea opinio exorta de *Cicerone* apud nos erat. Et tunc quidem ætas judicio carens, quid deligere, quidve imitari, aut quomodo deberem, diſpicere nondum permittebat. Attamen cùm *Cicero* fere in Scholis prælegi ſoleat, accidit, ut ex eo autore diſcendo magis, quàm imitando profecerim. Jam cùm & *Laurentium Vallam* (4) puer diligenter in manibus haberem, ob crebra exempla, quæ inde ille petit, *Tulliana* lectione fateor tum me valde delectatum fuiſſe. Et hæc quidem ante flexum ſtudiorum meorum. Nam

(4) *Laurentium Vallam*] De quo, tametſi eruditis omnibus notum, hæc pauca dicam. Fuit Romanus, ac Canonicus S. Joannis Lateranenſis, qui ſempiternam poſteritatis memoriam promeruit, ob reſtitutam elegantiam latinam apud Romanos, qui a Gothorum conſuetudine barbariem contraxerant. Et cenſuit *Eraſmus*, non doctiorem vidiſſe Athenas, aut Athenarum victricem Italiam. *V. Ep.* 2. *col.* 3. Varia multa & curioſa de *Valla* habet in *Poggianis tom.* 2. *p.* 106. *& p.* 209. 210. *& ſeqq.* Et *Baylius in Dict.*

Nam ubi ad Jus discendum animum cœpi adjicere, cùm ea tantum tenerem quæ in Scholis didicissem, & intelligerem, haud ita multum mihi temporis supereſſe ad eas literas, quibus antea deditus eram, non uni *Ciceroni*, nec plurium authorum lectioni, ut ante eas horas diviseram, vacare potui, sed ordine singulos quosque probatos & veteres authores percurrebam. Quamobrem an non mirer tale etiam aliquid mihi a te tribui, quale plerique toti *Tullianæ* imitationi incumbentes, si justa & integra opera vel morientes assecuti fuerint, beatos se existiment? Ingenuè itaque fateor, me *Ciceronem* nunquam imitatum, sed forsitan aliquid olim ex eo didicisse, quod sua sponte, sine ulla imitandi intentione, aliquid stilum noſtrum adjuvit. Ubi vero Juris rudimenta utcunque percepissem, & jam etiam paulatim doctorum commentaria inviserem, offensus nonnihil impolitie, barbarieque eorum, quos tamen videbam rerum cognoscendarum causa non posse omnino contemni, forte mihi venit in mentem, ut novum quoddam imitandi genus instituerem. Nam cùm etiam prolixitas Interpretum fastidium moveret, & miram brevitatem, meramque quandam latini sermonis elegantiam, in Jurisconsultis animadverterem, ex quorum libris Pandectæ sunt consarcinatæ, tum quoque in antiquorum imperatorum Constitutionibus, qui σύγχρονοι fuère Jurisconsultorum, & quorum in legibus ferendis concipiendisque consilio & stilo utebantur, cœpi consilium, ut quæ in Scholis audirem, vel quæ legerem, præcipue apud *Bartholum* interpretum noſtrorum Coryphæum, ea quotidianis Commentationibus in eam orationis formam transferrem, qua Veteres illos usos videbam. Movebat me etiam ad hoc institutum persequendum, quod ipsos idem Jurisconsultos feciſſe ex eo colligebam, quod tanta esset in eorum responsis æqualitas, ut videri possent omnes in eodem ludo docti, vel ut totæ Pandectæ ab eodem scriptæ censeri queant, si nominum inscriptiones sublatæ essent. Arguta etiam illa brevitas oratioque, & si non redundans plena tamen, perspicua, propria, puraque mihi legum interpretationi maxime convenire videbatur. In qua id tantum requiritur, ut ratione vel authoritate aliqua legis, quid justum, quid æquum & bonum, quidque contra sit doceamus. Et hac quidem ratione aliquamdiu sum usus. Ut etiam

cùm

cùm privatim Inſtitutiones *Juſtiniani* perlegerem, quæ ad illas ſunt ab diverſis interpretibus annotata, exercitationis gratia brevius puriuſque exprimere, atque ad Juriſconſultorum ſtilum reformare conarer. Hic vero labor in hoc certè mihi profuit, quod commentatione quotidiana ſtilum & emendaverim aliqua ex parte, & confirmaverim. Unde tu quidem, Eruditiſſime *D. Eraſme*, animadvertere potes, quàm non affectaverim *Tullianam* phraſim, & unde hæc qualisqualis ſtili facultas nobis parata ſit. Dudum verò primam illam imitandi contentionem remiſi, quando videbam, multum mihi ea opera temporis perire, quod legendis Interpretibus, quorum penè infinitus eſt numerus, rectiùs collocarem: & quando etiam intelligebam Juriſconſulto foro utendum eſſe, quod illam Veterum puritatem dudum exploſit. Sed tamen minus me modo facti pœnitet, cùm abunde magnum ex eo fructum acceperim, quod tibi ſcilicet viſus ſum ob qualemcumque profectum, *Tullianæ* dictionis candidatus: niſi tamen tu omnino mecum jocaris. Sed ego ſic quæ a te ſcribuntur interpretari malo, quo interea ejus opinionis tuæ uſura fruar. Jam vero audi quæſo cauſam controverſiæ, quæ mihi hîc eſt cum præfatis *Ciceronianis*. Cùm Patavium adveniſſem, converſatus initio, prout uſus poſtulabat, cum quibuſdam noſtratibus, ac per eos Italis nonnullis inſinuatus hujus ſectæ, audivi aliquoties *Lazarum*, ac ſalutavi etiam. Is autem libros *Ciceronis* de Oratore profitebatur, qui quidem me non multum afficiebat. Erat vero & aliquid quod me ab ejus auditione averteret, quod Juriſconſultus primi hîc nominis paulo ante eum profiteretur, & cum ea tranſcurſatio mihi eſſet moleſta, tum vero me detinebant diſputationes, quæ hîc ad egreſſum lectionis haberi ſolent, cùm auditoribus poteſtas conceditur adverſus præceptoris ſententiam in Scholaſticorum circulo argumentandi. Ubi vero *Lazarum* deſeruiſſem, id ſtatim illos ægre habuit, quaſi contemnerem hominem tam præſtanti eruditione, & *Ciceroniana* facundia præditum. Ilico itaque audivi convitium, quod ipſi atrox eſſe exiſtimant, quod non eſſem *Ciceronianus*, tum vero quod eſſem *Eraſmianus*. Illud vero ego bene riſi, de hoc etiam ſum gloriatus, nec eſſe me modo, ſed etiam ſemper fore reſpondi. Hoc principio dato, deinde illi ex

quacumque occaſione laudare mihi *Lazarum*, extollere *Bembum*, quorum quidem præconiis refragari nolebam, tum vero *Eraſmum* deprimere, doctoſque viros trans Alpes flocci facere, judicium, eruditionem, humanitatemque omnem illis detrahere. Quod ego devorare non ſatis potui, nec mihi deerant rationes, quibus cavilla ipſorum confutarem. Incendit vero hanc contentionem odioſa quædam moroſitas illorum. Nam ſi quod forte verbum excidit, quod illi ſe apud *Ciceronem* reperiſſe non meminerunt, non ſecus tumultuantur, quam ſi ingens aliquod flagitium commiſſum eſſet. Imo ex his quidam gloriatur, ſe aliquando *Hermanno Friſio* caput ſella demulſiſſe, quod acrius defen-
* *Supple*: ferat. deret verbum quoddam minus *Ciceronianum*. Quis vero * familiarem ſermonem, qui ſolutus & liber eſſe debet, tanta ſuperſtitione adſtringi? Nimis autem eſt puerile & ſcholaſticum, in medio ſermone de aliis rebus, ob verbulum unicum in acerbam reprehenſionem prorumpere. Ego itaque cùm pertinaciam horum animadverterem, & vel diſſuendam mihi eſſe familiaritatem cum illis inſtitutam, vel in eorum partes mihi concedendum viderem, rogavi tandem ut me citharœdum eſſe ſinerent, ipſi eſſent comœdi, profeſſionem meam ab accurata illorum elegantia nimium diſſidere, paterentur itaque hoc me eſſe quod eſſem, id eſt, haberent me inter *Bartholicos* Juriſconſultos: cùm inter *Craſſi* vel *Scævolæ* (5) diſcipulos locum nunquam ambiviſſem. Hac vero reſponſione conquieviſſe mihi videntur. Jam enim patiuntur me etiam barbarè loqui, qui antea ne latine quidem ferebant, niſi etiam *Ciceronianè*. Abſurdum enim ducunt eum, qui ſtudium cultiorum literarum profitetur, ab optimo authore vel latum unguem diſcedere. Habes quid mihi cum illis conveniat, nunc quos triumphos apparent, breviter exponam. Cùm diebus hilarioribus qui Quadrageſimam præcur-

(5) *Craſſi vel Scævolæ*] Quem hîc *Craſſum* indicatum velit, non liquet. Videtur indigitare *L. Craſſum* oratorem, cujus in *Bruto Ciceronis*, eſt elegantiſſima cum *Antonio* & *Scævola* comparatio. *Quinti Mutii Scævolæ* nota eſt hiſtoria, qui ex quo in *Porſenæ* caſtris dexteram exuſſerat, ejus loco ſiniſtra fuit uſus, & hinc *Scævola* dictus, σκαίαν enim Græci ſiniſtram vocant. *Car. Steph. in Dict. hiſt.*

currunt, Venetias eſſem profectus, ſuſurrare illic *Ciceronianos* neſcio quid de *Julio* quodam *Camillo* ſubodorabar. Id myſterium poſtea quidam amicus mihi revelavit: illum ſcilicet ſcripſiſſe Apologiam adverſus *Ciceronianum* tuum, quam plerique a ſe lectam mihi affirmarunt. Sed ego nondum potui, tametſi ſedulo annixus, tam præclaro libello potiri, in quo illi adhuc ſymmiſtæ ſecreto delitiantur. Tum vero & eundem Amphitheatrum quoddam, admirabilis ingenii opus, conſtruxiſſe ajunt, in quod qui ſpectatum admittatur, non minus diſerte de qualibet re, quam ipſe *Cicero* dicere poterit. Ego fabulam initio eſſe credidi, donec forte inter colloquendam ex *Baptiſta Egnatio* rem totam apertius intelligerem. Dicitur enim Architectus ille, in certos quoſdam locos, quidquid de quaque re apud *Ciceronem* reperitur, redegiſſe. Omnia quoque vocabula, quibus ille & quoties utatur, & in quo ſenſu ſeduló conquiſiviſſe. Tum certos quoſdam ordines graduſque figurarum diſpoſuiſſe, atque alia multa, ſtupendo quodam labore ac divino quodam acumine, nulli antea in *Cicerone* animadverſa, annotaſſe. Deſcripſiſſeque hæc omnia illum ajunt in chartis quibuſdam, quæ involvi atque explicari poſſint. Quæ ad Amphitheatri parietes ſuſpenſæ confeſtim id quod queritur, ſuppeditare valeant. Quid plura dicam? Omnia illi cum *Noſopono* tuo conveniunt. Tam præclari autem inventi haud temere cuiquam inſpiciundi copiam fecit. Id enim Francorum Regi deſtinat, cui nuper in Gallia guſtum præbuit, donatus quingentis ab eodem aureis, ut abſolveret atque illi nuncuparet. Itaque *Dædalus* ille egregius, totus eſt in hujus operis apparatu. Audivi & huc venturum: nam nunc agit Venetiis, quod ſi fiet, obſervabo hominem diligentiſſime, quo experiar, an me theatri illius contemplatio *Ciceronianis* reconciliare queat. Si quo vero numine afflatus fuero, & ſi quid intellexero, quod te ſcire putabo, nil equidem lubentius ad te ſcribam. Dummodo tamen veniam concedas, quod ad te hujusmodi ineptiis tam multa. Quod autem *Petri Bembi* ſit de hujusmodi rebus judicium, non ſatis ſcire poſſum. Ab *Ciceronianis* vero omnibus inprimis colitur, ipſeque *Longolio* (6) curioſæ illius æmulatio-

(6) *Longolio*] Chriſtophoro. Hic an Brabantus, an Hollandus,

lationis author fuit, quod & profeſſus eſt in epiſtola ad *Joannem Franciſcum Picum.* (7) Bene vale. Patavii 5. Calend. April. 1532.

Ex Tomo II. fol. 90.

EPISTOLA XXVI.

HIERONYMO BALDUNGO (1).

1532. *Eleganti oratione, philoſophica ſimul & Chriſtiana ſolatur Hieronymum ſuper amiſſione filii Aurelii.*

DIfficile eſt, Clariſſime *Baldunge*, ægrum ægro mederi. Ut enim pharmaca non aptè adhibita lædunt valetudinem, ita officioſæ unius lachrymæ, non rarò alteri etiam invito lachrymas excutiunt, vel ſponte profluentes augent, reſtinguunt verò minimè. Audeamne igitur piiſſimo Patri in chariſſimi optimique filii luctu lamentanti medicamentum, quo ipſe mœrore affectus indigeo, adhibere? Quid autem adferam rudis juvenis humanorumque caſuum adhuc expers, quo alterius dolorem leniam? Certè qui ipſi morbo aliquo laborarunt atque ex eo convaluerunt, recta deinde ægrotis conſilia indicare poſſunt, velut & ii qui naufragium fecerunt, navigaturis bene conſulere valent. At mihi in hac ætate quæ calamitates humanas tantum intelligere incipit, earumque magnitudinem vixdum perpendere poteſt, nondum quicquam, Deo favente, tale accidit, ob quod impotentius dolerem, niſi quod modò triſtiſſima mihi dolendi cauſa communis tecum incidit. Periit enim tibi filius, mihi vetus ſodalis & amicus, atque

dus, non conſtat ſatis. *V. Bibl. Belgic.* Sæpius de illo meminit *Eraſmus* in epiſtolis, numquam ſine elogio, quamvis unde ei diſplicuerit, haud ſileat.

(7) *Jo. Franciſcum Picum*] Mirandulanum, Joannis Pici Mirandulæ & Concordiæ Comitis ex fratre nepotem. De quo *Vide Paulum Jovium in elog. Bellarm. de Script. Eccleſ. & Miræum in Auctario Heptadis ca.* 491.

(1) *Hieronymo Baldungo*] Quis is, Vide in Notis ad Vitam N. XXI. ubi hæc epiſtola promittitur ſeligenda.

atque amicissimi patroni filius. Eo autem iste dolor mihi gravior videtur, quod mei muneris esse intelligam, quod & ipse requisivisti, ut ægrotum animum tuum consoler, quod præ ægritudine etiamsi sciam, tamen non possim. De infantia autem mea nihil est quod nunc dicam, qui tibi eam alias satis sum testatus. Et tota hæc medicina in oratione consistit. Utinam ego nunc ad aliquod tempus Jurisprudentiam cum Philosophia commutassem, unde mihi liceret in communi morbo præsentia aliqua pharmaca desumere. Bene tamen accidit, quod serius hunc casum resciv i, quo meam in hujus officii præstatione imperitiam, tempus ipsum efficacissimo pervulgatoque remedio sublevet. Sed & *D. Georgium Hermannum* virum optimum & æque in adversis atque in prosperis fidelem & constantem amicum, hoc officium priorem tibi præstitisse gaudeo. Quo inducor minus, ut ipse sim solicitus quo te consoler, quoniam quasi actum sint acturus: illud etiam timeris, ne nova commemoratione vulnus refricem. Quapropter parcius etiam de ea re apud te agam, cum ut nullus etiam tibi manum admovisset, non tempus leniviset, non amici mitigavissent justum dolorem: attamen tu ipse, qui Philosophiæ studiis non tantum imbutus, sed locupletissimè instructus es: quod extrinsecus tibi allegatis rationibus, exemplorumve, quæ passim adducuntur, recitatione, opus habes? Quippe animo comprehensum tenens quicquid hujus generis in medium adferri queat. Ea autem cùm omnium de tua prudentia opinio sit, an non ego rideat, qui Ululas Athenas? Vel tu admirationi sis qui hoc sub dolore cadas? Filius mortuus est, at ideo tibi natus est ut moreretur, ingressus scilicet ad hanc vitam peregrinus, ut ad verum illud immortaleque domicilium rediret. Tu doles, at ille gratulatur se tanto compendio iter absolvisse. Quid si tibi nullus unquam fuisset natus, haberesne quod doleres? Jam tu dulcedinem fructumque ex eo magnum cœpisti per multos annos: & cruciaris, volente sic Deo id a te auferri, quod sine illo habere non poteras, & habendum tibi concesserat precariò tantum, ut repetere liceret, quandocunque illi luberet. Interea verò summam illius erga te benignitatem vides, quod filium concesserit qui infans, puer, ad olescens, multifariam te olim recreavit, quem

eò tandem evaſiſſe conſpexiſti, quò tua ſemper voluntas eum deſtinavit: ſcilicet ut per eum nurus tibi obtingeret, affineſque conciliarentur, quibus illo mortuo adhuc tamen frui potes. Et fortaſſis tibi nepotem reliquit, quod equidem opto & ſpero, qui ſi poſthumus erit, magis etiam te delectabit, quaſi renatus ſit tibi filius, quem & ipſe filio magis ames. Idcirco enim, inquit *Calliſtratus* (2) noſter, filios filiaſve concipimus atque edimus, ut ex prole eorum earumve diuturnitatis nobis memoriam in ævum relinquamus. Non committam verò ut vulgares de mortuis nænias recinam, apud te virum animo & excelſo & optimis diſciplinis exculto, qui frivolas iſtas cogitationes facile excludat, maxime cùm filii fatum diu prævideris, ut etiamſi erga eum vehementius fueris affectus, magnam tamen mœroris partem vivo illo devoraveris. Eſt autem vere totus hîc dolor nihil aliud, quàm vitioſa quædam opinio, quam ob animi imbecillitatem vel amoris exuberantiam mortales ſibi fingunt. Quid enim aliud eſt mors quam quædam abſentia non perpetua, ſed temporalis, & abſentia corporum tantum? animi enim eodem amoris vinculo colligati, etiam poſt alterutrius a corpore diſceſſionem, una permanere poſſunt. An non ſæpe vel patria vel amicis procul degimus, prout vitæ uſus poſtulat, & tamen abſentes præſentes ſumus, ut ait Comicus. Finge itaque illum non mortuum ſed abſentem, quando adeo moleſtum eſt mortis vocabulum. Olim & corpore unà iterum nobiſcum erit, quum in divinam illam civitatem, unde ſumus ejecti, atque velut exules relegatique hic degimus, poſtliminio reverteris. At quereris, fruſtra tibi exantlatos tot labores, quorum fructum illi parabas: verùm ſi omnes ſuos haberent hæredes, quorſum tam multa in Jure noſtro de Cognatorum, extraneorumque, hoc eſt, bene de defunctis meritorum, ſucceſſione? Quoniam non voluit Deus te filio relinquere luculentas opes, præclaraque ſtudiorum præmia, attamen illis tibi alios conciliare poteris. Vel ſi adeo gravis eſt orbi-

(2) *Calliſtratus*] Atſienis orator in republica fuit, quem quum Demoſthenes admodum adoleſcens dicentem audiviſſet, ſectari cœpit, & academiam cum Platone reliquit. *A. Gellius apud Car. Steph. in dict. hiſt.*

orbitas, si filium vis: adoptandi, arrogandive veterem consuetudinem vir Jurisprudentissimus non ignoras. At is, inquis, non est filius naturalis. Quid tum? Dum te æque amet ac patris loco observet, tuumque præclarum nomen ad posteritatem ferat, & in omne ævum proroget. Sic *Scipionum* (3) olim familia conservata fuit ad magnam Reipublicæ utilitatem, ne alios commemorem: atque hoc voluêre esse solatium amissorum liberorum veteres legislatores. Quamobrem, vir clarissime, idemque doctissime, si quæ adhuc mentem de filii causa tristitia obnubilat, eam totam discute, mutari non possunt fata, sic Deus voluit, Deus precariò dedit, Deus quod suum erat repetiit, diu eo es fruitus, gaude per eum tibi nurum & affines conciliatos & relictos esse, ut non possit immaturè mortuus videri. Hoc præcipit Deus, familiarisque ingenii cui altrix Philosophia: idem te mille exempla, non rara sed quotidiana admonent. Hoc igitur quod cum multis tibi commune est æquo animo feras, quum te etiam deceat plebeis istis hominibus animi fortitudine præcellere. Hoc vult *Georgius Hermannus*, hoc *Viglius*, hoc alii multi qui te amant & colunt, qui filium vivum amarunt, mortuum unà luxerunt. Sed tamen finem facere oportet, nam nullo omninò sensu, nec ulla omninò calamitate commoveri, hominis est vel immanis, vel valde stupidi. Nimis vero diu pati se excruciari, & mente penitus frangi, nimis mollis muliebrisque est animi. Doluimus inquam & nos *Aurelii* fatum, sed ægritudini modus finisque imponendus est. Quod ut tu nobiscum forti animo facias, etiam atque etiam, vir clarissime & doctissime, moneo & rogo. Patavii pridie Iduum Maii 1532.

(3) *Sic Scipionum*] Scipio Æmilianus, qui & Africanus minor, ab Africani majoris filio adoptatus, filius erat L. Æmilii Pauli. *Car. Steph.*

Ex Tomo II. fol. 94.

EPISTOLA XXVII.

JACOBO DUXINO.

1532. *Jacobi in se merita grato animo recenset. De Francisco Curtio, aliisque professoribus Patavinis.*

ME quidem, colendissime præceptor *Duxine*, nunquam vel benevolentiæ erga me tuæ, vel consilii tui cœpit oblivio. Benevolentiæ autem nunquam posse me sentio pari officio respondere, ea enim summa erga me fuit. Quid enim non præstitisti ætate maturus, & Doctor excellentissimus, authoritate dignitateque eximia præditus, mihi adolescenti ac tyroni, extero & ignoto, quo ad aliquem in Juris studio profectum perduceres, ac ingenium meum humi jacens ad aliquam spem doctrinæ attolleres, inculcans mihi quotidie præclara studiorum præmia, & parentum expectationem. Quo sic me devinxisti, ut te profectûs mei omnis autorem meritò perpetuò agnoscere cogar. Adhuc hortatus es sæpius, ut Italiam viserem, ibique colophonem jactis apud te fundamentis imponerem. Cui consilio me jam obtemperasse significatum tibi volui, nam Patavium sub Calendas Novembres superiore anno veni, biennumque proximum commorari decrevi. Ut autem ad te aliquid de studiis Italicis scribam, scito *Franciscum Curtium* primatum obtinere; nec aliorum quisquam illi conferendus meo judicio videtur, nec quenquam habet qui ad parem gradum contendere, vel gloriam ejus obscurare conetur. Nam *Marianus Socinus*, *Bartholomæi* ex fratre nepos nondum majorum gloriæ respondet, & tamen eruditione illius patrui & avi illius illustratum nomen est, quo fit ut secundi nominis existat. *Decius* autem apud Senas decrepitus agit, & solicitatus sæpe, ad legendi munus impelli, jam semel rude donatus, non potest, & forte decies in anno tantùm legit. Nec video in Italia, tantorum virorum aliquam stirpem supersesse. *Parisius* quidam, qui hîc aliquamdiu professus est, nunc in *Ruini* locum successit Bononiæ.

niæ. Tu fœlicioribus auſpiciis in Italiam veniſti florentem adhuc profeſſoribus. Porro poſt illorum mortem nullus eſt qui doctrina inſigni præditus ſuperſtes ſit. Atque adeo *Alciatum*, etſi nunquam in Italia publicè auditum, ob eam tamen famam, quam in Gallia obtinuit, mille coronatis huc invitavit ſenatus Venetus. Papienſe Gymnaſium ob Ducis inopiam adhuc jacet. Rediturus illuc videtur *Curtius*, ſi tantum in Patria præmii conſequi queat, quantum hic habet. Bene vale, præceptor colendiſſime, & hoſpitem meum, virum integerrimum, optimique de me meritum, plurima ſalute fac meo nomine impertias. Patavii 3. Maii 1532.

EPISTOLA XXVIII.

Ex Tomo II. fol. 95. vſo.

JOANNI SECUNDO (1).

De ſilentio veniam precatur, pollicens ſe ſatisfacturum officio ſuo. Multis humanitatis ſignificationibus cum Joanne certat. Præter Scholaſticam diſciplinam commendat uſum, praximque fori. 1532.

MInimè equidem, Ornatiſſime *Joannes*, literas tuas expectabam, multo verò minus adeo benignas, in quas tu largiſſima manu, quidquid undique laudis ac benevolentiæ erga me congerere potuiſti, ſemel effudiſti: cùm tuo certe jure,

(1) *Joanni Secundo*] Hunc alibi diximus fratrem eſſe *Nicolai Grudii* & *Adriani Marii* virorum eruditorum, filiorumque *Nicolai Everardi*, de quo mox. Numquam aſſequi potui ob quam cauſam vocentur *Nicolaii*, quaſi cognomen traherent a patris prænomine. Nullus id hiſtoricus docet, ut nec, quare *Joanni* cognomen *Secundus*: nam quod *Sweertius*, *Miræus*, ac *Val. Andreas* ajunt, id *non ſine omine* eum *accepiſſe*, *quòd nulli futurus eſſet ſecundus*, ut nugas & inania verba explodit meritò Niceronius tom. 16. p. 237. *ce ſemble une eſpece de galimatias.* Qui *pag. ſeq.* contra *Sweertium* & *Valerium Andream*, oſtendit *Joannem Secundum* non fuiſſe *Pauli IV. PP.* ſecretarium, qui non niſi novemdecim annis a morte *Joannis* Romanus pontifex

jure, duriore ſcribendi principio apud me uti, ac de tam diutina ceſſatione conqueri & expoſtulare potueris. Meminiſſe enim ego debebam, qui eam ſtudiorum viam ſum ingreſſus, quæ me adjuvantibus amicorum ſuffragiis ad qualemqualem ſplendorem ſequentis vitæ & ætatis perducat, neutiquam mihi eſſe tales ſodales negligendos, quorum amicitia, convictûs & tecti communione fundata, mutuaque ſtudiorum puerilium æmulatione, ac omnibus officiis, quæ prima illa ætas ferebat, conglutinata, non exiguo mihi adjumento atque ornamento eſſe queat. Verùm præteritam culpam excuſare licet, & in poſterum corrigere. Sed (ut eſt apud Juriſconſultum) factæ cauſæ infectæ fieri nequeunt: Quamobrem veniam ſatius eſt precari, ne frivolis excuſationibus peccatum defendere videar, pollicens ſanctè vobis, deinceps nihil me omiſſurum, quod quidem ad veteris amicitiæ noſtræ cuſtodiam pertinere exiſtimavero. Quanquam certè nolim vos ſic accipere ſilentii mei deprecationem, quaſi in re ipſa, id eſt in mutuo amore, qui a parvulis nobis contractus eſt, aliquid peccaſſe me confitear; nam qui ſilet non ideo minus amat, ſed in eo tantùm delinquit, quod animum ſuum non declarat. Me enim præter ea quæ jam dixi, ad te ac fratrem *Adrianum* amandum extimulavit quoddam non inane præſagium, fore, ut ex veteribus diſcipulis vos ſoli unà mecum in cœpto ſtudiorum curſu perſiſteretis, eaſque literas, quarum occaſione initio conjuncti ſumus, ſemper amplecteremini: cùm de aliis jam tum deſperarem, quibuſdam ignaviâ, quibuſdam vel ingenii infœlicitate, vel rei tenuitate, vel parentum voluntate, a Muſarum foribus excluſis. Quod autem firmius eſſe vinculum amoris queat, quàm earumdem literarum perpetua continuatio? Non ignoro autem quanta veſtra fuerit diligentia circa politiores humanioreſque

tifex factûs ſit. Obiit *Joannes* 24. Septembr. 1536. Electus eſt *Paulus* 23. Maii 1555. Et hunc tamem errorem bis erravit *Jo. Franc Foppens* in nova edit. *bibl. Val. Andreæ*, verb. *Joannes Secundus* & verb. *Nicolaus Everardi*. Porro *Miræus* eum non loquitur ſecretarium *Pauli*, ſed affingit ei iter *in Italiam, indeque in Hiſpaniam*. Male. E Belgio trajecit in Hiſpaniam. *V. Niceronium cit.*

resque disciplinas, atque utramque literaturam. Cui deinde Jurisprudentiam, non eam quidem vulgarem & nugacem, sed veram & synceram, ex doctissimi parentis consilio & institutione haustam conjungere, sedulò estis annixi. Me verò eadem quidem cura tenuit, sed multis adjumentis carui, quæ vobis suppetiverunt: quo factum est, ut magna difficultate exiguum fructum sim assecutus. Patruum enim, ut scitis, qui mea studia alebat, nimis citò amisi, & adolescens cùm essem, patria & amicis procul, nullum nisi in me ipso præsidium habui; taceo verò alia, neque enim opus est ut hîc secreta fortunæ meæ omnia denudem. Veniam ad epistolam tuam, quam quoties relego, toties admiror, non modo styli integritatem, verùm etiam candorem ac Venerem verborum, ut visus mihi sis ipsis Gratiis dictantibus eas exarasse literas. Quanta enim illic modestia tua cernitur, sive de te, sive de me mentionem facias, te scilicet, elevando, me ita laudando, ut ad aliqua epistolæ tuæ loca plane erubuerim? An enim putas me colorem potuisse tenere, cùm tu mihi, *Mutio Scævolæ* olim a *Cicerone* tributum elogium transscribis? Quod tamen sic interpretor, quasi tu eum, quem amas, pulcherrimum videri cupias, secundum *Theocriti* versum: τῷ γὰρ ἐρῶτι πολλάκις ὦ πολύφαμε τὰ μὴ κατὰ καλὰ πέφανται.

Nam si tenuem nostram supellectilem proprius scruteris, non dicas tam amplo honore dignos nos esse. Eloquentiæ enim laudem nunquam affectavi, & utinam vel puerilia studia tueri possem, nam gravis hæc disciplina Juris, totum hominem desiderat, nec patitur amœniores literas nos consectari. Ut autem lucernam, cui non interdum oleum infunditur, extingui necesse est, ita & ea quæ ante didicimus, nulla lectione exculta facilè evanescunt. Sensi tamen natura me in amœniora illa studia valde fuisse proclivem, a quibus ægrè me sum avelli passus. Sed quid quæso futurum de me erat, si eas literas tantum prosecutus fuissem? Anne ut in Schola tandem aliqua onerosam provinciam subiissem? Patrimonium etenim non ita mihi amplum contigit, otioso ut inde mihi vivere liceat. Principalis autem opera, præteritis aliquot annis, politicæ disciplinæ a nobis impensa est, ex qua futuræ vitæ subsidium aliquod sperare auderemus. Tu autem,

qui

qui a principe Juriſconſultorum ætatis noſtræ prognatus es, atque ab eodem domi diligentiſſimè inſtitutus, quas Scholas, aut quos præceptores quæris, aut quam a me rogas diſcendi rationem? Atqui ego ſæpe cogitavi de eo ipſo ad te ſcribere, ut exploratius aliquid haberem, quod ſtudioſis me interdum conſulentibus reſponderem. An verò tu pluris facis auditiones iſtas ſcholaſticas, veris & forenſibus exercitiis Juriſprudentiæ, in quibus tu a clariſſimo parente, principalis prætorii præfecto (2) multos annos inſtructus es, quibus nos inter ignavos, obſtrepenteſque auditores latranti alicui Doctorculo operam dedimus? Quot verò ſomnia & phantaſmata neceſſe eſt eos invehere in hanc noſtram diſciplinam, qui ipſi uſum nullum ejus callent, ſed tantùm in Scholis & umbra verſati, politici ſtatus ac forenſium, veratumque controverſiarum rudes ſunt & expertes. At ubi non fictum aliquod thema obtigit, ubi quis ferias advocatorum pugnas videt, atque ipſum judicem de æquitate ſolicitum, cunctaque ad Juris, & æqui bonique examen expendentem; ibi unuſquiſque attendit diligentius, & interius re perſpecta, memoriam judiciumque valde confirmat, ac tum verè proficit. Sic

(2) *A clariſſimo parente, principalis prætorii præfecto*] Parentem illum jam dixi *Nicolaum Everardum*; Zelandum, Juris utriuſque doctorem Lovanienſem, qui primùm clericus, officialis Epiſcopi Cameracenſis, ac S. Petri Anderlecti juxta Bruxellas canonicus, ſecundùm *Niceronium tom.* 16. *p.* 245. Decanus autem apud *Val. Andream in Bibl. Belg.* relicto ſtatu eccleſiaſtico, ſupremo conſilio Mechlinienſi aggregatus fuit, & dein præfuit conſilio provinciali Hollandiæ & Zelandiæ; quod Val. Andr. malè vocat. *ſupremum conſilium*, & Niceronius, *Conſeil ſouverain*: cùm ab eo appellaretur ad ſupremum ſenatum Mechliniæ ſedentem, cui *Nicolaus* præſes quoque datus fuit. Habuit præter jam dictos, filium *Everardum Nicolai*, (aut ejuſdem cum patre prænominis & agnominis *Nicolaum Everardi*, ut eſt apud Butkens Suppl. tom. 2. p. 306. & apud Niceronium cit. p. 252) qui pariter fuit Mechliniæ principalis prætorii præfectus, ſeu præſes, anno nempe 1556. *Butkens ibid.* Ceterùm ab his *Everardis* ſtirpe Zelandis, prorſus diviſi ſunt *Everardi* ſtirpe Hollandi, de quibus alio in loco. Et una literulâ diſcrepat utriuſque nominis orthographia, ut Zelandi ſcribendi ſint *Everardi*, Hollandi verò, *Everhardi*. Hæc quia ignoravit *Niceronius*, in pluribus hæſitavit.

Sic autem ego veteres Juriſconſultos, quos meritò magni facimus, ad tantam in jure excellentiam evectos arbitror. Nam de ſcholis ejuſmodi, quarum nunc magna eſt multitudo, nihil apud ſcriptores vetuſtate conſecratos reperio. Vos verò cùm ad eorum, quæ in foro agitantur peritiam, ſcholaſticam illam doctrinam conjungatis, non modo abſolviſſe Juris ſtudium omnibus numeris merito videbimini, verum etiam quanto fœcundior ſit diſcendi ſeges in foro, & quanto ſol ille verarum controverſiarum umbris ſcholaſticarum opinionum lectionumque præluceat, intelligetis. Porro quod illic eſſe ſcribis, mi *Joannes*, qui mihi palam omnem ſuam eruditionem acceptam ferant, an ego non audiam lubens? Quanquam ſanè hoc ipſorum erga me benevolentiæ, non judicio debeo aſſcribere. Sunt fortè quibus author fui, ut ſe ad Jus Civile diſcendum transferrent, ſunt quos ad diligentius exactiuſque illud proſequendum excitavi, quoſdam ſum ad Commentariorum & Gloſſarum lectionem hortatus, quos antea Barbaries deterrebat; alios totos nimiùmque involutos commentariis, ad legum ipſarum elegantiam & auctoritatem revocavi; alios animavi ad circulares diſputationes, quibus & ingenium acuitur & judicium paratur, & difficiliora ſubiguntur, & ignota aliquando eruuntur, quo non alius in diſcendo fructus gratior jucundiorque; & quo quis ſe proficere ipſe intelligit. Talia verò ſuadendo aliis, meipſum magis confirmavi, ut non præcepto tantummodo, ſed etiam exemplo præeundo, majorem apud alios fidem acquirerem. Si quid verò præterea quiſquam mihi tribuit, non auſim ſanè agnoſcere. Gaudeo tamen tam candidos illic amicos me reliquiſſe, & ſcire cupio qui ſint, ut paria cum illis facere anniti queam. Sunt autem, niſi fallor, Germani, quorum nationem ego ſemper mirè mihi favorabilem ſenſi, & a qua multis modis ornatus ſum. Tu itaque vide ne nimio illorum erga me ſtudio decipiare. Hæc ad tuam epiſtolam multijuga eruditione & humanitate plenam licuit hoc tempore reſpondere, quum multo uberiorem materiam ſcribendi tu ſuppeditaveris. Sed ego ſiniſtra valetudine proximis diebus vexatus, nondum plane vires collegi, alioqui & ad *Adrianum* eram ſcripturus, quem ego tecum optime valere opto. Patavii 22. Junii 1532.

Ex Tomo II. fol. 99. vſo.

EPISTOLA XXIX.

BONIFACIO AMERBACHIO (1).

1532. *De methodo ſeu arte Juris. Docet, legibus utendum, nec cuncta ex æquitate decernenda. Ex quibus, & per quos Corpus Juris Civilis coaluit. In eo multa ſupervacanea. Methodum Juris ab Amerbachio poſtulat. De Commentariis & Interpretibus. Quid Juſtinianus voluiſſe credatur. Neceſſitas & utilitas Interpretum.*

EXpectatas diu a te litteras tandem, doctiſſime *Amerbachi*, per *A. Ephorinum* (2) accepi. *Holoandrum* defunctum merita prædicatione proſequeris, & niſi me mea fallit opinio, quotidie incrementum illius gloria accipiet, quo plures erunt qui ſe ad ſaniora Juris Civilis conſilia paulatim reſipiſcentes applicabunt. Methodum (3) verò quem qualemvè deſideres

(1) *Bonifacio Amerbachio*] V. Not. ad Vitam. N. XIX.

(2) *A. Ephorinum*] Doctor *Anſelmus Ephorinus*, apud Patavium *Viglii* ſocius, multam cum eo amicitiam coluit, & Romam poſtea profectus, inde *Viglio* gratulatus eſt provinciam quam Spiræ obtinuit in Camera Imperiali. Exſtant binæ ad eum epiſtolæ, ſed levioris momenti.

(3) *Methodum &c.*] De methodo, ſeu arte Juris, aliquid conatus eſt *Joachimus Hopperus*, ſed nullo ſucceſſu. De ea *Zaſium* olim interrogans *Joannes Fichardus*, reſponſum ab eo tulit, quod hîc apponendum viſum eſt ex *tomo V. pag.* 37. *vſa*: „ Sollicitat te etiamnum Methodus, quòd hæc in jure non „ traditur, cùm tamen *Cicero* polliceatur, ſe jura in genera, „ quæ perpauca ſint, digeſturum, deinde eorum generum quaſi „ in membra quædam diſperſurum * & item multa in eam „ rem oratorio more differis, quæ, ſi tempus & otium eſſet, „ nec aliò me complura negotia vocarent, diluere facilè poſ„ ſem. Sit ſanè quod *Cicero* in genera digeſſerit eloquentiæ „ armis inſtructus, ſit porro quòd in artem jura redegerit, ex „ his tamen generatim digeſtis vel in artem coactis juribus, „ nemo

* *Ita ſcriptum reperi, ſenſu haud concinno.*

res non recte percipio, nisi illud fortasse vis, quod apud *Ciceronem* promittit Orator *Crassus*, scilicet ut generatim Jus Civile describatur, & in quandam artis speciem digeratur. Hoc enim plerosque video objicere professoribus nostris, quo nimia hujus disciplinæ difficultas vel tollatur vel certè minuatur. Verùm cùm tu postea in Jure nostro æquitatem desideras, aliud quiddam mihi velle videris, quàm quod modò ex *Cicerone* citavi. Equitas enim, etsi Juri scripto inesse debet, tamen cùm quid generatim disponitur, accidit sæpenumero, ut nimia constitutionis constrictione æquitas collidatur, quæ quidem vaga vult esse & libera, ac ad cujuslibet speciei veritatem accommoda. Quapropter fuère qui omni abjecta lege cuncta secundum æqui & boni censuram disceptanda crediderunt. Sed eorum sanè sententia periculosa perniciosaque Reipublicæ videtur, si quis recte expen-

„ nemo causis dubiis dissolvendis instrui poterit, cùm plura „ sint negotia, ut dicit Jurisconsultus, quàm vocabula. Actus „ hominum tam numerosos, in summam compendiariam con„ cludere velle, nihil aliud quàm mare in lacunulas coerce„ re. An credis nobis difficile esse Methodum, vel, ut meo „ more loquar, summam Juris tradere? Quæ sanè difficultas „ est, partiri Jus Civile in Judicialia, in Conventiones & „ Contractus, in Successiones, in Dotalia, in extra ordinem „ læsorum remedia, in res tutelares, in pœnalia? Quæ septem „ genera quid prohibet in membra suppartiri? Sed ex eis præ„ ter noticiam quamdam umbratilem, quid utilitatis conse„ queris? Scientia particularium est in nostro maxima Jure, „ vulgaribus tamen, saltem generatim, cognitis. Tu adoles„ cens, si sapis, Juris Civilis studia eo ordine prosequere, „ quo tradita sunt. De commentariis librorum esto an in eis „ fatigeris. Negotia tractanda te docebunt, quid sequare. „ *Nervam* filium primâ adolescentiâ de jure respondisse, non „ est quod miremur. Nam & *Bartolus* in XVIII. anno doctor „ famigeratus factus est, & te quoque *Fichardc* intra biennium „ doctorem futurum speramus, dum non præfestines. Præ„ cocia non durant, maturis hærendum est. Nec tibi per„ suasum velim, quod Jura non habeant principium & finem. „ Habent equidem, ut testatur Imperator; Sed quæ latè pa„ tent, non tamen sunt infinita. In summa noli laborare „ circa Methodum, Quinquaginta libri Pandectarum sint tibi „ Methodus & lectio ordinaria. Vale. Ex ædibus meis. "

pendat. Nam ut demus, forte æquum esse pacta ita valere ut stipulationes; testamenti faciendi eandem esse potestatem, eodemque modo, militi & pagano; inania videri tot judiciorum solennia: tamen non sine magna ratione ista olim constituta fuerunt. Et periculosum est in qualiscunque seu cujuslibet judicis manu omnia ponere, ut quod ille existimet, id continuo ratum habeatur: Tolerabile esset, si judices semper essent tales quales esse debent, id est viri boni: sed quotumquemque reperies non expositum vel gratiæ, vel ambitioni, vel avaritiæ? Sic equidem vita humana maximè turbaretur, cùm non modò diversis, sed eidem, diversum pro animi sui libidine forsan videbitur. Affectus itaque judicum necessarium fuit refrænare, ut non ex sua cupiditate, sed Juris præscriptione sententiam ferant, & populus sciat, quid servandum sit, ne semper judicium subire cogatur, si in voluntate judicis stabit æqui bonique diffinitio. Curandum tamen, ut quod legis nomine præscribitur, maximè sit æquum, æquitatem autem ex prudentissimi atque optimi viri judicio constitui oportere non est dubium. Atque in hoc tibi assentior, fontes esse juris Philosophiam, sed tamen istam Philosophiam, unde Jus Civile hauriendum est, an vel ipsam habeamus scriptis traditam, non satis scio. Nam *Platonis* & Philosophorum aliorum rationes non satis cum usu humano conveniunt, videnturque a politia alieniores. Quod se verò cum *Ulpiano* volumus sentire, ipsa Jurisprudentia mera est Philosophia, & vera, nam quæ in verbis consistit, & ab veteribus Philosophis pertractata fuit, variis opinionibus agitata est, minimèque cum Civium moribus convenit. Sola itaque æquitas sine legum præscripto stare diu non potest. Verùm ut redeam ad Methodum, valde miror, quosdam aliam adhuc artem, aliaque genera (ut sic dicam) Juris quærere, quum hoc mihi absolvisse omnibus prope numeris *Justinianus* videatur. Voluit enim *Cicero* jus Civile in genera primo dividi, dein genera in sua dispertiri membra. An non hoc factum est in nostris Voluminibus? brevissimè autem in Institutionibus? quod explicare exemplis apud te non est necessarium. Hoc ante *Crassi* ætatem factum non fuit, cum primum leges XII. tabularum, multa continerent capita eodem ordine, quo fuere Decemviris suggesta, interpetrationes

tiones autem contextum ſequuntur authoris. Deinde verò prout quæque res inciderat, leges ferebantur, eæque ſecundum lationis tempora fuere commandatæ literarum memoriæ. Si quæ verò extabant conſultorum ſuper dubio jure reſponſa, eadem quoque non ſub eandem ab ipſis materiam erant collecta, ſed eo ordine annotata, quo ipſi fuere conſulti. Cum itaque incidebat aliqua dubitatio, difficile erat in tanta confuſione intelligere quid eſſet ſequendum. Deſiderabatur autem ars quædam, cujus eſt generatim primò tradere, póſt ſingulas ſpecies explicare, ſingulorum definitiones, etymologias, diviſioneſque proponere, poſtremò quæ incidere ambigua poſſunt, diſſolvere. Hanc ordinationem ego artem voco, quæ cognoſcendi facilitatem inprimis ſuppeditat, veluti ſi varii confuſi ſint nummi, veliſque expeditè quoſlibet depromere, neceſſe fuerit ut antea Philippeos ab Caroleis, Scutatos a Ducatis ſepares, ſuiſque loculis diſponas. Quemadmodum verò hoc nemo poteſt, niſi qui ipſos nummos probè noſcat, ita nec artem Juris ſcribere poteſt, niſi qui genera omnium quæſtionum artificioſa diſtinctione animo complecti queat, & quæ Emptionis ſunt, quæque Commodati, vel Mutui, ſuis ſedibus aptè diſtribuat. Hoc autem dudum factum eſſe non ignoras, quapropter & Digeſtorum uſitata fuit Jurisconſultis inſcriptio, quod in eo multi laborarint, ut in meliorem ordinem ſingula ſemper referrent. Non eſt igitur quod *Craſſi* operam flagitemus. Sed & ipſius *Ciceronis* ætate hoc jam effectum erat, quod apud illum orator *Craſſus* promittit. *Q.* enim *Mutius* Jus Civile generatim primus conſtituit authore *Pomponio*, ut temporis decorum & perſonarum ſecutus *Cicero*, eo loco qui ab iſtis allegatur, ſubjunxerit. Si enim, inquit, aut mihi facere licuerit quod jamdiu cogito, aut alius quiſpiam, aut me impedito occuparit, aut mortuo effecerit &c. occupavit certe *Q. Mutius*, ut modo ex *Pomponio* oſtendimus. Sed initia cujuſque artis rudia ferè ſunt, & ipſe *Scævola*, ut *Cicero* aliquando teſtatur, Dialecticæ fuit imperitus, qua arte maximè opus eſt ad redigendam in artem aliam diſciplinam. Itaque qui eum ſecuti ſunt, ſtudioſius in id incubuerunt. Quorum ut conatum adjuvaret *Cicero*, ſcripſit etiam librum de Jure Civili in artem redigendo, cujus puto mentionem fieri

apud *A. Gellium*. *Servius* ſane *Sulpitius*, qui notas in *Scævolam* ſcripſit, apprimè erat Dialecticæ peritus. Tu itaque, Doctiſſime *Amerbachi*, ſi Methodum vocas artem aliquam qualem tibi modo deſcripſi, fruſtra eam requirimus quam jam diu habuimus. Si intelligis, ut ea expoliatur, ſum ſanè in tua ſententia, jam enim illa multis velut zizaniis ſic eſt obruta ut vix appareat. Quàm multa enim in Voluminibus noſtris ſupervacanea effecit rerum morumque mutatio, quæ reciſa ſi eſſent, non levis in diſcendò labor ſtudioſis adimeretur. Progreſſus ſum longius quam conſtitueram, ſed quoniam me jubes inſtaurandis ſtudiis adeſſe, non leviter ſanè tuo calcare incenſus cœpi diſpicere, quid in ipſis ſtudiis collapſum eſſet, ac cùm epiſtolam tuam ſæpius relegerem de Methodo Juris, lubenter anſam arripui, ut ipſe quædam in medium adferendo tuam ſententiam proliciam, atque a te intelligam, qua arte inſtaurari ſtudia noſtra queant. Erit autem hæc inquiſitio non inutilis utrique, vel etiam aliis, qui ſolent aliquando diſcendi rationem a nobis flagitare. Quare, doctiſſime *D. Amerbachi*, ignoſces ineptiis meis, atque libertati, qua te audeo provocare ut laborem non refugias copioſius mihi explicandæ ſententiæ tuæ circa diſciplinam eam, cujus ego ſum valde ſtudioſus, tu vero jam a multis annis excellenter doctus. Hoc etiam adjiciam, Commentariorum quoque optare me modum aliquem, imo & omninò aliam commentandi rationem. Sunt autem qui nullam omninò interpretationem admittunt, moti ea ratione, quod ejus licentia infinita hæc fiat diſciplina, cùm legum, quarum certa eſt authoritas, numerum habeamus non ita multis libris concluſum, atque etiam illud vetuiſſe *Juſtinianus* creditur. Sed certè ego non video qualiter ſine interpretatione conſiſtere diſciplina noſtra poterit, ea enim maximè æquitati, quam ſemper ante oculos habere debemus, patrocinatur, ſine qua nimis dura & rigida erit lex, cùm de ejus diſpoſitione ſæpe ob rationis diverſitatem interpretatio excipiat, vel, ut nos loquimur, limitet. Jam & pleraque non ſat convenire videntur, quæ per interpretationem conciliantur. Multæ item ſpecies incidunt in foro ad quas leges interdum quædam obtorto collo trahuntur, cum expreſſè & nominatim in illis non reperiamus aliquid definitum. Erit igitur

igitur hic interpretis officium, juſto examine perpendere, quid videatur Legiſlatorum ſententiæ magis accedere. *Juſtinianus* autem, qui ſe omnia prima Codicis Pandectarumque editione complexum credebat, an non eſt propter multos novos caſus prætermiſſos, illic ad repetitam prælectionem coactus, in qua multas adjecit Conſtitutiones? Jam etiam, cùm interpretandi, id eſt, Commentaria ſcribendi licentia adempta eſſet, quantus ſtatim cumulus coacervatarum aliarum ſuper alias Novellarum excrevit? An non ex eo colligimus, interpretationem prudentium neceſſariam eſſe, quæ exorientes quæſtiones diſcutiat, vel Principem debere ſemper intentum eſſe, ut novos caſus novis Inſtitutionibus diffiniat? At cui poſt *Juſtinianum* Principi ea cura fuit, quum jam mille ſint anni quod ille imperio cum morte defunctus eſt? Quid itaque miramur immenſam nunc eſſe Commentariorum molem, quæ initium accepit intra quadringentos annos? Erit autem fortaſſis juſta querela noſtra, de Principum ignavia, qui tot ſeculis ſuccreſcentem tot dubitationum materiam non præciderunt. Et tribus verbis lege firmari aliquid poſſet de quo apud viginti ſcriptores per multas paginas diſputatur. Puto itaque in hac Principum ceſſatione omninò neceſſariam eſſe commentationem. Sed & tum, cùm vigilabant Principes, & huic rei magna cum laude operam dabant, erant tamen plurimi egregii Juriſconſulti, & ii omnes ex quorum interpretatione & reſponſis Pandectæ ſunt digeſtæ, qui Edicta Prætorum, Principum Conſtitutiones, Senatuſconſulta & Leges interpretabantur, ut & tituli librorum, qui ſoli extant, ſatis adhuc oſtendunt. Non ſunt itaque omninò explodendi qui Commentariis aliorum dubitationes inquirendique laborem ſublevant. Verùm ratio potius & Methodus quærenda videtur interpretandi, eam ſi haberemus vel ſequeremur, tolleremus fortaſſis omnem nauſeam quæ plerique ex Commentariorum lectione naſcitur, & minueremus tot Commentaria modumque imponeremus ſcripturientium libidini. Scribimus autem indocti doctique poëmata paſſim, ſed indocti qui nullam artem ſcribendi tenent, ea quæ breviſſimè dici poterant, in longum extendunt, & quæ bene digeſta adjuvare poterant, confuſa ab illis impediunt. Dialecticam ergo didiciſſe debebant ii, qui huic labori manum

ſunt

ſunt admoliti, ea enim ſi rectè adhibeatur, lucem maximam confuſè traditis adfert. Quam pauci plenè diſcunt, & ſi qui ex noſtris didicerunt, ferè tum obliti ſunt, cùm ſe forte interpretandi uſus offert. Jam ut etiam teneamus ordinem tradendi, non quivis habet judicium, quo æquum & iniquum, ſimile & diſſimile diſcernat, rationemque legitimarum Conſtitutionum percipiat. Alii hæc omnia tenent, ſed eloquendi arte carent, in pauciſſimis verò omnia hæc ſunt, quæ requirimus, ut rectè commentandi conatus ſuccedat. An tu non jam dudum feſſus es, optime *Amerbachi*, meis nugis & loquacitate? Sed tamen cùm tu hunc locum patefeceris, occaſionemque mihi cogitandi dederis: viciſſim tibi volui quæ ſentirem exponere, quo tu hæc ipſa uberius tractando, cùm erit opportunum, quæ tibi viderentur perſcriberes. Hic autem neminem habeo, cum quo de ejuſmodi re deliberem. Et qui ſanum quærit conſilium, oportet ut ad peritos, id de quo ambigit, referat. Volo autem hîc peritos non tantum literarum, ſed etiam Juris, quique & illam ipſam commentandi rationem teneat, qua damnata meliorem ſcrutamur. Malè enim condemnat qui cauſam non cognovit. Ego vero te, mi *Amerbachi*, ſcio in omnibus optimis diſciplinis egregiè verſatum, de quo unius *Eraſmi* de te ſufficit elogium, cùm tu præterea ab omnibus ferè eruditis veris Germaniæ noſtræ celebrere. In Jure verò, cui potius credam quàm maximis magiſtris *Zazio* & *Alciato*, quorum uterque ſummam tibi laudem in Juriſprudentia tribuit. Tu itaque da quæſo operam pro amicitia noſtra, ut intelligam qua ratione fieri poſſe exiſtimes, ut Juriſprudentia repurgata a tam fedis multorum commentariis, ad priſtinum decorem queat reſtitui, vel ſi tibi etiam non ſatis placet Veterum traditio, oſtende quam figuram legum & diſciplinæ politicæ probes. Hoc a te liberè & familiariter peto, viciſſim non veriturus meas nugas in tuum ſinum effundere, hic enim uſus eſt & amicitiæ & epiſtolarum inter amicos ſtudiorum copula conjunctos. Vale. Patavii menſe Junio. an. 1532.

EPI-

EPISTOLA XXX.

Ex Tomo II. fol. 106.

ERASMO ROTERODAMO.

Agit gratias de missa ad se per Baptistam Egnatium epistola. De Germano quodam Erasmi obtrectatore. De Amphiteatro Julii Camilli. Quare non contraxerit familiaritatem cum Bembo; qui cum Egnatio dissidet. De Lazaro Bonamico & Romulo Amazeo. 1532.

CUm Venetias me contulissem ob solemnem (uti scis) ibi Dominicæ ascensionis celebritatem (1) commodum eodem tempore illuc *Epborinus* cum tuis ad me literis appulit. Eademque hora & alteras ab *Baptista Egnatio* accepi, in quibus tantùm adjeceras, epistolam prius missam denuò te mittere per Cyprium quendam, qui nusquam tamen apud nos apparuit. Et *Egnatius* a *Bebelii* famulo literas sibi traditas ajebat. Ego autem prioribus jam pridem antea responderam. Tali verò vicario, quando te ipso frui non licet, valde gavisus sum, tibi etiam non vulgares gratias agens, quod literis tuis notitiam mihi apud illum præstruxeris. Quam ego ex mea parte omni studio excolere pergam. Patavium autem illum deduxi, omnibusque quibus potui officiis hactenus adjuvi. Quem & hoc amplectar arctius, quod in eandem erga te affectionem animique sinceritatem concurrere mihi

(1) *Dominicæ ascensionis celebritatem*] Quæ est res notissima, cùm Venetorum Dux, ascensa navi ornatissima, quam *Bucentaurum* appellant despondet sibi ac Reip. quotannis mare Adriaticum, quando jacto in pelagus circulo aureo, præsentibus Principum exterorum & in primis Imperatoris, legatis, tamquam testibus, hac utitur forma sacramenti: *Desponsamus te, Mare, in signum veri & perpetui dominii.* Hanc ceremoniam cœpisse circa finem seculi duodecimi contendunt historici Veneti. Vide, si paucis bene tecum agitur, *Mabillonium in Musæo Italico. tom. 1. p. 36.*

mihi videatur. Unde & me frequentiſſime tui mentione exhilarat. De Germano illo non omninò male conjectaſti. Quid mirum autem mihi cum eo parum convenire, cùm ſibi temperare nullo modo ne apud *Anſelmum* quidem poſſit, cum quo tamen illis communis patria eſt, & cujus judicium pluris facere debebat, quàm meum. Ego autem quibus cum ipſo conditionibus convenerim, nuper perſcripſi. His hactenus utcunque apud me ſtetit, convitiiſque abſtinuit. Nuper nonnullum illi aculeum infixi, oſtenſa nuncupatione tua ad *Turzonem* Epiſcopum (2) in pſal. 38. Ex illius enim beneficentia diu ille ſuſtentatus eſt, & adhuc quotannis ab eodem viaticum poſcere ſolet. De Italis autem ita illi penitus inſita opinio eſt, evelli ut nullo pacto queat: eos enim perpetuò ille vult incomparabiles eſſe. Porro apud cæteros diſſimulo; nec ipſi ſatis quod ſentiunt, exprimere audent, & hoc ferè autore uti ſolent. De Amphitheatro nuper aliquid promiſi. De quo poſſem nunc longiſſimè ſcribere, niſi vererer, ne ſerias aures tuas ejuſmodi nugis offenderem. Nam ne quid ignores, fuit & *Viglius* in Amphitheatro, omniaque diligenter perſpexit. Opus eſt ligneum multis imaginibus inſignitum, multis undique capſulis refertum: tum varii in eo ordines & gradus. Singulis autem figuris & ornamentis ſua loca dedit, tantamque mihi chartarum molem oſtendit, ut etſi ſemper audierim *Ciceronem* uberrimum eloquentiæ fontem eſſe; vix tamen induci ante potuiſſem, ut crederem unum autorem tam latè patere, totque ex eo volumina conſarcinari potuiſſe. Authoris nomen tibi ſcripſi, *Julius* quippe *Camillus* (3) vocatur. Eſt autem valde balbus,

(2) *Ad Turzonem Epiſcopum*] Enarratio pſalmi XXXVIII. *Dixi: cuſtodiam vias meas*, nuncupata *Staniſlao Turzoni* Epiſcopo Olmutzenſi, exſtat in *noviſſ. edit. Operum Eraſmi tom. 5. col.* 417. Quantus ejus patronus fuerit, ſparſim in *Eraſmi* epiſtolis occurrit.

(3) *Julius Camillus*] de quo in *Eraſmi* epiſtola reſponſoria ad *Viglium*, quæ eſt in appendice CCCLXX. col. 1754. hæc lego. „ De *Julii Camilli* libro, miror iſthic muſſari, quum „ Lutetiæ excuſus volitet per omnes regiones. Non perlegi „ totum, tantùm carptim deguſtavi: totus a capite uſque ad „ calcem ſcatet impudentiſſimis mendaciis, & pluſquam furio-

„ ſis

bus, & latinè ægrè loquitur, hoc ſe prætexta excuſans, quòd ſtyli perpetuo exercitio loquendi uſum propè amiſerit. In vernacula autem lingua aliquid valere dicitur, quam etiam aliquando Bononiæ profeſſum eum ajunt. Cum rogarem de operis ratione, inſtitutoque ac ſucceſſu, cuncta religioſè quaſi obſtupeſcens rei miraculo, chartas aliquas objecit, eaſque recitavit, ſic ut numeros omnes & clauſulas, totumque artificium exprimeret Italicis modis, ſed valdè imparibus propter linguæ impedimentum. Rex urgere dicitur, ut redeat tandem in Galliam cum magnifico opere. Sed cùm latina omnia debeant in Gallicam linguam, volente ſic Rege, tranſponi, in quam rem interpretem ſcriptoremque conduxit, fit, ut profectionem differre cogatur, ne ſemiplenum opus exhibeat. Hoc autem theatrum ſuum author multis appellat nominibus, aliquando mentem & animum fabrefactum, aliquando feneſtratum: fingit enim omnia quæ mens humana concipit, quæque corporeis oculis videre non poſſumus, poſſe tamen diligenti conſideratione complexa, ſignis deinde quibuſdam corporeis ſic exprimi, ut unuſquiſque oculis ſtatim percipiat quicquid alioqui in profundo mentis humanæ demerſum eſt. Et ab hac corporea etiam inſpectione theatrum appellavit. Cùm rogarem, num aliquid ſcripſiſſet ad opinionis ſuæ defenſionem, cùm multi hodie ſint, qui ſtu-

„ fis convitiis. Neque ſibi conſtat, neque quicquam cohæret. „ Aſſumit me hoc egiſſe, ut obliterato *M. Tullii* nomine, mea „ unius ſcripta legerentur. Ait meos libros Lutetiæ publici„ tus fuiſſe exuſtos, ignem ſubjiciente carnifice. Ait me apud „ *Aldum*, ſervi hominis fuiſſe functum officio, hoc eſt, Lectoris, „ quum apud *Aldum* nihil legerem præter penultimam for„ mam, ſi quid vellem addere. *Aldus* legebat poſt me, idque „ tantùm in meis *Adagiis* quæ ſimul & a me ſcribebantur, „ & ab *Aldo* excudebantur. Ait vix temperatum a manibus, „ quod in ea menſa ſederem, quum ſederem ſupra *Aſulanum* „ & *Aldum*, quumque ſummo ſtudio hoc egerint, ut abſolu„ tis *Adagiis*, me menſes aliquot remorarentur. Quodam in „ loco citans *Ariſtotelem*, ait, *hoc tibi non dico, tu non legiſti* „ *Ariſtotelem*, quum plus trecentis locis citem *Ariſtotelem* Græcè „ ac Latinè. Quid multis? Omnia ſuperant quemvis *Oreſtem* „ atque *Ajacem*. “

ſtudium hocce de imitando *Cicerone* improbarent, reſpondit in eam ſententiam: multa a ſe ſcripta, nulla verò adhuc edita, niſi paucula quædam in lingua Italica, in Regis gratiam. In animo verò habere de eadem re ſuam publicare ſententiam, ubi quietem impetraverit, opere videlicet profecto, cui totus incumbit, & ut ipſe prædicat, in quod mille & quingentos jam ducatos impendit, cùm Rex tantum quingentos adhuc donarit: a quo tamen ampliſſima munera expectat, ubi operis fructum ſenſerit. Cum *Bembo* nequeo eam quam cupio familiaritatem mihi parare. Nec enim ſatis adhuc Italicam linguam calleo, nec audeo eſſe moleſtior, cùm ille latina non ſatis lubenter utatur. Si quando ſaluto, interpretem paro, vel ut umbra aliquem conſector, qui Italice cum eo loqui poſſit. Cum *Egnatio* non ſatis ei convenit: cauſam diſſidii ignoro. *Bembus* autem ſe diligenter purgat. Hoc autem nuper admodum intellexi. Nam cùm *Alciatus* ad nos ſcripſiſſet, peſtem Biturigibus recrudeſcere, ac ſe alias ſedes quærere, cupereque imprimis venire Patavium: ego cùm alios nonnullos, tum & *Bembum* interpellavi, ut illius voluntatem adjuvaret, ſcriberetque Venetias ad eos quibus Academiæ procuratio commiſſa eſt; tum etiam ut *Egnatium* exhortaretur, quo hoc negotium nominatim illi ab ipſo *Alciato* mandatum ſedulò obiret. In cæteris quidem operam ille omnem obtulit, ad *Egnatium* verò ſcribere ſe non poſſe excuſavit, teſtatus illius erga ſe odium. Monuitque, ut ſi *Alciati* cauſæ vellem conſultum, tacerem apud *Egnatium*. *Sucquetus* quæ ad te, eadem quoque ſæpius jam ad me ex Taurino ſcripſit, ubi hactenus omnia ei ita arriſere, ut nullis epiſtolis huc evocari a nobis potuerit. *Lazarus Bonamicus* Bononiam redire meditatur, Credo quia Cardinalis *Campegii* filius (4) quem ipſe hîc privatim inſtituit,

(4) *Cardinalis Campegii filius*] „ *Laurentius Campegius* nobilis „ Bononienſis, *Joannis* filius, in lucem venit die 7 Novem„ bris 1472. & annos tantùm natus novemdecim Patavii & „ Bononiæ Jus Cæſareum incredibili auditorum admiratione „ una cum patre *Joanne Campegio*, cujus opera in pretio fuit, „ publicè profeſſus eſt. Filium habuit ex legitimo natum ma„ trimonio *Alexandrum* vocatum, qui primùm apoſtolicæ Ca„ meræ.

tuit, Episcopus Bononiensis factus sit. Quidam quoque illius studiosi vehementer contenderunt adversus *Romulum Amazeum* (5) conditionem ei parare, & quoniam *Romulus* cedere recusat, jam subornantur adolescentes, qui causam apud Præfectum Bononiensem declament. Itaque *Longolianas* rursus actiones expectamus. Bene vale Optime Maxime Domine. Patavii. 8. Junii 1532.

„ meræ Clericus, & Decanus, Bononiæ deinceps episcopus, „ Avenionensis vice legatus, tandem a Julio III. anno nostræ „ salutis 1551. S. R. E. Cardinalibus adscriptus est. " *Ciacon. tom.* 3. *col.* 384. At *Laurentius* pater, cujus gesta apud *eund. Ciacon.* legas, a *Leone X.* die 1. Julii 1517. purpurâ ornatus fuit.

(5) *Romulum Amazeum*] Is ex provinciæ Forojulienſis oppido Utino (Udine) quod est ditionis Venetæ, patre *Georgio* natus, Patavii docuit Græcas Latinasque literas, unde Bononiam migrans, Reip. fuit a secretis. Dein a Paulo III. educationi *Alexandri Farnesii* Cardinalis præfectus, plures legationes implevit, ac tandem a *Julio III.* amissâ priùs uxore, secretarii *Brevium* officium consecutus est. Obiit anno 1552. *V. Niceronium tom.* 32. qui ejus opera recenset, inter quæ non reperio *Panegyricum Georgio Sauromanno Bononiens. Gymnasiarchatus insignia suscipienti dictum*, & impressum apud Benedictum Bibliopolam Bononiensem in 4. an. 1513: quem adfert *Mettaire in ann. typogr. tom.* 2. *part.* 1. *p.* 247. *In bibl. Card. Imperiali* citatur *Amasæi Oratio in funere Pauli III. Bononiæ per Jo. Rubeum* 1563. *in* 4. quæ pariter *Niceronio* fuit ignota.

Ex Tomo V. fol. 36. vſo.

EPISTOLA XXXI.

UDALRICHUS ZASIUS (1). VIGLIO ZUICHEMO.

1532. *Suadet Viglio ut typis edat ſcriptum in ſui defenſionem compoſitum. De operibus edendis conſentit, Viglioque cathedram ſuam offert.*

„ Literas tuas amiciſſimas, doctiſſime *Vigli*, quas XXVIII. „ Aprilis ſcripſiſti, magnus ille patronus meus *D. Joan-* „ *nes Paungartner* (2) hodie die datæ præſentium, mihi „ præſentari fecit. Quapropter non eſt quod mireris, ſi ad „ te interea non ſcripſi. Accepi jam dudum Defenſorium „ mei (3), quod tu, vir admirabilis doctrinæ in contro- „ ver-

(1) *Udalricus Zaſius*] de quo ad Vitam N. XVIII.
(2) *Joannes Paungartner*] V. ad Vitam N. XX.
(3) *Defenſorium mei*] Hoc ſcriptum ex Codice Collegii Vigliani Lovanii, notato V. hic apponendum duxi.

De Controverſia eruditiſſimi Viri D. Udalrici Zaſii & Petri Stellæ circa intellectum l. repetitio ff. de con. indeb.

Cùm regulariter ei qui non debitum ſolvit, condictio conceſſa ſit, excepta tamen ea ſpecies eſt, ut (a) ſcilicet, quoties vero creditori ſolutio facta eſt, tametſi ab eo qui ipſe non debebat, ceſſet repetitio. Id tamen non caret ſcrupulo, nam interdum vero creditori proprio nomine ſolvitur, interdum alieno, (b) ejuſque rei diſcrimen in difficili eſt, atque ad hanc ſententiam conſtabiliendam, quædam Juriſconſultorum reſponſa proferuntur, antinomiam (c) prima fronte præ ſe ferentia, quæ ea tamen diſtinctione fœdus inter ſe recipiunt. Recentiores (d) autem quidam nimis longe petitam pugnantium legum concordiam aſſerentes, planiore facilioreque ratione conciliari ea reſponſa poſſe exiſtimant. Atque inde

„ verſia *Stellata* ſcripſiſti, ſi modo lia affiſtata in contro-
„ verſiam venire poteſt. Cum deſiderio, & quidem ſingu-
„ lari

inde jam non levis orta controverſia eſt inter quoſdam principes ætate noſtra profeſſores, *Zazium* dico & *Stellam*, illum Germanum, hunc Gallum. Unde etiam ad ipſos ſtudioſos hoc diſſidium prorepſit. Scio enim eo tempore, quo in Gallia Juriſprudentiæ operam dabam, pleroſque pertinaciter *Stellæ* invento adhæſiſſe: ex noſtratibus autem non vulgariter eruditos adoleſcentes pro communi opinione, cujus aſſertor eſt *Zaſius* (e), fortiter reſtitiſſe. Quamobrem nec inutilem, nec ingratam rem legalis diſciplinæ candidatis facturum me exiſtimavi, ſi quod ipſe ſentirem, in medium proponerem, haud equidem cenſuram inter tales viros profeſſus, nec alterius partis ſtudio motus, ſed quo ad eam opinionem; quæ mihi probabilior veriorque videtur, revocarem eos, quibus novum ſingulareque dogma nimium arriſit. Illud itaque, unde totius cauſæ caput dignoſci poteſt, quodque per ſe obſcurius eſt, principio explicabimus.

Veriſimum enim exiſtimamus eſſe, quoties vero creditori ſolvitur, ab eo etiam qui non debebat, repeti non poſſe, quum debitorum nomine ſoluta eſſe videantur. Alius enim pro alio ſolvere poteſt, & alius pro alio ſolvendo verum debitorem liberat (f). Quod ſi verò hîc condictionem ſolventi concederemus, verus creditor in damno maneret, liberato ſcilicet debitore, cùm nihilominus repeteretur id, quo liberatio contigit. Obligatioque ſemel extincta ſuſcitari, reſtituique regulariter nequit, (g) quod tamen æquum eſſet, ſi condictio permitteretur. (h) At quum vero creditori ſolvitur ab alio qui non debebat, nec tamen debitoris ſed proprio nomine, hîc alteri ipſo jure contingere obligatio nequit. (i) Ac cùm indebitum fuerit, ſuperioreſque rationes ceſſent, non immeritò illic condictio conceditur. Idque, etiamſi per ſe ſat firmis rationibus fundatum ſit, tamen & ex *Pomponii* reſponſo manifeſte colligitur, ſiquidem ille (k) regulariter non poſſe id repeti ſignificavit. Quod vero creditori ſolutum eſt, niſi, inquit, quis ſuo nomine ſolverit. Generaliter autem quum vero creditori ſolvitur, videtur potius debitoris nomine quàm proprio ſolutum eſſe, quod ſanior etiam Interpretum pars probavit, (l) ſi non is qui ſolvit, ipſe aliquo nomine obligatus quoque fuerat. (m) Nec *Jaſonis* (n) argumento multum moveor, quo ait, indiſtincte factam ſolutionem, eo nomine videri factam, quo utilior ea eſt ſolventi, (o) utilior verò erit ſi proprio nomine facta intelligetur, cùm repetitionem

tunc

„ lari legi quæ tu tam peritè elaborasti, & cùm in omni-
„ bus tibi accedam, qui in utramque partem arbiter sicuti
„ peri-

tunc pariat. Nam ego id ita verum esse credo, quod *Jason* ait, si utilitas ea in solventis consideratione esse potuit. At hic non potuit, nam si solvit cum repetendi intentione, eo ipso non repeteret, cùm quasi indebitum sciverit se solvere. (p) Quamquam sane & *Jason* sic suam opinionem in fine (q) restringit, ut in idem fere incidamus. Ratio quoque ipsa docet, quare videatur debitoris nomine in dubio solutum vero creditori fuisse, quod cùm sciam creditorem esse eum cui solvo, necesse prope sit, cogitationem mentemque me habere ad id quod debitum est. (r) Debiti igitur sive debitoris respectu solvo creditori, non id considerans an ego debeam, sed an debeatur. Is itaque qui pro hærede hæreditatem possidet, se hæredem esse putans, si quid defuncti creditoribus solvit, non censetur factus locupletior, nec condictionem habet, quum alieno nomine solverit. Difficile autem est in hærede putativo, atque eo qui bonæ fidei possessor est, distinguere solutionem, quæ suo nomine, ab ea, quæ alieno, id est defuncti vel hæredis veri, debitorisque sit. Sed tamen cùm hæres defuncti fere nomine a creditoribus appelletur (s) censebitur & defuncti nomine solvere, defunctumque sive ipse sit, sive quis alius, repetita ab eo hæreditate liberare, & tum cessat condictio. Quoties autem is, qui hæredem se putat, ultro solutum it creditori, magis suo nomine id facere videtur, quàm ob defuncti successionem interpellatus, atque aliter vix video posse differentiam, quæ ex *Pomponii* responso colligitur, declarari. Quod & *Accursius* voluisse videtur, (t) nisi quod ille motam controversiam fuisse hæredi requirit, ut defuncti nomine solutio facta videatur, ego verò solam interpellationem vel protestationem sufficere credo. Cum autem homines fere expectare creditoris interpellationem soleant, nec sponte ad solutionem festinare, (u) indubie mihi vedetur, interpellationem posse præsumi debitoris scilicet defuncti, hæreditarioque nomine factam, quo casu nullam esse repetitionem liquido ostendemus. Quod si verò suo nomine solvisse hæredem appareret, merito condictionem concesserimus. Et sic alibi idem *Pomponius* tradidit (w) id satis ex eo significans, quod verum debitorem liberatum esse negat, cùm si debitoris nomine solutio facta fuisset, procul dubio diversum fuerit respondendum. Præsumitur itaque interpellatus quis solvere, & interpellatus veri debitoris nomine; quo casu cùm debitor liberetur, iniquum esse condictionem tribuere,

„ peritiſſimus, ita ex pari æquus fuiſti, rogo, quàm maxime
„ poſſum, ut judicium tuum typis informandum edas, eo
„ quo

buere, atque indubie ita ſe res habet. Quod ſi verò hæc noſtra explicatio diſplicebit, id tamen ex communi opinione erit concedendum, in dubio debitoris nomine ſolutum vero creditori videri (x) ſecundum quod & *Pauli* (y) reſponſum intelligitur de omnibus quod ſic ſe habet: Repetitio nulla eſt ab eo qui ſuum recepit, tametſi ab alio quàm a vero debitore ſolutum eſt. Quamobrem ex hoc intellectu non adverſatur *Paulus Pomponio*. *Paulus* enim ſecundum id quod regulariter evenit atque obſervatur, negat repetitionem, *Pomponius* autem eo caſu permittit quo ejuſmodi ſolutione non eſſet liberatus debitor, id eſt, quo aliquis ſuo nomine ſolviſſet. Atque in hanc ſententiam Juriſconſultorum reſponſa interpretatus eſt *Udalricus Zaſius* (z) omnium Juriſconſultorum, quos hodie Germania noſtra habet, facile princeps, cum antinomiam ab *Guilielmo Budæo* annotatam (aa) animadvertiſſet. Succeſſit autem poſtea temporibus iis quibus nos in Francia habitavimus, *Petrus Stella* Aurelianenſis Academiæ primus profeſſor, vir apprimè doctus, & in enodandis Juris difficultatibus admirabilis induſtriæ ac ingenii. Is oſtendit (bb) illud diſſidium contrariarum legum poſſe alia ratione ac multò quidem apertiore diſſolvi: quam miratur prius non animadverſam a tot præſtantibus interpretibus, quibus interdum uſu venit, quod de *Thalete* philoſopho proditum eſt. qui dum ſydera & cœlum intuetur intentius, in ſcrobem ante ſe incidit, quo modo & Doctores, dum nimis ſubtilem affectant legum intelligentiam, ab obvio expoſitoque legum ſenſu longiſſime interdum aberrant. Ex illius igitur ſententia id voluit *Paulus* (cc) nullam eſſe repetitionem ab eo qui *ſuum*, id eſt, cujus dominus eſt, recepit. In *Pomponii* autem reſponſo (dd) de eo creditore agitur, qui rem debitam recepit: hoc, inquit ille, ſenſu, nihil eſt ſimplicius, nihil verbis Juriſconſultorum aptius, quo omnis impropria ſuppletivaque interpretatio evitatur. Alius verò, qui vulgo receptus eſt, præterquam quod divinatoriam quamdam ſubtilitatem præ ſe fert, ut idem auctor demonſtrat, non niſi vi quadam, verborumque impropria ſignificatione eo intruditur. Quamobrem adverſus *Zaſium*, communis opinionis ſtrenuum aſſertorem, graviter invehitur tantum non famoſis libellis, quaſi qui lucem tam apertæ intelligentiæ aſpicere detrectet, tamque admirandam ejus facilitatem non obviis ulnis excipiat, palinodiamque tam

„ quo ſcripſiſti tenore, nihil demutans. Erit ea res non „ tam mihi laudi, quàm ingenii tui eminentiæ celebrationi. „ De

diu differat. Et ſane cuilibet prima facie *Stellæ* intellectus blanditur, verùm nunc velim rogatum ſynceri, integrique judicii lectorem, ut omni affectione ſemota, qua veritatis luminibus graviter obſtruit, rem ipſam, atque adeo interius excutiat, & niſi mea me fallat opinio, communem interpretationem longe præferet novæ iſti opinationi *Stellæ*. Quod cum ex iis quæ dixi, utcumque poſſit per ſe intelligi, tamen argumenta etiam ipſius recitabo, confutaboque. Nam ut dicam quod ſentio, videntur mihi valde imbecilla eſſe, nec tam glorioſe promulgatam opinionem ſatis ſuffulcire. Argumenta autem fere talia ſunt.

Cùm lex, inquit, ſimpliciter dicat, nullam eſſe repetitionem ab eo qui *ſuum* recepit, adjicere, ſupplereque: *ſi alieno nomine receperit*, & ubi lex non diſtinguit, (ee) diſtinguere, an non manifeſte adverſus regulas juris peccatur? Et in ſe illud manifeſtam ariolationem continet? Deinde etiam adverſatur dictio univerſalis, *nulla*, quæ ejuſmodi reſtrictionem non admittit. Et *ſuum* proprie ad dominium refertur (ff) quæ dictio, ex vulgari ſenſu ad debitum improprie accommodatur. Sed hæc, ut dixi, levia ſunt, & diſſolvi facile poſſunt, ſi ſuperiora quis diligentius intueatur. Nam quod in *Pauliano* reſponſo illa verba ab interpretibus adjiciuntur, *ſi nomine debitoris ſolutio facta eſt*; nihil vel minimum obſtat, cùm commentatores interpretari tantum voluerint, id quod ex rei natura regulariter per ſe intelligitur. Quoties enim, (ut ante latè deduximus) vero creditori ſolvitur, cenſebitur indubiè veri debitoris nomine ſolutum atque debiti reſpectu. Cùm id itaque per ſe contineatur, talis interpretatio nihil quod video reſtringit, ſed id quod tacitè intelligebatur, explanat. Quinimo *Pomponii* reſponſum (gg) condictionem in ſpeciali caſu concedentis adverſùm regulam, ſuppletione plane opus habuiſſet, niſi adjectum fuiſſet, *verum illic debitorem non fuiſſe liberatum*, ex quo conſequens eſt, ſuo nomine ſolutionem eſſe factam. Quapropter non videtur etiam communi interpretatione, quicquam univerſalem dictionem coarctari, cùm id quod ſuppletur, ſecundùm Juris diſpoſitionem præſumptionemque intelligatur. Et tantum operatur facilis ſenſus, quantum ſi expreſſè ſic dictum fuiſſet: Nullam repetitionem eſſe ab eo, qui *ſuum* recepit ſolvente alio veri debitoris nomine. Et hæc certiſſima ſunt, quæque ex Jure, ſi quis penitius intueatur, aper-

„ De aliis lucubrationibus meis quod me hortaris ut publi-
„ cem, faciam ut primùm per occupationes & valetudinem,
„ qua

apertiſſime conſtant. Sed ille potiſſimam ejusce opinationis ſuæ baſim ex eo conſtruebat, quod *ſuum* impropriè pro debito accipiatur, cùm ubique verborum proprietati potius ſit adhærendum. Quod nec ipſum multùm ſanè me moverit, cùm in eadem propriè ſpecie bis, (hh) terve legamus, neceſſariò *ſuum* eam interpretationem requirere, ut non videam, quare in hoc caſu ſit rejicienda. Nam illud ſanè ratione caret, quod ne ambigere quidem nos patitur de ejuſce dictionis ſignificatione, cùm totiès, & in ſimilibus thematis pro debito accipiatur. Poſſet autem fortaſſis non improbaliter dici, *ſuum* hìc ſecundùm communem interpretationem non impropriè poni. Fatemur enim, cùm de argento quis *ſuo* loquitur, (ii) cùm dicimus aliquem libros *ſuos* legaſſe, intelligi id prænomen de dominio. Sèd non idem forte erit, cùm dicimus, *ſuum recepit* vel *repetit*, id eſt cùm per ſe ſimpliciter ponitur, repetit enim ſuum debitum dicimus, an hìc verò ulla intelligitur eſſe improprietas? Simpliciter ſcio ſæpiùs proferri, ſed in eodem tamen ſenſu. Et quamquam *ſuum* ſubſtantivè ſtet, cum dicimus, *repetit ſuum*, naturam tamen primogeniam, quam habet ut ſecundùm ſubjectum queat intelligi, nequaquam exuit. Poteſt itaque intelligi *ſuum recipit*, tam propriè de debito, quàm de quavis alia re. Cujus fortiſſimum argumentum colligitur ex *Ulpiani* quodam capite (kk) qui apud *Labeonem* ſic ipſe *ſuum*, pro eo quod ſibi debetur, exponit.

Nunc porrò reſtat, ut oſtendamus, *Stellæ* intellectum, qui in ſe fortaſſis verus eſt, & utcumque ad *Pauli* reſponſum poſſet applicari, haud tamen videri ex Juriſconſulti eſſe ſententia. Et in primis multum mihi placet *Zaſii* argumentatio ab tituli congruitate, cùm enim id reſponſum ſub condictionis indebiti tractatu includatur, videtur procul dubio in ea ſpecie accipiendum eſſe, in qua dominium rei in alium transfertur. Nec obſtat, quod ait *Stella*, condici etiam interdum poſſeſſionem vel detentionem, nos enim in ambiguo, id quod titulo congruentius eſt, & quod frequentius accidit, ſequendum potiùs arbitramur, quàm quod . . . . . contingit. Jam verò communis interpretatio multo eſt notabilior, ſpeciemque eam ponit, quæ in condictionis indebiti tractatu omitti nullo modo debebat. Quin & ex poſtremis reſponſi *Pauliani* verbis ſatis percipi poteſt is ſenſus, quem nos ſequimur. Tametſi, inquit, ab alio quàm a vero debito-

» quæ plures jam menſes torqueor, licuerit. Nihilominus *In-*
» *tellectus* meos locupletatos, cum Tractatu *Inſtitutionum* non
» pœnitendo, edidi, cujus tibi proximo nuntio exemplum mit-
» tam. Tu interea me, ſicut cœpiſti, ama, fideliſſimum ſine-
» du-

re ſolutum eſt; id quippe innui tacitè videtur ex veri debitoris cauſa, ejuſque nomine ſolutum eſſe, etiamſi non ab eo qui ipſe debebat. Sed & debitoris & ſolutionis verbum communi ſententiæ ſuffragatur, utrumque enim requirit debiti cauſam præceſſiſſe, atque ex ea ſolutionem eſſe factam. Et ut admittamus & eum qui reſtituit, ſolvere nonnumquam dici, tamen quid crebrius & regulariter magiſque proprie ſignificet, attendi ſolet. Cum itaque commune axioma & rationibus & legum auctoritate abunde ſit defenſum, nec *Stellæ* ratiunculæ ad rem faciant, atque ipſius intellectus a remotis, ut dicimus, ſit petitus, & extra præſcriptos tituli fines quæſitus, nihil video cauſæ eſſe cur non malimus in veterum opinione, *Zaſii* auctoritate confirmata, conquieſcere.

(a) Glo. in l. eleganter §. fin. ff. de cond. indeb. (b) l. ſi quid poſſeſſor ff. de pet. hæred. l. Papinianus ff. mand. (c) l. Repetitio. l. ſi pœnæ §. 1. ff. de cond. indeb. (d) Petr. Stella in repetitione d. l. repetitio. (e) In Antinomiarum tractatu. (f) l. ſolvendo de neg. geſt. & in prin. Inſt. quibus modis tollatur obligatio. (g) l. qui res §. aren. ff. de ſolution. (h) Arg l. 2. §. fin. ff. ſi ex nat. ca. ag. (i) d. l. ſi quid poſſeſſor. (k) in d. l. ſi quid in med. (l) Bar. & dd. in l. ſi pœnæ §. 1. ff. de cond. indeb. (m) ut in l. Papinianus. ff. mand. cum ſimilib. (n) in l. ſi pœnæ §. 1. (o) l. 1. & 2. ff. de ſolut. (p) Arg. l. quod quis ff. de cond. indeb. (q) in d. l. ſi pœnæ §. quamvis. (r) Faciunt quæ notat Bar. in l. ſi pupilli §. item quæritur ff. de neg. geſt. (ſ) fac. l. pro hærede ff. de acq. hæred. (t) in l. ſi quid. in ver. ſuo nomine in fin. & Paul. de cas. in d. §. quis. (u) arg. not. in l. cum de indeb. ff. de prob. (w) in d. l. ſi pœnæ. §. 1. (x) in d. l. ſi pœnæ §. 1. (y) l. repetitio ff. de cond. indeb. (z) In antinomiarum tractatu. (aa) in l. fin ff. de edil. edi. (bb) In repetitione d. l. repetitio (cc) In d. l. repetitio. (dd) in d. l. ſi quis. (ee) l. de pretio ff. de public. cum vulgar. (ff) l. quintus §. argento ff. de aur. & arg. leg. cum ſimilibus. (gg) in d. §. quamvis. (hh) l. ſi quis delegaverit ff. de novatio. l. purè §. ſi eum ff. de dol. mal. excep. l. de hæredit. C. de petitio. hære. l. 1. ff. quod cum eo qui. (ii) ut in d. §. argento. (kk) l. qui autem §. apud Labeonem. ff. qui in frau. cred.

„ dubio amicum. Cogito de mediis quibus efficiam, ut in locum
„ tu meum Ordinarius Juris Civilis eligaris. Septuagenarius
„ senex sum, quotidianis morbis attritus, memoria diminuitur,
„ vires corporis abierunt, crura officium facere negant, vox
„ frangitur, & ita in me nihil est quod non sit effetum. A Prin-
„ cipe nostro insigni sum privilegio provisus, quo simili nescio
„ an alicui Juristæ sit consultum. Eo uti privilegio pergam,
„ cùm tu mihi sufficiare: nec enim facile patior, ullum mihi
„ alium substitui. Verùm ea in re quid tibi animo sedeat,
„ cùm poteris scribe. Salarium centum floreni sunt, practi-
„ ca quæstum præbet homini in lingua vernacula facundo.
„ Consiliis faciendis docti viri, quorum tu princeps es, ad-
„ modum quàm occupantur. Vale & parce pauca scribenti,
„ plura enim volui, sed negotia volentem præpedierunt. Ex
„ Friburgo IV. Julii 1532. “

EPISTOLA XXXII.

Ex Tomo II. fol. 133.

UDALRICO ZASIO.

Ad superiorem Zasii epistolam prolixe reponit amoris & observantiæ suæ testificationes varias. Pro oblata sibi loci ejus successione gratias agit. Profitendi munere quare cupiat abstinere. Quæ de Stellæ controversia scripsit typis edere differt. 1532.

NOn alia erat causa, doctissime *Zasi*, cur tantopere literas tuas efflagitarem, quàm ut veteri mea in te observantia aliquot epistolis declarata, tuum erga me affectum eo pacto vicissim excitarem. Sine qua conditione amicitia scilicet dici nequit: quando ea nihil est aliud, quàm mutua animorum concordia. Quanquam autem tu hoc satis præsens præsenti declarabas, tamen nescio quomodo mihi sit visum, arctiorem mutui amoris copulam fore, si literis ultro citroque confirmatus esset. Sed & cùm ego gloriæ mihi ducam, amare *Zasium*, & redamari ab tanto viro, Principe videlicet omnium Jurisconsultorum, quo vel habet, vel habuit

buit unquam Germania, videbatur eo mihi illustrior futura, si non in tacito animorum consensu consisteret, sed literis contestata esset. Opto autem inprimis hac benevolentia tua quàm diutissime frui. Proinde Deum Opt. Max. rogo, ut te in multos annos incolumem servet. Cujus etiam voti spem concipio. Nec enim me movet, quod septuagesimum jam annum agas: etenim triginta adhuc restant, ut finem vitæ civilem (uti scis) compleas. Rari, inquis, sunt qui eò pertingunt: attamen sunt, & exempla suppeditat *Cicero*. Et mihi videtur multum referre, qualem quisque sortitus sit animum, corporis habitatorem & inquilinum. Quemadmodum enim magnificæ ædes, si non sartæ tectæ serventur, si negligentem dominum habeant, subito concidunt corruuntque (quod in desertis Principum palatiis, vel arcibus probe licet observare) ita & corpus nostrum, si sortitum fuerit animum penes quem nulla tuendæ valetudinis ratio constet, citò labascit. Quod si verò talis alicui contigerit possessor, corporalis domicilii animus, qui moderatè otio indulgere, & negotia tempestivè tractare sciat, is longævam corporis cum animo consuetudinem facile tueri poterit. Quod si autem *Zasium* egò rectè cognosco, non videtur mihi ipse ignorare, quomodo illud charæ animæ domicilium sit fovendum. Accidit autem multa a liberis adhuc parvulis voluptas, obsequium ab uxore gratissimum, reverentia magna ab auditoribus, amor a discipulis, emolumentum ab consultoribus, quid est ergo quod hujus te vitæ tædeat? Nam quæ alia narras incommoda, non valetudinis sunt, sed ætatis. Quæ minus tibi gravia videbuntur, si cogites, quàm tibi adhuc non modò integra mens sit, sed multò etiam quàm unquam antea viridior. Quamobrem, excellentissime Domine *Zasi*, noli immaturas cogitationes adhuc in animum admittere. Nondum tempus est ut alteri lampada tradas: cùm sciamus, nullo cursu tam nobilem spiritum defatigari posse. Nobis sanè videris magis atque magis vivere, quum quotidie pulcherrimi adhuc ab divino illo ingenio fœtus tanto cum omnium fructu proficiscantur. Inter quos noviſſime exiit *Institutionum Epitome*, summa aviditate non lecta a me, sed devorata. Quod verò me delegeris, qui in eum locum, qui a te tot annos celebratus est, succedam, animi quidem

tui

mi candorem, tantaque præter aliquod meum meritum benevolentiam, agnosco lubens & exosculor. Nec satis scio quas tibi gratias pro tanto beneficio agam. Verùm ego nunquam ero adeo temerarius, ut adolescens imperitus succedam seni, cujus æmulatio doctissimo cuique peritissimoque semper fuerit difficilis. Nec video quis vel mortuo *Zasio* sit ausurus ex eo pulpito profiteri, in quo ejus appareant adhuc vestigia, & unde disertissima vox tot annos est cum maxima semper admiratione omnium audita. Et egone audeam semidoctus adolescens vivo florenteque illo? Nunquam hercule. Cùm apud *Alciatum* in Gallia versarer, sæpe me exhortabatur, ut aliquod mei specimen ederem: nec deerant qui de honorario bene jubebant sperare: certe CX coronati aliquando sunt oblati. Nunquam tamen poteram ab discendo ad docendum animum abducere, conscius curtæ supellectilis meæ, quam alii reipsa lautiorem esse existimabant. Pauci enim penitus perspiciunt, quàm latè se Juris disciplina hodie extendat, & quàm multa scire debeat, qui doctorem se profiteri audeat. Illud tamen tum respondi *Alciato*, cupere me in Gallia & Italia, quamdiu facultas esset, discere: ubi verò satis didicissem, malle hoc favore, commendatione neque ipsius in Germania uti. Certè magni me muneris loco habiturum, si apud *Erasmum*, *Zasiumque*, quos ego semper duos literarum Principes in Germania esse existimavi, quosque summè sum veneratus, studia mea aliqua laude dignarentur. Quod ille quidem diligenter præstitit, *Erasmumque* adeo commovit, ut de me adhuc ignoto tecum agere cœperit, quo in hanc voluntatem induceret, in quam tuapte sponte inclinare modò mihi videris, quod ne optare quidem fuissem ausus. Atque ad alium certè finem studia semper mea direxi, missus a parentibus in Galliam, ut linguam eam discerem unà cum Jure Civili, cujus ei in negotiis obeundis conjunctus usus esset. Hoc a me dum fit sedulò, oblata est occasio, ut Augustanorum (1) amicitiæ me insinuarem, quæ mihi profectò hactenus ornamento, emolumentoque magno

(1) *Augustanorum*] nempe *Fuggerorum*, *Rechlingorum*, *Georgii Hermanni* & qui Augustæ Vindelicorum habitabant.

magno fuit, ſpemque non mediocrem ad ſubſequentis ætatis ſucceſſum pollicetur. Et parentibus quoque magis placet illud vitæ meæ inſtitutum, unde & illi uſum aliquem mei ſperare queant. Hæc itaque ratio, optime *Zaſi*, profitendi conſilium mihi diſſuadet, ut etiam vel me non terreret, vel gravaret *Zaſiani* nominis claritudo, quam ego ſuſtinere nullo mihi pacto poſſe videor. Meus tamen animus per ſe quietis eſt amantiſſimus, diſcendique cupidiſſimus: quæ duo profitendi conditio abunde ſuppeditat. Atque ut etiam me aliquando ad negotia transferam, ea tamen eouſque ſequar, donec partum adeptus fuero, in quo mihi liceat jam parta fortuna priſtinorum ſtudiorum voluptatem revocare. In præſentia itaque ſic mihi videor conſultius facturus, ut conditionem aliquam talem quæram, quam & facilius ſuſtinere queam, & unde proventum uberiorem paulo ſperem: quanquam ante annum non ſtatui relinquere Italiam. *Zaſium* verò meum cupio diutiſſime florere, atque eouſque, donec idoneum ſucceſſorem reperiat. Quod ego ſerò futurum exiſtimo, ſi quis omnes ingenii tui dotes velit perpendere, quam profunda videlicet tua ſit in utroque Jure peritia, quanta in docendo gratia, in conſulendo dexteritas, atque authoritas, in ſtylo integritas, in oratione facundia, in ſermone familiaritas, puritaſque denique in omnibus optimis diſciplinis, quam non vulgaris ſcientia. Me autem hujus tanti beneficii quoad vivam non capiet oblivio: quanquam enim tanto muneri impares humeros ſubmittere verear, meminiſſe tamen atque etiam gloriari erit jucundum, me aliquando ipſi *Zaſio* dignum viſum, in cujus locum ſuccederem Quæ de *Stellæ* controverſia ſcripſi gaudeo tibi non diſplicuiſſe. Judicioque tuo confiſus majora etiam audebo. Ut edam nondum eſt animus: edam tamen aliquando ut ſcripſi, ſed cum aliis. Scis enim multum referre quibus præmiis famam in ſtudiis auſpicemur: & edita cum aliis ſententia noſtra ab illis fidem, authoritatemque mutuabitur, veritatique magis, quàm affectioni inniti videbitur. Quamobrem velim ut ſupprimas adhuc, quouſque alia quæ in manibus habeo abſolvero. Tuam vero ætatem deinceps cupio ab talibus contentionibus quieſcere, tranquilitatemque animi cum incolumitate corporis omni ſtudio tueri. Bene vale Præceptor clariſſime. Ex Patavio 7. Septembris. an. 1532.

EPI-

EPISTOLA XXXIII.

Ex Tomo II. fol. 137.

ERASMO ROTERODAMO.

Ciceroniani quibus comparati ab Eraſmo, quem inſectantur. Inſurgit in libellum adverſus eum emiſſum. De Julio Camillo, Lazaro Bonamico, J. B. Egnatio ac Georgio Logo. Quod ad Petri Bembi notitiam ejus commendatione perductus ſit, gratias habet. De Bibliotheca Veneta, quæ olim Cardinalis Beſſarionis. De Rodolpho Agricola. Quis Zaſii erga ſe animus. Apud quem Cypriani Vita, & Ambroſii libri. J. Georgii Paumgartneri laus. Grebovallii & J. Georgii Hermanni literas mittit, amboſque commendat. De Alciato; ac Patavinis profeſſoribus. 1532.

NIhil tua comparatione, (1) *Eraſme* doctiſſime, veriſimilius dici potuit. Adeo pulchrè omnia iſtis, qui ſummum bonum in *Tullianæ* dictionis imitatione collocarunt, cum *Franciſcanorum* ſecta conveniunt. Tantum reſtat, ut & habitu aliquo ab cætero ſtudioſorum populo diſtinguantur. Animis ſane moribuſque ſic conſentiunt, ut nulla poſſint religione arctius devinciri. Quod equidem certius cœpi intelligere, ubi ſub quadam reconciliationis ſpecie, moleſtæ illorum in ſtudiis ſuperſtitioni apertè & palam adverſari deſii. Hoc tamen ne nunc quidem permitto *Logo*, vel cuivis ejuſdem farinæ alii, ut ſuam laudent artem cum temeraria alicujus, quem ipſe amem & colem, inſectatione. Nec enim ſic induxi animum diſſimulare, ut vel colludere videar, vel prodere eos quibus ſemel non dedi (2) & a quorum ſignis nul-

(1) *Nihil tua comparatione, &c.*] Reſpondet epiſtolæ, quæ inter *Eraſmianas* eſt CCCLXX. in *append. tom.* 3. *part* 2. *noviſſ. edit.*

(2) *Quibus ſemel non dedi*] Nonne rectius legas: *Quibus ſemel me dedi?*

nullus me unquam hominum retrahet. Illud autem vero verius eſt, non ob aliud cepiſſe iſtos conſilium tantopere extollendi *Ciceronem*, quàm ut *Eraſmi* famam obliterarent, quam ad tantum exurgere faſtigium acerbè ferunt. Nec potuere commodiorem reperire colorem, ſub quo invidiæ malum tegerent, imprudenteſque literarum candidatos a tui admiratione lectioneque arcerent. Quid enim ſibi vult, quod illum quem ſemper habent in ore, non aliter laudant, quam cum quadam nota tuorum ſcriptorum? Quorum tamen honorem apud integros literariæ rei judices illuſtriorem reipſa faciunt: cùm quod illi malignè apud alios carpunt, lubenter in cubiculis legant, atque ex libris tuis proficiant. Quo deteſtabilior eſt hæc improbitas ingratitudini conjuncta. Et illum non puduit adeo manifeſtè veritatem invertere, quiſquis fuerit, qui nuper famoſum illum calumniis mendaciiſque ſcatentem libellum in lucem eſt auſus emittere. In quo te *Ciceronis* lumina voluiſſe obſcurare objicit, quo tua unius ſcripta legerentur. Cum ipſi non alia ratione illum ſolum in linguæ latinæ Capitolium ſtudeant inducere, quàm ut *Eraſmianum* inde terminum ejiciant. Qui tamen non poſſeſſione mala fide continuata locum cepit, ſed juſtiſſimo titulo ſibi vendicavit datum doctiſſimorum hominum ſuffragiis, æterniſque monumentis ſtabilitum. Ne autem ille bellè artificioſèque fabulam auſpicatus eſt, fictitium titulum operi inſcribens. Quis enim tam impudens os habet, ut ſine perſona tam inſignia mendacia calumnioſaſque contumelias publicè alicui ingerere audeat? *Eraſmus* non legit *Ariſtotelem*, & ille legiſſe videri vult, qui calumniis mendacibuſque convitiis famam aucupatur cùm propria *Peripatheticorum* diſciplina in veritatis indagatione conſiſtat. Proh! acutum *Ciceronianumque* Oratorem. Huic da Cenſoriam virgulam. Hic eſto ſtudiorum noſtrorum magiſter. Hic doctorum hominum Index. Ab hoc diſcamus eloquentiam, hoc autem eſt adverſarii famam incuſare, ſe apud bonos infamem reddere, atque in pelvim, quod dicitur ſpuere. Quid autem aliud ille facit, qui manifeſtè falſa objiciendo, temerèque maledicendo, refellendi purgandique labore ita reum exonerat, ut ipſius etiam cauſam non potuiſſet magis adjuvare, & propriam exiſtimationem lædere, quàm ſi ſic oppugnaret? Libellum autem

autem illum nemo adhuc hîc, quod reſcire potui, vidit. Sed ſi cætera iis capitibus, quæ tu breviter notaſti, reſpondent, non eſt quod magnopere eum deſideremus. Hîc etiam nemo quicquam de eo ſe intellexiſſe indicavit, donec ad *Logum Eppendorpius* (3) ſcripſiſſet. Nam ego ſubticui, quo expiſcarer aliquid de quo te certiorem facerem, & ne laudis tuæ invidis eam voluptatis materiam præberem. Qui novum adverſus te exhortum hoſtem non minus lubenter audiverunt, quam *Logus* narravit. Ubi autem de eodem mihi quoque retuliſſet, hoc, inquam, miror, nos hic celare *Julium*. Ille negat *Camillum* eſſe. Tu tamen mihi ſæpe dixiſti, hunc adverſus *Eraſmum* neſcio quæ parturire: Et in Gallia eſt editum opus: unde ille nuper rediit: atque ubi eruditionem ſuam venditare ſtudet. Hic & ipſe ſubdubitare cœpit. Cumque plura eſſemus de ea re collocuti, convenit inter nos, ut unà ſalutatum iremus *Camillum*, qui non ita pridem huc ex Venetiis commigrarat. Poſt longam verò theatri, quod nondum exædificatum eſt, contemplationem, recitat nobis carmen ſuum ad *Bembum*, de operis illius magnifici argumento. Tandem aperit *Logus* de libello, citat inſcriptionem, addit argumentum. Ad quæ ille intentus, ne gry quidem reſpondit. Credo inquam a *Beda* ſubornatum: vel voluiſſe aliquem ex *Pii* mercenariis, herum ulciſci. Cùm ne hic quidem quicquam diceret. Sunt (inquit *Logus*) qui te putabant authorem, nomine decepti. Ille verò aliò ſermonem vertens, æquè nos ſemper dubios reliquit, nec confeſſus nec inficiatus, ſed viſus tamen mihi de quibuſdam chartis compilatis aliquid ſubdubitare, vel metuere. In *Aſulani* (4) autem ædibus familiariter Venetiis verſatus eſt. Qui neſcio quas rationum tabulas inveniſſe ſe ait, in quibus tibi impenſam mercedem pater notavit. Utinam ipſe potius paternam par-

(3) *Eppendorpius*] Henricus Epphendorpius, nobilis Saxo, qui innoteſcit ex epiſtolis *Eraſmi*, cui nunc amicus, nunc adverſarius fuit. V. Epiſt. DXIV. & DCLXXX. & in append. CCCXLVI. Et Baylii diction. p. 379. tom. 2. edit. 1730.

(4) *Aſulani*] Franciſcus Aſulanus, Aldi ſocer, typographus Venetus.

parſimoniam imitaretur, ea enim ſtudiis aliquomodo profuit: cùm iſte omnia, vetita legibus alea, diſſipet. Nunc ſe ad frugem rediturum promiſit, officinamque reſtituturum. *Lazarus* illi operam ſuam obtulit. Nam *Egnatius* dudum illius mores deteſtatus eſt, *Aldi* tamen apud ſe filium alit, inſtituitque. *Julii* theatrum vehementer ridet, idque nec hic ignorat, nec ille diſſimulat, magna apud Venetos Patricios authotitate fuffultus, ac ob ætatem etiam παρρησιάζων, ut nec *Ciceronianæ* ſectæ proceribus parcat. Scripſiſſe verò adverſus te quædam hunc *Julium Camillum* certo mihi conſtat. Sed ſcis quæ ſit conſuetudo horum hominum. Si quid enim ſcribunt, recitandi apud ſymmyſtas voluptatem aucupantur, ubi audiant: pulchrè, benè, rectè. Prophanum verò vulgus indignum exiſtimant, quod illotis manibus divinas illas lucubrationes contrectet. Et *Julius* quæ ſcribit a ſolis Regibus legi vult, nam in Franci unius gratiam operoſum illud theatrum molitur. Gallus autem, per quem hîc primas a te literas accepi, non unius hoc opus eſſe ait, ſed multorum, *Beddaicæ*, *Budaicæque* factionis (5) conjuratione confectum, qui unum in volumen maledicta contulère ſua. Jamque biennium eſſe refert, quod tale aliquid moliri quoſdam ſenſerit: nominare tamen neminem voluit, veritus ne deferrem. Si quid certe intellexero, non te celabo. Quod ad *Bembi* notitiam commendatione tua aditum mihi paraveris, maximam habeo gratiam. Antea enim neminem alium habebam, quàm *Logum* per quem illi innoteſcerem: cui egò quam minimum debere cupio. Hac tua autem commendatione fretus, cùm amicitiam operamque ſuam benignè mihi *Bembus* offerret, cœpi illum de libris quibuſdam Græcis in Jure Civili interrogare, qui dicuntur in Bibliotheca *D. Marci*, qui olim *Beſſarionis* Cardinalis (6) fuit, aſſervari, cui

(5) *Beddaicæ, Budaicæque factionis*] a Natali Bedda Ordinis Minorum theologo Pariſienſi, denominata factio apud *Eraſmum* in Epiſtolis variis. *Natalis* meminit *Miræus de Script. ſec. XVI. p.* 131. *edit. Fabricii.* Porro qui *Guilielmi Budæi* ſtudioſi, fautoreſque fuêre, Budaicæ factionis nomine ab *Eraſmo* perſtringuntur, cùm alibi, tum inprimis in Ep. M. III.

(6) *Beſſarionis Cardinalis*] V. Notas ad Vitam. N. XXV.

cui ipſe eſt præfectus. Et fecit quidem aliquam ſpem, ſaltem ut cognoſcam quid ſit rei, & ut inſpiciam: ut utar enim fruarque ſperare non audeo. Cognovi autem ex tuis ad illum alioſque literis, quantum *Viglium* tuum amare, quibuſque eum ornare laudibus pergas. Quas etſi minime promerear, attamen de tanto conatus mei laudatore non poſſum non mihi gratulari. Atque eo ſolo præmio pro præteritis laboribus lubens ſum contentus. In poſterum verò ſemper magis atque magis enitar, quo aliquam ſaltem laudum tuarum partem vendicare mihi queam. Nam ad *Rodolphi* (7) famam vereor ne fruſtra aſpirem. Cujus tamen exemplo confirmor, ne patriæ genium mihi ad hanc in ſtudiis contentionem obſtaturum credam. Et Deo certe illi, qui noſtratia ingenia humo alligat, nec ea ſe ad aliquem in literis honorem attollere patitur, nunquam ſacrificavi. Atque hoc ipſum ut vitarem, jam decimum tertium annum a patria exulo, cùm ſim adhuc intra eam ætatem, cui prætor reſtitutionem in integrum tribuit. Quapropter & valetudinem ſemper integram, nulloque unquam morbo vel attactam hactenus produxi, ut *Minintha-dios*, ne ſim minus verear. Quanquam minimè mihi mori grave eſſet cum *Virgiliano* Epitaphio, *Oſtendent terris hunc tantum fata, nec ultra eſſe ſinent.* Quod tuus amor immerito mihi tribuit. Senſi quoque ex *D. Zaſii* literis, quo me apud illum teſtimonio ornaveris, quippe qui me ſibi ſucceſſorem vivus aſciſcere dignatus eſt. Sed quid mihi in ea re ſit animi, antea indicavi; & nunc pluribus *Zaſio* reſpondeo, gratiaſque diligenter ago. *Chryſoſtomo* quod ſcripſeris gaudeo: ex ejus enim familiaritate, tua mihi epiſtola devincta, utilitatem non modicam concepi. Habet is integram *Cypriani* vitam a Pontio deſcriptam, habet & quoſdam *D. Ambroſii* libros adverſus *Arianos*, quos ſe communicaturum, ſi deſiderabis, promiſit. *Joannem Georgium Paumgartnerum* dignum tuo amore adoleſcentem duplici nomine beaſti, & quod ipſum tua epiſtola fueris dignatus, & quod patri eum chariorem reddideris, commendando ejus in literis profectum. Hoc mihi crede liberalius educatum ingenium vix aliud reperiri, ſum-

(7) *Rodolphi*] Intelligit *Rodolphum Agricolam*, de quo *V. Biblioth. Belg. & Suffrid. Petri de Script. Friſiæ.*

ſummaque eſt in ipſo indolis bonitas, quam patris ſedula diligentia, præceptoriſque fidelis inſtitutio, ad magnam aliquam frugem perducere contendunt. Mihi autem illi omnes magnas gratias agunt, quod meo patrocinio apud te illius deſiderium adjuverim. Ego verò viciſſim tibi, qui non ipſe modò me amas, ſed aliorum etiam erga me benevolentiam tuis beneficiis excites. Quod ut & facere perpetuò pergas rogo. Multi autem ſunt, qui me ob te amare cupiunt. Sed dum conſidero ætatem, perpetuaque tua in literis negotia, quam multi ad te ſcribant, quàm ipſe reſcribendo diſtringaris, vix ipſe meis literis nimis prolixis ignoſco. Duo ſunt tamen quotidiani, domeſticique mihi interpellatores, quorum ſtudio dudum a me ſatisfactum eſſet, niſi veritus fuiſſem, ne tibi ſæpius negotium exhibens, ſemel malè a te audirem. Ignoſces tamen mihi facilius, ſi cognoveris qui ſint, & quàm arctè familiariterque illos diligam, quàmque ſint nominis tui ſtudioſi. Uni pater eſt *Petrus Grebovallius* (8) Flandriæ Quæſtor, quem vulgò Receptorem generalem vocant. Eſt autem juvenis non ſolum nobilis & opulentus, ſed etiam valde ſtudioſus & doctus. Carmen pangit & elegans, & facile, plenumque ſententiis, ut ipſe præmaturam in eo ſapientiam admirer. Præceptorem habuit Lovanii *Petrum Amicum* (9) &

(8) *Petrus Grebovallius*] Hujus nominis eſt familia nobilis apud Flandros. *V. Sanderi Flandr. illuſt. tom. 3. p. 32. nov. edit.* Sed ibi confuſa, obſcuraque omnia. Ejus filius, de quo hîc, nomine *Florentius* (apud *Butkens ſuppl. tom. 2. p. 318.* male vocatur *Laurentius*) Eques, toparcha de Berquin, Pleſſis &c. primum Senator in provinciali Conſilio Flandriæ, poſt in Parlamento Mechlinienſi ſucceſſit *Antonio Branbion* per literas patentes Caroli V. Imp. expeditas Binchii 9. Octobr. 1543. Habuit uxores duas, *Corneliam de Haemſtede*, & *Adrianam van Halewyn*, filiam *Judoci*, toparchæ de Merkem, Sweveghem, Roosbeke &c. quæ illi ſupervixit. Ex utraque prolem reliquit, & obiit 8. Novembr. 1562. Epitaphium ſecundæ, quæ obiit an. 1570. etiamnum viſitur in eccleſia Metrop. Mechlinienſi in ſacello ambitus chori, ubi minor ſacriſtia.

(9) *Petrum Amicum & Goclenium*] Priorem novi ex faſt. Acad. Lovan. fuit enim J. U. D. & profeſſor Ordinarius. Erat Zelandûs ex oppido Tolenſi; de poſteriore, cui *Conradus* nomen eſt, *V. ad Vitam, N. XIV.*

& *Goclenium*. Aureliæ cum *Beraldo* habitavit, deinde vero *Alciatum* unà Biturigibus audivit. Cùmque mei ſemper valde amans fuerit, huc etiam in Italiam ſecutus eſt. Qui cum ſæpe quæſiiſſet occaſionem qua a me impetraret, ut ſe tibi commendarem, incidit nuper ſermo ut de iniquitate noſtratium hominum erga viros doctrina celebres quererer. Proferebamque inter cætera, quam injuſtè, tibi Cæſaream penſionem Quæſtores, cæterique, qui rebus in inferiori Germania præſunt, denegent. Hîc ille ſtatim utinam (inquit) mihi patrique hæc gloria ſervetur, ut nos *Eraſmi* gratiam hoc officio nobis lucrifaciamus. Laudo animum atque dictum, hortorque, ut cùm tantopere dudum ad te ſcribere cupierit, hanc anſam amplectatur. Quapropter ſi tibi videbitur, ut ille hoc propoſitum exequatur, literis tuis conſilioque Juvenis ſtudium inſtrue & adjuva. Pater vir eſt ſumma præditus non modò authoritate, ſed etiam humanitate, hujuſque filii amans, cùm unum tantum præter hunc habeat, ſed natu minorem, ut in iſto maxima illi ſpes ſit collocata. Alter cujus ad te epiſtolam cernis, quartum jam annum mecum agit, eumque tu vidiſti. Eſt enim is qui cum *Glareano* (10) mecum ad te rediit. Hic Conſobrinæ *Antonii Fuggeri* filius eſt, atque ejus ſumptibus in literis alitur ob patris meritum, & Adoleſcentis indolem. Pater enim rationibus *Fuggericis* multos annos præfuit, eoque *Antonius* arctiſſimè utitur, cujus conſilio & prudentia fortunam omnem adminiſtrat: dives & ipſe cum primis, doctorumque hominum non infimus Mæcænas, nec latinæ linguæ imperitus, in qua ad me ſemper ſcribit. Id verò me ſæpe & enixè rogavit, ut filium ſuum tibi commendarem. Voluiſſet id per *Antonium* tentaſſe, niſi ego illi magis idoneus viſus fuiſſem, ad quem hoc etiam propriè pertinebat, cùm cujus ſtudia ſemper direxerim, eundem etiam hoc honore ornatum redderem, ut a te epiſtola dignaretur. Profecit autem ſatis fœliciter in Jure Civili, cujus ego illi ſum præceptor. In literis non ſat rectè jacta fundamenta, quantum potui obiter corrigere ſtudui, atque ad meliorum

(10) *Glareano*] Henricus Glareanus mathematicus apud Eraſmum in epiſtolis dignoſcendus, & *ex Franc. Sweertio in ſel. orb. deliciis p.* 365. *edit. Colon.* 1608.

rum authorum lectionem assuefeci. Ut sperem illum, etiamsi non tantum sciat quantum *Cascellius Aulus* (11) in prætio tamen aliquando futurum. Tu ergo, incomparabilis Patrone, da hoc *Antonio*, da patris *Georgii Hermanni* (12) desiderio, da *Viglii* tui precibus, ut & hic adolescens epistolio aliquo tuo ad studia incitetur. Scis mei muneris esse, quod summa alacritate obeo, ut *Erasmi* nomen propagem. In quos autem hoc malim, quàm in eos, de quibus mihi aliqua spes est, & in quibus præclaram indolem video. Qui & senes aliquando renovare *Erasmi* memoriam poterunt, defendereque adversus eos qui larvas solent insectari. *Alciatus* si mille ducatorum salarium volet merère, huc est ad proximam hyemem migraturus. Tantum enim illi ab Gymnasii præfectis decretum est. Medici valde laborant de *Menardo* in *Matthæi Curtii* locum sufficiendo, nec ille se minoris conduci patitur. Spero nos habituros frequens & celebre Gymnasium proximo anno. *Sinapius* (13) tibi rescribet, ubi de *Menardo* certior erit factus. Est is Juvenis valde candidus, quique inter medicinæ studiosos primas ferè partes obtinet. Jussit autem, ut te multum salutarem. *Epborini* consuetudo magnæ mihi est voluptati. Huic moribus simillimus est *Rupilius*, singulari quodam studio erga *Erasmum* nulli nostrum cedens. Bene vale. Patavii. 8. die Septembris, an. 1532.

(11) *Cascellius Aulus*] Casellius Vindex; optimus habitus consultus juris, de cujus erroribus dicitur scripsisse *Terentius Scaurus*, *Adriani* temporibus. Hæc Janus Parrhasius in illud Horatii de arte poëtica:

Nescit quantùm Cascellius Aulus,
Sed tamen in pretio est. Car. Step. in dict hist..

(12) *Georgii Hermanni*] De quo prolixe egi in not. ad Vitam. N. XXI.

(13) *Sinapius*] Joannes, medicus, pòst Ferrariam migravit, cui *Joannem Langemantellum* condiscipulum antehac suum in Gallia, commendavit, cùm Ducis Bavariæ consiliarius effectus, Juris utriusque lauream in illa Italiæ universitate expeteret. *Tom. 2. p.* 204. 206. 210. Exstant nonnullæ ad *Sinapium* epistolæ levioris ponderis. *Franc. Sweertius* habet in *Selectis orbis deliciis* inter *Wirtzeburgensia* pag. mihi 413. *Joannis Sinapii medici clariss.* epitaphium, non adscriptâ obitus notâ.

EPI-

EPISTOLA XXXIV.

BONIFACIO AMERBACHIO.

Ex Tomo II. fol. 156.

De Gregorii Holoandri immaturo fato, deque ejus operibus quæ eximiè laudat. Varios libros mittit Zasio & Amerbachio. 1533.

QUarto idus Novembres Patavium veni. De *Gregorii Holoandri* (1) immaturo fato credo vos dudum certiores factos, octavo enim Septembris ex humanis discessit. Erat ipse per se valetudinarius, & de Veneto cœlo conquerebatur. Angebat

(1) *De Gregorii Holoandri*] Scribendum *Haloander*, uti *Viglius* in epistola nuncupatoria ad *Carolum* V. Imp. præfixa Institutionibus Græcis a se anno 1533. publicatis, in qua sic: „ Quantùm sibi gratiæ atque gloriæ *Gregorius Haloander* nuper „ peperit, qui Pandectas, sublatis tot maculis, nævis, mendisque ad novam quandam venustatem redegit? . . . Novissimèque etiam Novellas primus omnium Græcâ Linguâ, „ hoc est verè authenticas (sic enim sunt ab initio compositæ) publicavit, Latinâ quoque subjecta interpretatione, „ longe certe puriore elegantioreque, quàm sit ea quâ vulgò in scholis utimur. . . . Fuit enim prior interpres (quisquis is demum fuit) utriusque Linguæ æquè imperitus. „ Utinam verò *Haloander* ille, ad hæc studia nostra juvanda „ natus. . . . pulcherrimis cœptis colophonem imponere potuisset! Nam eo consilio redierat in Italiam: sed vix ingressus, Venetiis miserè quasi in ipso consiliorum rerumquè „ præclararum portu extinctus est." Ita apud *Mettaire in annalib. typogr. tom.* 2. *p.* 801. Ejus opera recensita invenio in *Biblioth. Cardinalis Imperiali*, verbo: *Corpus Juris Civilis*, his verbis: *Digestorum seu Pandectarum libri L. editi a Gregorio Haloandro. Norimbergæ per Jo. Petreum* 1529. *tom.* 3. *in* 4. Et verbo: *Justinianus* ita lego: *Novellæ Constitutiones cum Canonibus Apostolorum, Gregorio Haloandro interprete. Accedunt Lotharii, Conradi, Friderici II. & Henrici Imperatorum Constitutiones. Parisiis per Guilielmum Merlin.* 1562. *in* 8. Et apud *Mettaire* cit. p. 574. *Institutiones Juris, ex castigatione Gr. Haloandri.* 1536. *in* 16.

gebat autem hominem non modo jactura amiſſæ vel furto ſubtractæ non levis ſummæ pecuniæ, ſed etiam negligentiæ infamia, cui acceſſit ſolicitudo librorum qui tardius reddebantur. Potuiſſet tamen vixiſſe niſi novitii cujuſdam medici, qui hic nuper erat laurea inſignitus, imperitia, inciſa vena pluſquam natura ferret ſanguinis febricitanti elicitum fuiſſet. Ubi periiſſet *Lazarus Bonamicus* & *Georgius* quidam *Logus*, neſcio cujus mandati familiaritatiſve prætextu, Venetias hinc profecti ſunt: Scilicet ne quid detrimenti ejus memoria in diſſipata bibliotheca pateretur. Librorum inventarium ab his confectum eſt, ſed adhuc nequivi impetrare ut inſpicerem. Quantum vero damni hujus obitu ſtudiis noſtris acceſſerit, facile colligi poteſt, ſi quæ paucis annis ab eo elaborata ſunt in communem utilitatem, perpenderimus. Et majora procul dubio hoc in Italiam reditu meditabatur, ſi quid tamen poteſt majus præſtari, Pandectarum emuncta emendatione, novellarumque græcarum publicatione. De ſtudiis hujus Academiæ nihil adhuc poſſum certi præſcribere, nec enim omnes adhuc audire mihi licuit. Et quid de iis ſentiam quos audivi, tam celeriter judicare non audeo: ſuſtinebo itaque iſthæc in aliud tempus, alteriuſque epiſtolæ materiam. An *Frobenii* Venetiis inſtitorem aliquem haberent, nondum potui intelligere, habet tamen *Bebelius*; ipſumque brevi huc venturum audivi. Quod utinam fiat, ut cum eo conſilium ineam, qua ratione crebrius ad te ſcribere hinc queam. Iſtas vero literas ſerius ad te venturas non dubito. Mitto enim unà ſarcinam librorum ad *D. Zaſium*, quæ eas forte longius remorabitur, illi vero addidi aliquod ad te libellos: *Hieronymi Fracaſtorii* (2) de morbo

(2) *Hieronymi Fracaſtorii*] Erat nobilis Veronenſis, poëta & medicus, de quo ſingularia Vide apud *Niceronium tom.* 17. *p.* 264. Sufficiat breve elogium quod illi ſcripſit *Spondanus* ad an. 1553. his verbis: „ Octavo Idus Auguſti *Hieronymus* „ *Fracaſtorius* Veronenſis, ex apoplexia, ſeptuagenario major „ (obiit) qui ad exactam Philoſophiæ & Mathematicarum ar„ tium, ac præcipue Aſtronomiæ cognitionem, ſummum ju„ dicium & admirabile ingenium attulit: & Medicinam, ut „ honeſtiſſimè ac citra lucrum, ita feliciſſime exercuit." De hoc felici exercitio artis Medicæ *V. Niceron. cit. p.* 270. *& ſeq.*

bo gallico carmen non inelegans: *Auguſtini* item *Niphi* Sueſſani (3) de auguriis opuſculum, tum *Andreæ Naugerii* (4) orationes, & nonnulla carmina, quem mortuum in Francia vidi (5) & hic celebrantur inprimis. Miſi vero ideo ut cognoſcas quid Itali mirentur, & quos noſtris opponant, quidve poſt novum annum, multaſque lituras tandem illi efficiant, qui noſtratum in edendo celeritatem multis conviciis impetunt. De *Cadmea* illa pugna penè incredibilia hic narrantur. Hic etiam Turcam ajunt Epiro Dalmatiæque littori dira minitari, nam de Methone expilata Venetis indignatur, qui mare illud ex fœderis lege ab quorumcumque vexatione ſua claſſe tutum reddere debebant. Vale. Patavii Calend. Decembr. 1532.

ſeq. Porro ejus carmen de morbo Gallico hic laudatum, habet hunc titulum: *Syphilidis ſive morbi Gallici libri tres. Veronæ* 1530. & alibi ſæpius; quem ejus fetum laudavit quoque *Sannazarius*, ut ut alienæ laudis avarus. *Niceron. ibid. p.* 274.

(3) *Auguſtini Niphi Sueſſani*] Etiam *Miræus in ſcript. ſec. XVI.* eum *Sueſſanum* (vulgo *Seſſa*) aliique ſcriptores paſſim, faciunt. Sed contradicunt *Baylius in Dict. & Niceronius tom.* 18. *p.* 52. qui oſtendunt eum Calabrum fuiſſe ex oppido, vulgò *Jopoli*. Porro fuit celeberrimus ſui ævi Philoſophus, de quo Auctores jam citati multa, quæ nihil ad nos. Libellus hic citatus, ſunt *de Auguriis libri duo. Bononiæ* 1531. *in* 4. & alibi ſæpius. *Cet ouvrage eſt peu de choſe*. inquit Niceron. p. 69.

(4) *Andreæ Naugerii*] Seu *Navagiero*, qui nobilis Venetus; de quo pariter conſulendi ſunt *Baylius in Dict. & Niceron. tom.* 13. *ac.* 20. in quo ultimo p. 68. citatur, *Andreæ Naugerii Orationes & Carmina. Venetiis.* 1530. *in fol.* Fuit vir ſui temporis doctiſſimus.

(5) *Mortuum in Francia vidi*] Nempe Reip. Venetæ nomine ad *Franciſcum I.* Galliarum Regem miſſius, obiit Bleſis (*Blois*) die 8. Maii 1529. ætat. an. 46. functus antea legatione longa apud Imp. *Carolum* V. in Hiſpaniis. *Auctores cit.*

Ex Tomo II. fol. 164.

EPISTOLA XXXV.

FRATRI MICHAELI (1) AD S. SULPITIUM BITURIGIBUS.

1532. *De Caroli Sucqueti morte acerbè dolet, ejusque animam commendat precibus F. Michaelis. De Lutheranis & Concilio Tridentino indicendo.*

TRiste mihi in præsentia, Venerande pater, argumentum ad te scribendi oblatum est. Et vereor ne tu dum leges lachrymas vix contineas. Nam si commoveri solemus si quid rerum nostrarum amisimus, quarum tamen jactura aliundè resarciri potest, quid fiet ubi tale aliquid periit, cujus in hac vita nulla charior possessio esse potest? Ego autem nullum thesaurum pretiosiorem duco, quàm sit fidelis amicus. Est autem & inter ipsos amicos aliquis gradus, alium enim alio magis amplectimur. Sed hoc cujus casum nunc deploro, nullum sane unquam magis intimum habui, cujus tu esse testis potes, qui consiliorum officiorumque, quibus alter alterum sustinebat, conscius participesque semper fuisti. Quid differo longius? *Carolum* nostrum Taurini decessisse nuntiatum est. Quod adeo equidem acerbe tuli, ut multis diebus solita studiorum officia exequi nequiverim. Quorum cùm ille mihi semper jucundissimus fuisset comes, non poterant non unà mecum ipsa conjunctissimi sodalis casum dolere. Nec adhuc satis animum recolligere possum, nec a fletu me temperare: nec ullum video mœroris mei nisi in ipso tempore levamen. Quod tamen eo lentius malum hoc mitigat, quo illius amor altiores in animo meo radices egit. Hoc unum a te enixe precor, charissime Pater, ut tua tuorumque oratione animam ipsius Deo commendes, hoc

(1) *Fratri Michaeli*] Videtur mihi fuisse monachus Benedictinus Abbatiæ S. Sulpitii Biturigibus, Congregationi S. Mauri unitæ, cujus abbates triennales nunc sunt. *V. Gall. Christ. tom. 2. col. 126.*

Hoc enim solum officium supereſt quod mortuo præſtari ultra possit. Res in Germania adhuc in eodem sunt statu. Pontifex & Cæsar Bononiæ convenerunt. De Concilio indicendo agitur, sed vix aliquid fiet, adeo omnium animi, qui licentiæ suæ frænum impositum iri metuunt, repugnant, & Lutherani adversus veterem Conciliorum consuetudinem, novam formam cupiunt præscribere. Volunt enim eosdem judices esse, quos ipsi sibi adversarios constituerunt, id est, Episcopos & cæteros ecclesiastici ordinis. Quid futurum sit divinare non possum. Deus opt. Max. hoc quod agitur fortunet. *Andreas Auria* fæliciter pugnavit adversus Turcas, magnam quippe Peloponesi quam Moream vocant partem recuperavit ab hoste, magnamque ulterius progrediundi spem concepit, si Cæsar auxilia submittere perget. Ego hîc ad proximum usque Septembrem morari, ac inde visa Roma in patriam redire decrevi. Quocunque me fortuna feret tui memoriam mihi jucundissimam mecum circumferam, & mei vicissim conabor in vestra Bibliotheca erigere, cum Deus volet. Vale. Postridie Natalis Domini anno 1533.

EPISTOLA XXXVI.

ERASMO ROTERODAMO.

Ex Tomo II. fol. 170. vso.

Quod Amerbachium scire cupiebat, per Erasmum mittit. Significat se publice profiteri Patavii. De Cæsaris cum Pontifice congressu Bononiæ. 1533.

POst eas literas, *Erasme* doctissime, quas per *Heresbachium* ad me dedisti, nullas a te accepi, cùm tamen fasciculos aliquot miserim, ac de iis rebus ad te scripserim, ad quas sperabam te non gravate responsurum. Quapropter vereor ne literæ meæ non satis diligenter curatæ, neve tibi non sint redditæ. Quod valde cupio cognoscere, ut eadem vel iterum tibi significem, vel epistolas neglectas ab iis, quorum curæ ipsas commiseram, requirere possim. In præsen-

tia autem erat quod *Amerbachium* ſcire cupiebam, & nuntius quidem ad te perlaturum ſe literas recepit lubenter, ut verè Baſileam curaret, haud æque paratum ſe exhibuit. Itaque fuit mihi neceſſe tuam operam poſcere, & properè proindeque impolitius ad te ſcribere. Cupiebat autem ex me ſcire *Amerbachius*, an Venetæ officinæ *Ciceronis* molirentur editionem. Quod ſcire certò adhuc non potui, vix tamen arbitror. Emendationes *Ciceronianorum*, quod præterea ille requirebat, difficile hic eſt nanciſci, citiuſque clavam ab Hercule. Habeo tamen quædam in epiſtolas ad *Atticum*, quæ non levis mihi momenti eſſe videntur; eaque lubens miſſurus ſum. Inſtitutiones græcas deſcriptas privato nunc jure poſſideo, ac de iis etiam excudendis ſcripſi ad *Amerbachium*. Non auſus fui antea tibi ſignificare me ſuſcepiſſe publicam hic profitendi provinciam, quæ, ut olim Prætorum noſtrorum imperium & Juriſdictio, anno terminatur. Hæc mihi adhuc mediocriter ſuccedit, & hactenus utcunque adverſus Italici Collegæ (quem *concurrentem* vocamus) ambitionem & invidiam ſubſtiti. *Sucquetum* ſtudiorum meorum unicum ſodalem, & quocum mihi arctiſſima ſemper a puero fuit amicitia, nuper Taurini immaturum fatum ſuſtulit. Quo mihi nil potuit acerbius accidere. Idque multo ante animus præſagiebat, conatuſque ſum illum multis inde epiſtolis avocare; ſed nihil profeci. *Logus* de cujus abitu tibi ſcripſi, rurſus hîc expectatur, & nuntiatum eſt nobis, Comitis cujuſdam filium inſtituendum ſuſcepiſſe, hucque diſtento marſupio rediturum. Cæſar adhuc eſt Bononiæ cum Pontifice (1) ac nuper illuc advenêre legati a Francorum Rege *Franciſcus a Turnone* (2) Cardinalis, ac alter Epiſcopus ni fallor, Terbienſis. (3) Quid conſultent non ſatis vulgo ſcitur. Ajunt tamen, Cæſarem peractis illic nuptiis inter filiam

(1) *Pontifice*] Clemente VII.

(2) *Franciſcus a Turnone Card.*] vulgò *De Tournon*, Gallus creatus a Clemente VII. Cardinalis an. 1530. die 19. Martii de quo conſule *Ciaccon. tom. 3. col. 506. & ſeqq.*

(3) *Epiſcopus Terbienſis*] *lege Tarbenſis*; *Tarbe* civitas eſt Galliæ, Latinè *Tarba*, Bigerronum (*La Bigorre*) caput ad Aturum fluvium (*L'Adour*) in Novempopulania, ſub Auxitana (*Auſch*)

liam ſuam & *Alexandrum* Florentiæ Ducem, Mediolanum conceſſurum. Plura non licuit per temporis anguſtiam, quæ rogo boni ut conſulas, ac ad nos tuarum literarum cupidiſſimos viciſſim aliquid ſcribas. Vale. Patavii XIX. Calend. Februarii 1533.

EPISTOLA XXXVII.

Ex Tomo II. fol. 172.

BONIFACIO AMERBACHIO.

De nova Ciceronis editione, atque de emendationibus epiſtolarum ad Atticum. De Inſtitutionibus Græcis edendis. De methodo Juris interrogat. 1533.

NUdiuſtertius mihi reddita eſt epiſtola tua Eruditiſſime *Amerbachi*: exemplum autem ejus una hebdomada citius. De adverſa valetudine tua prius audieram, & jam te convaleſcere, vel convaluiſſe potiùs, ex animo gaudeo. Cupio enim te diu ſuperſtitem & incolumem eſſe, ac amicitia tua longiſſimè frui. De *Ciceronis* negotio ſerius fortaſſis admoneo, ſed quî poſſum aliter, cùm tardiſſimè tuæ literæ ſint redditæ. De illo Venetiis excudendo nihil compertum adhuc habeo, quanquam parturire aliquid *Ciceronianos* ſæpè audivi. Sed *Aldi* officina hoc tempore ſæpius abortum facit, ac pleraque concipit, atque etiam incipit, quæ tamen, neſcio an inopia an incuria, ad exitum nunquam perveniunt. Tantum nunc eſt rumor de epiſtolis excudendis, quarum amplius *Aſulanæ* tabernæ exemplaria non ſuppetunt. Ut annotata vel emendata communicent, nec ſperare audeo nec rogare a quoquam iſtorum, adeo ſuis incubant. Citius vero

(*Auſch*) metropoli. *Gall. Chriſt. tom.* I. *novæ edit col.* 1224. Is erat *Gabriel de Gramont*, qui 8. Junii 1530. *a Clemente VII.* pariter renuntiatus fuit Cardinalis, quod *Vigilius* videtur ignoraſſe. Miror Auctores *Galliæ Chriſtianæ* id latuiſſe. Certe illi de Cardinalatu nihil *loc. cit. col.* 1239. Obiit anno 1534. 15. Martii. *V. Ciaccon. tom.* 3. *col.* 519. *De utriuſque legatione Spondan. ad an.* 1533. *n.* 2.

ro aliquid nanciſcar ſi de editione apud iſtos nihil meminero. Habeo autem innumeras & non contemnendas emendationes in Epiſtolas *Ciceronis* ad *Atticum*, communicatas mihi a ſtudioſo quodam. Eas lubenter tibi tradam, ac ubi nuntium magis certum habuero ad te mittam, daboque ſeduló operam, ut, ſi qua ratione poſſim, alia nanciſcar. Tu modò ſignifica intra quod tempus debeam mittere, ſi quid habuero. Expecto etiam a te quid de Inſtitutionibus græcis velis me facere. Cupio enim eas in lucem emittere, & inprimis ex celebri aliqua officina prodire. Præfationem ſtatui longiuſculam addere, quò utilitatem operis commendem, & ad conquirenda græcorum commentaria in Jus noſtrum, Latinis hiſce noſtris longè antiquiora, Studioſos cohorter. De Methodo expecto ut plenius reſcribas, atque etiam rogo. Ego enim valde ſcire cupio, & quid ſit Methodus, & qua via ad eam pervenire poſſimus, vel quomodo ad ipſam immenſum hoc Jus noſtrum redigi. *A. Epborinus*, atque *Agnini* * te reſalutant. Bene vale Clariſſime *Bonifaci*. Ex Patavio XVIII. Calendas Februarii anno 1533.

* *Marcus & Hieronymus*, fratres.

Ex Tomo II. fol. 175.

EPISTOLA XXXVIII.

JOANNI CHOLERO.

1533. *Præmiſſis urbanitatis officiis, laudat Heresbachium. De Græcis Inſtitutionibus edendis, & Cæſari nuncupandis deliberat. Eraſmi apologiam edendam cenſet, ejuſque amicitiam aliorum ſimultatibus anteponit. Cogitat de Aſſeſſorio munere in Camera Imperiali.*

VAlde ſim inciviliſ, Præpoſite digniſſime, ſi præterquam quod meis te literis, faſciculiſque toties fatigem, audeam etiam imperoſius reſponſionem exigere ab homine, cujus ego cùm dignitatem, tum verò eruditionem & multijugas dotes ſemper ſuſpexi, & præterea valetudinario. Scribe itaque dum lubet, dum licet; & me non puta intempeſtivum

vum flagitatorem, ſed tamen eum, qui tuis literis impenſe delectatur. Utinam illas manicas pedicaſque poſſes aliquando omnino excutere. Remedium miror te non quærere, quo ſaltem lenias minuaſque malum, quod tolli nequit. Quid *Heresbachium* (1) adegerit, ut aliò iter flecteret, cogitare non poſſum, cùm ipſe Auguſtæ inviſendæ apprimè ſe cupidum oſtenderet. Miror autem illum nihildum ad me ſcripſiſſe, quo fit ut illi non nihil metuam. Eſt ſanè vir, cujus tibi conſuetudo grata fuiſſet. Prælectionis munus utcunque ſuſtineo. Porro eo ſum excitatus, ut de græcis Inſtitutionibus indagandis cogitarem, & fœliciter mihi ſucceſſit venatio. Nactus ſum enim, & privato jure deſcriptas poſſideo, facturus eas brevi publicas. In illis autem multa comperio dilucidiora, planiora, expreſſiora, quam in latinis. Arbitror te apud *Politianum* legiſſe in Miſcellaneis earum elogium, & ego illud in præfatione explicabo diligentius. Fui autem nuper Bononiæ, atque illic amici hortati me ſunt, ut Cæſari nuncuparem. Quid facturus ſim nondum ſtatui. Nec videtur mihi abſurdum ut Imperatori Imperiales dedicem Inſtitutiones, quò cum majore exeant authoritate. Italos tamen illam rem hic celo diligenter, nec enim ſcio, an æque laturi ſint ab homine Germano poſſeſſiones ſuas occupari. Ab *Eraſmo* accepi literas datas nonis Novembris, ad quas illi per *Bebelium* Typographum, qui hic eſt, reſcribam. Is narrat illum conſtituiſſe Baſileam remigrare, quo conſilio non ſatis ſcio, & in quam partem hoc plerique accepturi ſint dubito. Ipſe apud me queritur de adverſariorum petulantia. De Apologia, cujus mihi meminiſti, nihil mihi ſatius videretur, ut ſemel ſatisfaceret omnibus & ſe ipſum rude donaret, nec toties in palæſtram illam cùm tot monſtris deſcenderet. Quod de Italis ſcire cupis, accipe in ſumma. Ex doctis nullus ex animo favet illius eruditioni. Monachi ubique ſunt Monachi, nec minus hic oblatrant quàm in Hiſpania vel Gallia. In Palæneis ad me epiſtola nonnihil mihi hic invidiæ conciliavit. Sed tamen *Eraſmi* amicitiam horum ſimultate antiquiorem habeo. De publicis rebus, id eſt, Bononienſi conventu, certiora vos habere puto, quàm ego

(1) *Heresbachium*] V. Inf. ad Epiſt. XL.

ego quicam ſcribere. Expertus autem ſum illic miram erga me humanitatem D. *Matthiæ Heldt.* Is hortatus eſt & adjutorem ſe obtulit, ut ad Cameram Imperii animum adjicerem, quod equidem mihi non diſpliceret, ſi auderem ſucceſſum ſperare. Scis adoleſcentes mihi commiſſos jam in viros evadere, nec mea amplius inſtitutione indigere. Et ego mihi ſatis diu in Scholis verſatus videor. Et diſpiciendum mihi puto, quò me primum conferam. Scio difficile eſſe mihi in ſuperiore Germania conditionem nanciſci, cùm linguam non ſatis calleam: ſed tamen eam exactius diſcere non gravarer, ſi bona fortuna alicubi ſeſe offerret. Aſſeſſorium munus neſcio an ferre poſſem: tamen pro virili eniterer, ſi quis tanti ſe beneficii authorem mihi offerret: me ſane gratum memoremque ſemper eſſet habiturus. Sed de hoc plura; ſi videro te non gravari tuum mihi in hac dubitatione conſilium impertiri. Vale *Cholere* patrone mihi ſemper colendiſſime. Patavii 10. Februarii 1533.

Ex Tomo II. fol. 177.

EPISTOLA XXXIX.

LEONARDO LANGEMANTEL (1).

1533. *Eleganter expetit Leonardi amicitiam ac literarum commercium. Fratrem Ulricum extollit. Carolus Sueçuetus quo die mortem obiit. Statuit e ſchola in forum prodire.*

CUm tam familiariter quotidie fratre tuo utar fruarque, *Leonarde* ornatiſſime, non potui omittere, quin tecum etiam aliquando colloquerer, præſertim cùm tu mihi aliquando viſus ſis meam amicitiam non contemnere; & ego tuam ſtudioſe ſemper ambiverim, non modò officiis tuis, ſed etiam virtutibus provocatus. Nam integritatem & candorem quibus

(1) *Leonardo Langemantel*] Is fuit patricius Auguſtanus, in Ducis Bavariæ conſilium poſtea adſcitus. Vide infra ad epiſt. *Udalricho* fratri inſcriptam, & e Dulmania datam an. 1534.

bus te prædisum cognovi, in paucis est reperire. Civilitas verò humanitas est. Omnes enim homines ferè honori & gratiæ inserviunt, & officiis imprimis conciliare sibi benignitatem cupiunt: sed qui hoc esse studeant, quod videri volunt, ac non ex suo usu, sed ex animo amorem comparent, rariores sunt quàm (ut ille inquit) Thebarum portæ. (2) Quo major justiorque est causa, quare a te ameri optem, qui tuam benevolentiam, synceram & multis dotibus ornatissimam esse sciam. Qualem & fratris tui quotidie magna voluptate experior, ut & hic verè vos esse germanos liqueat. Hæc verò amandi satis magna est causa: verum illa est etiam in præsentia scribendi, quod te, licet extra literarum castra versantem, animo tamen semper ad studia procincto esse intelligam, & eorum qui olim sub iisdem pellibus mecum militarunt (3) memorem te subinde esse existimem. Ex quorum numero cùm sim & ego, boni te consulturum credidi, si epistola aliqua, quod tu per te facis, ut lubentius facias, & facere pergas, te admoneam. Fratrem verò *Ulrichum*, ubi hic propius nosse cœpi, cœpi simul & arctius amplecti, doleoque illum mihi non æque antea cognitum fuisse, & tanta voluptate præterito tempore caruisse, quam nunc uberrimam ex ipsius consuetudine percipio. Ut omittam enim morum suavitatem, animi candorem, amicitiæ fidem, plurimùm me diligentia ipsius oblectat, qua non modò Juri Civili, sed literis etiam, dulcissimis gravioris cujuslibet disciplinæ comitibus egregiè satisfacit. Disputat enim unà non modò lubenter & amicè, sed etiam acutè & doctè de difficillimis quibusque legum quæstionibus. Ac non tantùm me tardiusculum excitat plerumque, sed etiam nonnunquam, & parum memorem monet, & errantem in viam reducit. Quid quæso tali censuetudine jucundius, utiliusve esse possit? Ac gaudeo me etiam habere in eo exemplum, quod eis, qui meæ curæ commissi sunt, proponam. Nec deest etiam nobis

(2) *Rariores quàm Thebarum portæ*] Thebæ nempe in Ægypto centum portis fuere insignes, unde & hæc civitas Hecatompylos cognominata fuit. *V. Car. Steph. in Dict. histor.*

(3) *Sub iisdem pellibus*] quòd iisdem studiis operam simul dederint in Gallia sub *Alciato*.

nobis in literis materia, in qua pariter ingenium exerceamus, exhilaremuſque. Nam hic *Ciceronianorum*, id eſt, eorum qui *Ciceronem* unice imitandum eſſe præcipiunt, ſecta maximè vigeat, viciſſim aliquando partes alteras defendendas ſuſcipimus. Tametſi ille mihi in Italorum ſententiam magis inclinatus eſſe videtur. Senſi enim illi *Ciceronem* multùm cœpiſſe placere, quem & legit diligenter, & exprimit eleganter. Quamobrem ſi quid ipſe judico, numeraturi aliquando eum ſumus inter eos, qui exactæ doctrinæ laudem merentur. Debes ergo tu gaudere tam eximiæ ſpei ac indolis fratrem contigiſſe, ut ille de te viciſſim ſibi gratulatur. De *Sucqueto* arbitror tibi ab illo perſcriptum III. Non. Novemb. deceſſit Auguſtæ Taurinorum. Amicorum nullus adfuit præter unum *Cneiſelium*, cui illic conditionem ſatis bonam pararat. Quo caſu nihil mihi potuit contingere acerbius, quod tu ipſe exiſtimare ex mutua noſtra amicitia potes, quam a pueris natam ſtudiorum communicatione atque omni officio & neceſſitudine ad extremum ſpiritum perduximus. Nec deſiderium ſolùm mihi reliquit cum acerbiſſimo dolore, verum etiam metum injecit; nam & ego Italiæ non ſatis fido, ideoque & ſtudia mea abſolvere magis feſtino, quò me hinc maturius ſubducam, prout & ætas ipſa jam me admonet, ut aliò ſtudia mea flectam, & ex ſcholaſtica umbra in forum prodeam. Bene vale, & me amare perge. Patavii VIII. Calend. Martii anno 1533.

Ex Tomo II. fol. 179. vſo.

EPISTOLA XL.

BONIFACIO AMERBACHIO.

1533. *Methodo Juris ab Amerbachio propoſitæ refragatur. De Inſtitutionibus græcis a ſe publicandis. Amicitia cum Matthia Heldt contracta. Heresbachio ſcribit.*

DE Methodo videor mihi prope intelligere quid velis: ſed tamen non deſinam refragari, quò vel te in meam traham ſententiam, vel in tua, rationibus convictus, firmius con-

conſiſtam. Credo te in aliquam partem methodi ordinem admiſſurum. Is ſi non adeò exactè ubique in Jure noſtro conſtabit, meminiſſe te oportet, omnes artes æquale non recipere artificium. Quædam quippe ſunt ſcientiæ, quæ Dialecticas demonſtrationes & continuum illum traditionis ductum magis admittant; quædam quæ tantis ſe concludi anguſtiis recuſent: & in quibuſdam accuratior, in quibuſdam rudior Methodus apparet: & aliquando certè eſt quidem Methodus, ſed latet cùm quis per tranſennam præteriens aſpicit: ſin intus penituſque remotis cancellis eam perquirit, tum ſeſe clarius exhibet. Verùm hanc diſputationem non ingrediar, ſed ſuſtinebo, quoad tu quæ ſentis latius atque uberius explices. Quod rogo, quando etiam ſic inſtituiſti atque promiſiſti, perficere ne graveris. Ego, mi *Bonifaci*, ut verum fatear, rudi ſum Minerva: quæ tamen ipſe meo ingenio conſequi nequeo, lubenter ex aliis diſco. Atque ideo ſubinde refragor, quò aliis occaſionem inſtruendi me, quod ſcire cupio, ſubminiſtrem. Miror te literas meas quibus de Inſtitutionibus græcis (1) admonui non accepiſſe. Bis enim de ipſis ad te ſcripſi, & eas emittere geſtio, ſed quò exeant emendatius, tuo conſilio atque auxilio uti decrevi. Conſcripſique præfationem in eas longiuſculam, & Cæſari inſcripſi, nec quicquam reſtat, niſi ut tu mandes ut mittam librum, & ſi potes viam indices qua tutò ad vos perveniat, cavendum enim ne hæc nobis præda elabatur. Celebre apud omnes eſt *Frobenianæ* officinæ nomen (2) cui gratificari inprimis cupio, ſed tamen tu facies quod voles. Privilegium impetrare mihi non fuiſſet difficile, ſi de tua voluntate certior factus fuiſſem, proximis enim diebus excucurri Bononiam ubi Cæſar, Pontifexque colloquebantur; & magna ibi mihi interceſſit familiaritas & amicitia cum *Mathia Heldt* (3) Cæſareo Procancellario, qui ſe facilem futurum promiſit, ſi quid tale etiam poſtea poſtulabitur. Habereque

(1) *De Inſtitutionibus græcis*] dixi nonnulla in Not. ad Vitam N. XIX. §. 1. & 2. de quibus V. inf. Epiſt. XLV. ad Eraſmum.

(2) *Frobenianæ officinæ nomen*] V. Not. ad Vitam ſup.

(3) *Mathias Heldt*] V. Not. ad N. XXV.

que se ait *Frobenianæ* officinæ multa privilegia, a *Beato* (4) ut arbitror, relicta. Tu ergo cura ut negotium hoc matures, nam eo absoluto ad alia accingar promptius. Mitto ad te epistolam quam velim si qua ratione potes certò perferendam cures. Nosse te puto *Hæresbachium* (5) cui inscripta est. Si aliter non potes eam mittere, cura eam reddi Coloniæ Doctori *Joanni a Dockum* (6) Frisio, qui eum familiariter novit. Vale. Patavii VIII. Calendas Martii 1533.

Ex Tomo II. fol. 181.

EPISTOLA XLI.

JOANNI CHOLERO (1).

1533. *Animum contra corporis morbos erectum esse debere. De Institutionibus græcis, & de sua institutione Jurisconsulti, quid meditetur.*

HAbet hoc in se boni morbus diuturnus, & identidem recurrens, quod animum ad patientiam indurat, ac adversus repetitos impetus, ægrum, ut se præmuniat commo-

(4) *à Beato*] Is non *Beatus Rhenanus*, sed *Beatus Arnoldus*, Cæsaris Secretarius. V. Erasmi Epist. col. 1705. novæ edit.

(5) *Hæresbachium*] Conradus Heresbachius, in majorum suorum Heresbachiano Castro Clivensis ditionis natus sub an. 1508. *Joanni* Duci a consiliis quinquaginta annorum spatio, obiit 14. Octobr. 1576. ætat. 68. *P. Freher. in theatr. p.* 871. Fuit trium linguarum peritus, ut scribit, *Jac. Le Long Bibl. Sac. tom.* 1. in *indice Alphabetico auctorum* ubi dicitur psalmos ex Hæbræo Latinos fecisse. *V. Niceron. tom.* 27.

(6) *Joannes à Dockum*] sive Doccumensis, de quo ad Vitam N. XXVII.

(1) *Joanni Cholero*] præposito Curiensi, quo uno nec inter amicos habuit *Erasmus* quemquam candidiorem, nec inter patronos magis invictum, uti testatur ipse. *V. Epist. col.* 1745. *C. Viglius* autem, cùm ejus dignitatem, tum verò eruditionem, & multijugas dotes, semper suspexit (*tom.* 2. *p.* 175. ac varias ad eum literas dedit.

monefacit. Proinde multo melior eſt ſtudioſorum * doctorum hominum quàm cæterorum conditio, qui ex libris & lectione Philoſophorum, remedia ſibi parare poſſunt, cùm vulgus nihil habeat quo ſe conſoletur, quàm lachrymas & planctum, mitigari enim malum credit, ſi in aſtantium ſinum ſuſpiria ſua perfundat. Quorſum, inquis, iſtud? Quoniam mi *Cholere*, cùm corporis ſit immedicabilis morbus, animum tamen ſemper ſanabilem eſſe cogites. Quid ergo reſtat, quàm ut animo tecum ſubinde reputes, quomodo te adverſus Podagræ cruciatus armes? Et multi ſanè ſola aſſuetudine dolores omnes ſemel contemnere didicerunt. Multa autem paſſim in Sapientium libris hac de re ſcripta occurrunt, quæ neque recitare, neque commonſtrare tibi opus habeo, ne illud tritum audiam, ſus Minervam. Porro nulla major tibi conſolatio eſſe debet, quàm in tuis virtutibus, quæ te apud omnes ordines gratioſum faciunt. Quid enim dicam quantum fructum voluptatis ex eruditione tua referas, ob quam apud omnes doctos in magno es prætio? Quid ſi te rogem, hiſne malis carere gaudiis, an illis doloribus? Haud equidem arbitror, corporis te ſanitatem tantis animi bonis prælaturum. Adde quod neque continuus eſt morbus, neque adeo gravis eſſe poteſt cum ſit longus. Scis enim illud ſi rectè memini Stoicorum, *ſi longus levis, ſi gravis brevis.* Quid autem tibi ad fœlicitatem deeſſet, ſi hocce malo liberatus eſſes? Ergo, mi *Cholere*, cogita hanc amaritudinem inter tot, ut ita dicam, dulciaria devorandam tibi eſſe. Quod mihi de iſthoc qualicunque profitendi munere gratulàris habeo gratiam. Neſcio ſanè quanta cum laude: ſed tamen cum aliqua mea utilitate, hoc munere hactenus functus ſum, quæque docui ſedulò annotavi, ut ſi relecta aliquando placerent, edere poſſem. Nam fato quodam Inſtitutionum mihi argumentum oblatum fuit, videlicet, ut græcæ me autore prodirent, & latinas profiterer publicè ac privatim, & ipſe neſcio quid olim haud diſſimili argumento de inſtitutione Jureiſconſulti conſcriberem: quod tamen neſcio an edere audeam, vel ſi ità mihi aliquando animo ſederit, in dialogis reformare conſtituì, ſuis enim ſic plus gratiæ ineſſe, & periculi minus, cùm diverſæ ſententiæ diverſis narrantibus proponi poſſint, de hoc plura aliquando tecum præſens, nam meum

* *forte ſuppleñ.* ac *aut* et.

meum inſtitutum tibi probari magnæ mihi eſt voluptati. Vale. Patavii. Calendis Martiis, an. 1533.

Ex Tomo II. fol. 184. vſo.

EPISTOLA XLII.

GASPARI URSINO VELIO.

1533. *Jurisconſultos ſuæ ætatis, nec latine loqui, nec græcè ſcire, permitti.*

LIteras tuas habeo gratiſſimas, Doctiſſime *Veli*, nec eſt tamen quod verearis, ne quid tuâ morâ vel ſilentio offendar, ſcio enim in quo ſtrepitu verſeris, quantam curam & occupationes ſuſtineas, eaſque ſerias, & (ut ſic dicam) momentoſas, ut facile tibi ignoſcam, ſi non paria ſtatim in ſcribendo nobiſcum facias, qui hic Scholaſtica vita fruentes otio abundamus. Imò etiam ſæpius literis noſtris te interpellaremus, niſi magis tuorum negotiorum, quàm noſtri hujus otii rationem haberemus. Quanquam tamen ad te ſcribendi argumentum non ſemper ſuppetit, mihi præſertim, horridum, difficile, ac amuſum diſciplinæ genus ſectanti, atque nunc etiam profitenti, quod nos ſcilicet non modò ab aliarum bonarum literarum, quæ eruditos invicem conciliare ſolent, cultu ac commercio alienat, ſed qualemqualem etiam olim in ipſis adoleſcentiæ ſtudiis partam facultatem ſubtrahit. Quanquam rurſus, humaniſſime *Veli*, ad te, eo ſcribo lubentius, quod confidam maximè te literarum mearum ineptiam amicitiæ condonaturum. Nam eruditionem abſurdum fuerit ſi ab Juriſconſulto hujus ætatis exigas. Scis enim quàm hoc noſtrum genus hominum, quaſi ex compoſito ineptum eſt, & in ſuis tantùm controverſiis loquax. Ut ſæpius votum mecum faciam, quo tandem exiſterent aliqui, qui, cæteris ſtudiis nunc fœliciter renaſcentibus, inſtaurandæ quoque Juriſprudentiæ operam navarent. Scis enim quanta veterum Juriſconſultorum fuerit puritas, elegantia, atque etiam eloquentia, nec tantùm liberalium diſciplinarum, quæ ad graviores artes aditum patefaciunt, verùm utriuſque etiam linguæ peritiſſimi. At hodie

hodie ſi quis latine loqui conetur, clamant noſtri, Grammaticum non Juriſconſultum eſſe. Si græce etiam diſcat, vel ſciat, quaſi portentum abominantur, & tamen textus ipſe Legum, a quarum authoritate tota noſtra pendet ſcientia, antiquam illam & Romanam puritatem redolet, & græcâ linguâ multa in Jure conſtituta ſunt, quæ aliquando ſpes eſſet lucem viſura, ſi quis ipſorum ſtudioſus, nobis inveſtigator contingeret, quo certè pacto ſperarem, doctiſſime *Veli*, ut nos aliquando reſipiſceremus, & noſtram diſciplinam cum literarum ſtudiis, quæ vos magna & immortali laude tractatis, propius conjungeremus. Vale. Ex Patavio. an. 1533.

EPISTOLA XLIII.

Ex Tomo II. fol. 186.

WILHELMO A TRANTMONSDORF (1).

1533.

Effuſè, amanterque gratulatur Wilhelmo de reditu a peregrinatione Hieroſolymitana. Terræ ſanctæ elogium. Peregrinationis pericula. Ea a Deo inſpiratur. Ejus antiquitas, ac meritum, ſi bene utaris. Qui culpandi dum peregrinationes ſuſcipiunt. Batavi taxati. Wilhelmus quia Canonicus Salisburgenſis, non petita venia, peregrinatus eſt, an parte præbendæ mulctandus. Equeſter ordo Hieroſolymis confertur peregrinis, genere, moribuſque præcellentibus. Qui appellandi equites, & illi quotuplices, & qui præſtantiores. An, & qualis militia Clericis licita. Wilhelmo bona cuncta a Deo precatur.

SEra (inquit *Cicero*) gratulatio reprehendi non ſolet, præſertim ſi nulla negligentia prætermiſſa ſit. Verùm ego, Orna-

(1) *Wilhelmo a Trantmonſtorff*] vel *Trautmonſtorff*, uti eſt Tom. 2. p. 58. vſa. ubi dicitur, menſe Auguſto anni 1532. conjunxiſſe ſe ſocium quibusdam Salisburgenſibus nobilibus voti reis. Et hæc eſt unica Viglii ad eum epiſtola.

Ornatiſſime *Wilhelme*, non quo tibi nunc primum gratuler, ſed quo pleniorem aliquam gaudii mei teſtificationem tibi exhibeam, epiſtolam hanc ad te mitto. Sæpe enim coram tibi antea oſtendi, quam lætitiam animo concepiſſem, quod diuturna, periculoſa, ac difficili peregrinatione defunctum ac incolumem tandem te nobis reſtitutum cernerem. Conſentaneum autem eſt, ut quanto majorem longioremque de tua ſalute metum ſuſtinuimus, tanto etiam uberiore reditus tui ſalvi, voluptate perfruamur. Heu quoties tu nobis fluctibus obrutus nunciabaris, quàm plena ſuſpiriis mutua de te amicorum colloquia? an quiſquam igitur æquum eſſe neget, ut & gaudio viciſſim impenſius indulgeamus, poſtquam animi a metu & luctu te reſtituto conquieverunt? Noſtra etiam amicitia, chariſſime *Wilhelme*, poſtulare hoc officium videtur, ut monumentum ſive teſtimonium aliquod tibi relinquamus, unde noſtrum in te affectum æſtimes, ac te ſubinde ipſe rerum tuarum memoria recrees & oblectes. Naturaliter quippe evenit, ut ipſi exultemus, dum aliorum de nobis gaudium ipſi perſpicimus, & præteritorum laborum dulciſſima recordatio eſſe ſolet. Nobis autem tanto major juſtiorque eſt gratulandi occaſio, quanto tibi honeſtior fuit ſuſcepti atque executi conſilii, votique cauſa. Si quis ex bello miles, ex tranſmarina regione mercator, ex longingua Academiâ diſciplinæ ſtudioſus, ab barbaro Rege populove legatione functus, redeat, qui illic complexus parentum, propinquorum, ſodalium, amicorumque? Ac tam periculoſæ profectionis difficiliſque itineris, quæ magis gravis vel laudabilis cauſa proferri, excogitarive poſſit, quàm eſt ea, quæ te movit? Videlicet ut ſacroſanctum Domini ſepulchrum viſeres, & ea loca aſpiceres, ubi Jacob ſcalam in cœlum tendentem, angelos deſcendentes vidit, ut cum Regio Propheta adorares Dominum ubi ſteterunt pedes ejus, ubi natus eſt, ubi educatus, ubi fidei noſtræ ſanctiſſimum Euangelium promulgavit, ubi mortuus, ubi reſurrexit, unde in cœlum rediit, humanæ ſalutis optimus maximuſque redemptor ac ſervator Jesus Christus. Nec minus quoque ardua eſt hæc Jeroſolymitana peregrinatio quàm religioſa, navigandum eſt enim barbarum mare, per multa milium milia, nuſquam tutus ubi hyeme portus. Nam quæ circumjacent inſulæ & terræ,

terræ, Turcarum fere ſervientes tyrannidi, Chriſtianum hoſpitem non admittunt. Populus ipſe, qui ſanctiſſima loca (proh dolor!) inhabitat, inhumanus ac ferus, longa peregrinatione feſſos peregrinos, omni genere ludibrii & convitiorum vexat, ac in ſervitutem & necem trahere exoptat, niſi publica fide admiſſi eſſent, quæ tamen ab illis ſæpe infringitur. Quid autem ſingulatim hic enumerem pericula & incommoda, quæ hæc in ſe continet peregrinatio, adverſus quæ humanus non ſufficeret animus, niſi religionis clypeo præmunitus eſſet. Quemadmodum verò res ipſa plena eſt divinitatis, ita oportet, ut tam ſanctum propoſitum Deus inſpiret, ac ſucceſſum quoque tam ambigui cœpti ideni fortunet. Videmus ex Anglia, Scotia, ac ipſa terrarum ultima Thyle * ſacroſancti ſepulchri viſendi religione pios homines excitari, & relictis poſſeſſionibus, opibuſque, alacres tam periculoſum iter ingredi. Quid iſtos niſi quædam divini numinis vis tacita movet? Quæ & tibi procul dubio, mi *Wilhelme*, voluntatem animumque ad tam egregium iter ſuſcipiendum exequendumque tribuit. Nec privatos tantum homines, verùm Principes, atque Reges, fortunis omnibuſque humanis rebus affluentes, pii voti reos ad ſacratiſſimum ſepulchrum profectos legimus. Nec noſtra ætate hæc cœpit religio, verùm ab eo uſque tempore, quo Chriſtiana fide orbis illuminatus eſt, in ſumma ſemper veneratione Hieroſolyma fuit, ad quam ab Ægyptiis tyrannis recuperandam, tota aliquando Europæ nobilitas ſeſe armavit. Atque hinc *Gotfredus* ille *Balduinique* (2) immortalem nominis famam ſibi comparaverunt. Scio a quibuſdam ſuggillari omnes in univerſum peregrinationes, quæ, religionis ergo ſuſcipiuntur, ſed non eſt mihi otium, aut propoſitum eos refellere; quanquam nihil eſt facilius, quàm refellere qui rem ſanctiſſimam manifeſto errore damnant. Nihil eſt autem tam pium, quin abuſu impium fieri poſſit. Pharmaca ad medicinam inventa, ſi non ſuo tempore adminiſtrata fuerint, perniciem adfe-

* *Lege:* Thule, *quæ eſt inſula Iſlandiæ.*

(2) *Gotfredus ille, Balduinique*] Godefridus Bullionius & Balduini duo, Hieroſolymorum reges fuere, ut vulgo notum. Videndi ſcriptores belli ſacri adverſus infideles. *Maimbourg hiſt. des Croiſades* &c.

adferunt. Et multi eloquentia, quæ donum & inventum Dei eſt, ad Rempublicam & Religionem evertendam abuſi ſunt. Pium eſt ad Eccleſiæ uſum bona relinquere, ſed qui filio exhæredato hæredem facere vult Eccleſiam, alium quærat qui ſuſcipiat, non *Auguſtinum* (3). Res itaque multæ per ſe optimæ ſunt, niſi hominum malitia vitientur, vel rerum circumſtantiæ reſiſtant. Neque eos defendere hîc volo, qui domum, uxorem, liberos inopia laborantes religionis prætextu deſerunt. Nec Batavorum excuſo improbitatem, qui vel obærati, vel inſignem aliquam calamitatem & jacturam paſſi, non religione adducti, ſed deſperatione, Hieroſolymitanæ profectionis votum ſuſcipiunt. Quid turpius quàm paciſci, ſi ſalvus ab Hieroſolymis rediero, pro uno nummo reddes denarium. An hic eſſe poteſt religio, ubi uſurarum & fœnoris conventio trahitur? Et hunc illic vulgò prætextum decoctores quærunt, quem improbis, luxurioſisque moribus, & voluntario exilio obtendant, atque hujus peregrinationis ſucceſſu quaſi in integrum priſtinæ fortunæ reſtituere ſeſe cupiunt. Non equidem laudo. Et valde vereor, ne talium impia negotiatione irritatus Deus, minus fælices ventos proficiſcentibus interdum inſpiret. At cum tuum factum ex omni parte intueor, undique ſeſe mihi laudandi materia offert, nec eſt vel tantillum, quod vituperio pateat. Tu ætate florenti, tu ad ſacra deſtinatus, tu nullius privatæ rei cura impeditus, non lucri cupidine, non adoleſcentiæ lubrico, non inconſulta temeritate, tantum iter ingreſſus es, verùm ob admirabilem rerum & religionum exterarum cognoſcendarum cupidinem, qua te ſemper flagrare animadverti. Religionis acceſſit ſtimulus, invaſitque deſiderium & religio ejus terræ viſendæ, quæ Domini noſtri Nativitate, Paſſione & Reſurrectione celebratur. Atque in hoc propoſito conſtantiam etiam tuam laudare cogor, qui complexantibus retinentibuſque te ſodalibus, diraque ominantibus, non tamen ab inſtituto divelli te es paſſus, quæque tecum magno conceperas animo, majore executus es. Quid autem in tam nobili laudabilique facto, quod & ipſe Deus eventus fæli-

(3) Locus eſt in operibus S. Auguſtini, *Serm.* 355. *de vitæ & morib. Clericorum. Tom.* 5. *col.* 1382. B. *edit. Pariſ. noviſſ.*

fælicitate manifeſtè comprobavit, vel Momus ipſe, quod reprehendat invenire poſſit? Quo magis miror quid ſit hoc quod mihi de Saltzburgenſis Eccleſiæ Canonicis conquereris, qui ſoli damnant, quod ab omnibus pleno ore, totque gratulationibus approbatum eſt. Abſit verò ut illi, vel invidiæ, vel avaritiæ cauſa impiæ hujus ſententiæ authores fiant. Sed nondum fortaſſis recte tanta res ab illis perpenſa atque examinata eſt, & aliud ſentient, ubi diligentius cogitarint, poſterioribus, ut inquit proverbium, ſemper melioribus, & qui antea pœna coercendam abſentiam putabant, re melius diſcuſſa, præmio dignam cenſebunt. Acceſſit enim collegio eorum non mediocre ornamentum tua partum virtute, nam & tua dignitate communis ordo cohoneſtatur, & quid illis, ſi Chriſtianam mentem habeant, gratius eſſe debet, quàm quod per te locorum ſacrorum ſitum, monumenta, & omnem antiquitatem, plenam religionis & myſteriorum, audire colligereque poſſint? Sed accuſationis ſtatus in hoc eſt, quod ſine ipſorum permiſſu ab Academia abfueris, cùm recreationis tantum ergo unum menſem abeſſe citra veniam licuerit: ſed tu quæſo mihi dicas, anne putas, eos, qui ſtatuta ipſa conſcripſerunt, ſi de hac religionis cauſa rogati fuiſſent, tres indulturos menſes, qui voluptati unum tribuerant? At de hac re nihil cautum. Quid tum? An iniquum erit, quicquid illic non eſt expreſſum? Non poſſunt omnes caſus, inquit Juriſconſultus, lege comprehendi, ſed omiſſos, ex ſimilitudine, æquitate, ratione, dijudicamus. Et cùm poſtulanti tibi non potuerit negari, quid quærimus, an poſtulatum conceſſumque fuerit? Valebitne Statutum, ut nulli concedatur Hieroſolymam peregrinari, quia adverſùs bonos mores, adverſùs religionem & pietatem promulgatum eſt? Si quis verò erit, qui tam pio voto ſe obſtrinxit, poterine is pœnæ metu a quoquam abſterreri, ne faciat quod vovit? Quid abſurdius? Quod ſi itaque nec lex, nec voluntas cujusquam impedire hanc religionem, cui multa a Pontificibus ipſis indulta legimus, potuit, quid de permiſſu diſputamus? Qui vero ejuſmodi Statutorum calumniis inhærent, manifeſte oſtendunt, nec humana, nec divina Jura ſatis ſe intelligere, aut callere, & religionem magno & incredibili ſcandalo oppugnare. Sed

tolle leges, tolle conſcriptas a majoribus Sanctiones, & videamus quid bonus vir arbitraturus ſit. Permiſſum eſt tibi, ſtudiorum cauſa Patavii agere, interea oblati comites, qui Hieroſolymam peterent. Idem cùm ſæpe tecum eſſes meditatus, opportunum tibi eſt viſum, ut his te ſocium adjungeres. Nihil ad collegas ſcripſiſti, arbitratus non ſolùm illos ratum habituros tuum factum, verum etiam laude proſecuturos. Temporis etiam anguſtia poſt ſuſceptum votum & conſilium, etſi ſcribendi concedebat facultatem, expectandi tamen reſponſi moram non largiebatur. Huc accedit, quod eo tempore, quo publicè hîc a lectionibus profeſſores omnes feriabantur, hanc navigationem ſuſceperis. Quæro hîc a bono viro, poſſintne collegæ, præbenda * tibi adimere? Da aliquem bonum virum, qui hoc dicat, & verbum non amplius addam. Demus verò, ut ſint qui contra Jus & fas, contra æquum & bonum, hoc attentent: non tamen eouſque progreſſuros arbitror, ut integri anni ſtipendiis te ſpolient. Pœna enim delicto (ſi quod hic etiam eſſet) adæquanda eſt, & unum menſem tibi jure tuo abeſſe licuit. Quapropter, ut etiam illi ſummo tecum Jure vel injuria contendant, non poſſe tamen eos, niſi bimeſtris temporis fructibus te privare, conſtat. Sed non arbitror illos pro tantula re, velle impietatis, injuſtitiæ, avaritiæ, invidiæ crimen incurrere. Verùm ſunt adhuc, qui paterno foco ſemper aſſidentes, nec unquam patriæ ſuæ fines egreſſi, non ſine magno ſcelere & improbitate, quo ſuam tegant ſocordiam, aliena merita ſupprimere & elevare ſtudent. Quid inquiunt Hieroſolymis ſpectatu dignum? Quid? an non ipſum Sanctiſſimum ſolum, quod ſemper durat immobile, & eadem terræ montiumque facies, fluvii & lacus, divinis celebrati literis, ipſo aſpectu Chriſtianam mentem ad Deum excitent, & ineffabili quodàm ſolatio afficiant? Quæ per omne ævum jucundior recordatio eſſe poteſt, quàm cùm loci ejus venit in mentem, quem tuis oculis luſtraſti, qui a ſummo rerum omnium opifice delectus, atque adeo dilectus fuit, in quo ipſe humanæ ſalutis myſteria perageret, & in quo tot miracula ederet. Extant etiam adhuc, ut abs te multiſque aliis fide dignis hominibus audivi, plurima religioſæ vetuſtatis monumenta. Manet Dominici corporis ſepulchrum, extant prifci templi veſti-

* *Lege:* præbendam.

veſtigia, multaque alia inſignia loca, Chriſti converſatione & paſſione celebrata, adhuc conſpiciuntur. Rideant hæc impii quantum volent, ego ſane in ſumma veneratione habenda cenſeo, & viſu digniſſima, ſi quæ omnino alia in hoc orbe. Quapropter pietas tua immortale promeretur eulogium, quæ ſummo religionis affectu ſanctam hanc peregrinationem ſuſcepit perfecitque. Olim verò nemo ſe nobilem credebat niſi Dominicum viſiſſet ſepulchrum, & majores noſtri, Maximique Pontifices, quò hominum ſtudia excitarent, præmiis etiam alliciendos eſſe cenſuerunt. Nullus enim illic prope locus, qui non indulgentias & beneficia Pontificum veterum oſtendat. Conſtituitur præterea illic S. Sepulchri Ædituus, Guardianum vulgo vocant, *Franciſcano* Sodalitio præfectum, cui a Pontifice delegata poteſtas eſt, ut peregrinis, genere moribuſque præcellentibus, ſolemni ritu equeſtris ordinis inſignia tribuat. Hoc igitur tam amplum præmium & tu nobis ab Hieroſolymis retuliſti, ſolemni & antiquo ritu cunctis militaris ordinis cæremoniis legitime initiatus. Nobilitatem enim, parentum & majorum tibi virtutes & ſtemmata dederunt, eſtque tua gens non modo in Stiria, verum & in Auſtria, Bavaria, Tirolenſi comitatu, id eſt, clariſſimis Germaniæ Provinciis, præcipuæ celebritatis. Hoc verò tuæ virtutis proprium eſt, quod in hac ætate tantum decus Natalibus tuis adjeceris, & generis nobilitatem, equeſtri dignitate ornaveris. Ingenuitatis autem nobilitatiſque magna ſemper apud omnes gentes prærogativa fuit: attamen quemadmodum gemma auro incluſa non modo ipſa fit ſplendidior, verùm etiam aurum condecorat: ſic nobilitas, equeſtris militiæ honore aucta, multo fit clarior atque illuſtrior. Nec hæc dignitas omnibus patet peregre Hieroſolymam proficiſcentibus, ſed generis eſt peculiare ornamentum. Unde nec conferri quidem ſolet niſi iis, qui nobilitatem Jurejurando profeſſi ſunt, qui verò falſas majorum imagines mentiuntur, præterquam quod ſe falſi perjuriique reos conſtituunt, inanem titulum per hujusmodi obreptionem ſuſceptum fruſtra circumferunt. Nec enim Equites dicendi ſunt, quibus nec opes, nec genus ad ſuſtinendum tam preclari nominis honorem, ſuffragantur. Et memini quoſdam Equites a Veteribus pedarios fuiſſe appellatos, quales iſti

iſti merito habendi, quando tantopere Equitis eos delectat agnomen. Non negò quidem, plebejorum hominum æque laudabile votum exiſtere, militant quippe & illi, verùm inter milites multi ſunt gradus. Qui genere clari ſunt, baltheum, torquem, aureumque calcar ad crucis inſignia recipiunt, & æquum eſt, ut qui genere & virtute excellunt, ampliora quoque inde præmia reportent. Eſt & Equeſtris ordo duplex, quidam enim a Principibus hac dignitate ornantur, & plerumque ob militaria merita; alii apud ſepulchrum Domini, pro Chriſtiana fide militiam profitentur, dantque nomina ſua adverſùs communes hoſtes, quorum in confeſſo eſt, eo præclarius eſſe nomen, quo juſtius bellum & militia adverſùs Chriſtianæ fidei hoſtes, quam contra finitimos populos religione nobis conſentientes, & tantum de finibus diſceptantes, ſuſcipitur. Quemadmodum autem inter Doctores artium & diſciplinarum ii maxime excellunt, qui vera profeſſione, docendique munere nomen hoc ſunt promeriti, non qui inani ſe titulo venditant, ſic & illos, Equeſtris militiæ honorem optimo ſibi jure vendicare non eſt dubium, qui tot fluctus contemnere, tam longam & difficilem peregrinationem inire non dubitaverunt, primum omnium ut in ſanctiſſimo loco, ubi ſteterunt pedes ejus, Dominum adorarent, tum verò, ut ferarum gentium immaniumque hoſtium mores perſcrutarentur, quo ſe Duces & anteſignanos præbeant, ſi quando maſcula illa virtus, qua majores noſtri adverſus Ægyptiam, Saracenicamque luem, & Turcicam feritatem uſi ſunt, in nobis renaſcatur. Excellunt igitur inter milites ii qui Equeſtri gradu ornati ſunt, atque inter hos iterum iſti quorum tu, Ornatiſſime *Wilhelme*, numero accenſus es. Cùm vos non modò, eadem inſignia eoſdemque honores promeriti ſitis, ſed etiam peregrinationis religioniſque favore, cæteris præponamini. Dicat verò hic aliquis: Tune ergo Equitem vis eſſe, qui ſacris deſtinatus, vel initiatus eſt? Quid commune ſacerdotio cum militia? Quid ſacris cum armis? Scio equidem *Gratianum* multis authoritatibus agere, quò oſtendat Clericis interdictam eſſe militiam: ſed an conſentiente Pontifice, liceat arma adverſùs immanes hoſtes ſuſcipere, non vocat ille in controverſiam. At hic authoritas acceſſit Apoſtolica Ædituo delegata, qui

gla-

gladio accingere milites Chriſti ſolet. Quod ſi hic lubet exemplis confirmare, reperiemus eo tempore quo ſacrum illud bellum a tota pene Europa ſuſceptum fuit *Urbanum* Pontificem, non Clericis modò plurimis, verùm etiam Epiſcopis arma conceſſiſſe. Equeſtris autem ordo etiam extra caſtra & citra expeditionum neceſſitatem durat. An dubitemus, multos fuiſſe Equites Romanos olim dignitate, qui nunquam hoſtem vidiſſent? An non & idem hodie videmus, cùm & Doctores Equeſtri interdum honore fulgeant? Exercitium itaque armorum Clericis interdictum eſt, imaginariæ, Equeſtriſque militiæ decus minime eſt ademptum. Et iis Clericis crediderim conceſſam etiam eſſe veram militiam adverſus Paganos fidei noſtræ perſecutores, quibus apud Dominicum ſepulchrum gladius accinctus eſt. Sed & cùm alium liceat militiæ hujus ſacramenta implere: minime cum ſacrorum profeſſione hujuſce dignitatis titulum pugnare, manifeſte colligitur. Nec paucos ipſe novi, qui ſine ulla reprehenſione & controverſia, tametſi ſacris initiati eſſent, Hieroſolymitanos ſeſe Equites inſcripſerunt. Quis igitur vitio tibi vertat, qui non ambitione, ſed religione, crucis inſigne una cum torque Equeſtri ſuſcepiſti? Qui pio voto Hieroſolymam profectus præter tuam ſpem tale referre præmium promeritus es? Quid autem ſi hoc Deus voluit (cui meritò quicquid in hac vita, vel ornamenti vel emolumenti obtingit, acceptum ferimus) ut tu ſub ipſius vexillis nomen dares, ac in ipſius numeros adſcribereris? Cùm tot igitur bonis ac laudibus hæc tua peregrinatio exuberet, ſanctimoniæ & pietatis fructu cum primis commendanda, quæ jucundiſſimam tibi ſubinde ſui memoriam refricet condecorato etiam primariæ inter nobiles dignitatis ordine. Quid ſupereſt, Ornatiſſime mi *Wilhelme*, niſi ut nos tibi congratulemur, tibi fauſta, fœlicia ac perpetua hæc gaudia & ornamenta precemur, ac in poſterum majora tibi ut contingant, optemus, atque ominemur? Qui enim in hac ætate tot honoribus auctus es, facies quotidie cum ipſis annis gradum (ut ſperamus) ad majora ſplendidioraque. Quod ut fiat Deum opt. Max. precor, ut qui hactenus tam honeſta conſilia tibi inſpiravit ac direxit, majoribus quotidie benignitatis ſuæ donis te ſibi obſtringere pergat. Bene vale. Patavii. Quinto Idus Aprilis anno 1533.

EPISTOLA XLIV.

ERASMO ROTERODAMO.

Ex Tomo II. fol. 196. vſo.

1533. *Alogus creditores ſuos ludit. Studiis ſuis fortunæ ſuæ conſulere cupit. De Archiepiſcopo Cantuarienſi quid Eraſmo ſperet. De Zacharia Dejotaro, Hoxvirio, Hayone Caminga, Hieronymo Aleandro, Hieronymo Vida, Romulo Amazeo, Bartholomæo Riccio & Canonico Zancho.*

LIterarum tuarum faſciculum, Doctiſſime *D. Eraſme*, redditum mihi eſſe, ex noviſſimis literis meis conſtare tibi potuit. *Alogus* nondum ad nos rediit, expectatus diu a multis, non tantum noſtratibus, ſed a *Bembo*, *Bonamico*, atque aliis doctis, quorum hîc familiaritate uſus eſt, & in quorum rationibus nomen ſuum pro mnemoſyne reliquit. Scribit tamen aliquando de Sacerdotiis, conditionibuſque ampliſſimis, atque ejuſmodi fumis interea lactat creditores. De ſtudio quod mones facturus ſum, non ut valetudini, ſed ut fortunæ conſulam, ac amicorum ſuffragiis utar, dum illi me adjuvare & poſſunt & cupiunt. Hic annus mihi fuit ſubmoleſtus. Sed tamen fructum ejus non mediocrem ſentio præſertim in Juriſprudentia. Antagoniſtæ mei invidiam & impetum jam devoravi: quanquam ſane principia mihi fuere difficilia, præſertim non aſſueto adhuc Italicis ingeniis & technis. In Archiepiſcopi Cantuarienſis locum audio ſucceſſiſſe quemdam qui ſuperiore anno apud Cæſarem functus eſt legatione, & a pleriſque commendatur ob humanitatem & doctrinam. Non dubito quin ille penſionem, tibi ſalvam eſſe curabit, modò admonitus fuerit: cùm etiam Jure eam exigere procuratore conſtituto poſſis. Multoque ſatius eſt aliquam partem Procuratoribus erogare, quam totam amittere. *Zachariam Dejotarum* (1) non novi, niſi ex tuis literis.

(1) *Zachariam Dejotarum*] Is erat Friſius, *Eraſmi* famulus aliquando & diſcipulus, quem a fidelitate ac præſtitis haud ſegni-

ris. Ac utinam plurimi Frisii in ejus locum, qui te æque ament, succedant: arbitror enim ad nationis nostræ laudem pertinere, si ea tua agnoscat merita, dignamque se tuo amore præstet? *Hoxvirius* (2) certe eruditione & genere nulli nostri * nostratium inferior candore & veneratione tui (uti spero) mecum contendet; ac gaudeo illum in tuum album adscriptum esse. Mihi cum illo multæ intercedunt benevolentiæ causæ; patria, parentum necessitudo, vicinitas, & amicitia in studiis contracta. Alter ille cujus meministi, ne non corporis solùm sed & animi morbum in Italia contraxerit. *Hajo Caminga* (3) cœpit in me esse frigidior, quod eum non accuratius commendarim, cùm apud te habitaret. Sed quæ hîc est culpa, cùm ego ipse adhuc patrono apud te egerem, admissus primùm ad mutuam benevolentiam: & cùm tu etiam ipsius virtutes satis posses ex quotidiano victu per te intelligere. De pensione persolvenda Quæstoris filius bene sperat: ac diligentissime de ea re ad patrem scripsit, enixè eum obtestatus, ut causæ tuæ omni studio opituletur. Sub hyemem vero ipse in patriam rediturus est, ac ibi præsens, quoad fieri potest, negotium tuum procurabit. Alterius Adolescentis patrem hic expecto: nec tibi hoc beneficii, quo illum affecisti, peribit. De Adagiis locupletatis debent, debebuntque tibi semper studiosi omnes, quibus ex ea re incredibilis accedit fructus. *Hieronymus Aleander* (4) legatus est nunc Apostolicus apud Senatum Venetum; & de libris,

* To nostri *abundat.*

segniter obsequiis laudat, ac in Angliam migratum, amicum ibi & fautorem habuit. *V. varias Erasmi epistolas.*

(2) *Hoxvirius*] Hector, præses senatus Ultrajectini sub Carolo V. *V. Not. ad Vitam N. XLI. & Suffr. Petri de Script. Frisiæ dec.* II. *cap.* 2.

(3) *Hayo Caminga*[nobilis Friso, ad quem plures dedit *Viglius* epistolas, inter quas unâ rescribit ad ejus querelam, *epistolas nonnullas, quæ sui commendationem continebant, in Erasmi operibus* (a Frobenio excusis) *esse omissas.* tom. 3. p. 288.

(4) *Hieronymus Aleander*] Senior, Philosophiæ & Theologiæ doctor, linguarum eruditarum peritissimus, in renascente apud Italos republica literaria magnum certe nomen & decus gessit, inquit *Mireus de Script. sec. XVI.* qui omnino consulendus est, si virum summum dignoscere velis. *In edit. Fabr. V. pag.* 145.

libris, qui publice vendi poſſint, cenſuram accepit. *Hieronymus Vida* (5) cujus extat de arte poëtica carmen, Epiſcopus factus eſt, cum nuper Bononiæ ſex Chriſteidos libros Pontifici Max. obtuliſſet. *Romulus Amazeus* nuper quoque edidit *Xenophontem* latinum. Et Venetiis ſub prælo eſt opus quoddam *Bartholomæi Riccii* de Elocutione, quod miris laudibus Itali extollunt. Mitto nunc præfationem in vitam *Chryſoſtomi*. Dedit mihi quoque *Zanchus* Canonicus *Ambroſii* Sermones contra Arrianos, & *Cypriani* paſſionem, quæ mittam ad te alias: nam ille poſtulavit, ut ipſe diſcribenda curarem, ac exemplum ei relinquerem. *Bembus* me humaniter amplecti pergit. Ac nuper etiam ab eo impetravi, ut Inſtitutiones græcas mihi ædere liceret, præfationemque illi exhibui: in qua cùm muneris accepti gratam facerem commemo-

(5) *Hieronymus Vida*] Marcus, Cremonenſis, ſummi ingenii vir, ſummæque doctrinæ, ac poëtarum ſcholæ Chriſtianæ facile princeps, quod teſtatum fecit illo inſigni *Chriſtiados* opere. *V. Miræum cit. p.* 177. Fuit epiſcopus Albæ Liguſticæ, & eo titulo Concilio Tridentino interfuit. Obiit anno 1566. 27. Septembr. uti notat *Freber. in theat.* Et patet ex ejus epitaphio in eccleſiâ Cathedrali Cremonenſi, quod ex *Sweertio in ſel. Chriſt. orbis delic. p.* 174. *edit. Colon. an.* 1608. hîc ſubjicio.

D. O. M.

M. HIER. VIDAE, Albae epiſcopo, quem omnes norunt, Civitas *Cremona* decreto ſepulchro ſumptu pub. civi qui de univerſa Civitate B. M. eſt, parentavit V. A. N. Qui cùm, quidquid in egregium hominem laudis dici poteſt, in eum beneficio nat. fuerit collatum. Immortalit. erat dignus, niſi naturæ communis conditio obſtitiſſet. Vivit tamen adhuc apud nos, vivetque æternum ad poſteros benef. jucundiſſ. ac perpetua recordatione. Qui omnibus erga gregem ſibi commiſſum officiis functus piet. char. fide, conſt. præclarus, omnibus carus, nemini noxius a nobis diſceſſit, ſuo magis quàm aliorum tempore. Qui non ſolum piè & ſanctè Deum coluit, ſed ita etiam cecinit, ut in cælo locum, ubi beatus ævo ſempiterno fruatur, & in terris æternam ſibi gloriam maximo omnium mortalium fructu compararit. Obiit anno M. C. LXVI. XXVII. Septembr.

memorationem, alium promerui librum τῶν νεαρῶν Juſtiniani, multo emendatiorem plenioremque, quàm ſit is qui ab *Holoandro* editus fuit. Et ſpem concepi alia me ab eo conſecuturum. Vale. Patavii 17. Aprilis 1533.

EPISTOLA XLV.

Ex Tomo II. fol. 212.

ERASMO ROTERODAMO.

De acceptis ab Eraſmo epiſtolis gratias habet. Aperit ei conſilium ſuum migrandi Spiram, ut quæ in ſcholis didicit ac docuit, ad forum & remp. transferat. Græcas Inſtitutiones Cæſari nuncupatas Frobenius excudet. Quos habeat patronos in utraque Germania. Ab Eraſmo commendari cupit. Meminit de variis viris eruditis. 1533.

SEmper equidem magni beneficii loco duxi, *D. Eraſme* patrone omnium maxime & honorandiſſime, quod ad me ſcribere non gravareris. Nunc autem quod tam prolixis, honorificis, benigniſque literis iterum atque iterum me ſis dignatus, maxima tibi a me gratia habetur. Nam mutuo ſcribendi officio adeo tibi ſatisfacere nequeo, ut abunde ſuo officio functæ literæ meæ mihi videantur; ſi modò nihil te offenderint, & qualem qualem occaſionem tibi præbuerint, quo hoc erga me beneficium in poſterum quoque continues. Quod ſi autem votis meis Superi annuerint, id eſt, ut & te diu nobis incolumem & ſuperſtitem ſervent: & mihi fortunam paulò lautiorem præbeant: reipſa gratitudinem erga te meam ſic declarabo, quò te hujus in me beneficentiæ minimè pœniteat. Significavi tibi antea ex amicorum conſiliis cupere me aliò ſtudia mea flectere, & aliquando ad ſcopum propius dirigere. Qui nobis penè omnibus is eſt, ut in foro vel Republica uſum aliquem diſciplinæ noſtræ exhibeamus. Jura enim civilia utcunque, hoc eſt, quantum noſtratia fora requirant, prope didici. Et hæc Italica exercitatio non parum me juvit, tuebiturque adverſus

eos, qui literarum bonarum ſtudioſos, imperitiæ in legibus inſimulant, vulgatumque nobis Grammatici convitium objiciunt. Græcas Inſtitutiones Juris Civilis *Hieronymo Frobenio* miſi excudendas. Præfatus ſum in eas paulò prolixius, quo ſtudioſos ad indaganda Græcorum commentaria excitarem: & futurum facilius ſpero, ut ſi noſtræ ſectæ homines, linguæ græcæ operam dare cœperint, latinam quoque diligentius excolant. Ad comparandam autem operi huic authoritatem, & alias quasdam ob cauſas, ſuadente jubenteque *Mathia Heldt*, procancellario, Cæſari nuncupavi. Et ut mihi hoc bona *Bembi* venia liceret, præfationem ipſi exhibui, in qua pro tanto munere honorificam ejus mentionem inſerui. Qua etiam τῶν νεαρῶν emendatiſſimum pleniſſimumque exemplar ab eo impetravi: quarum æditio revera Nurenbergæ eſt præcipitata. Spero me bonis auſpiciis Inſtitutionum opus, jam olim ab ſtudioſis deſideratum, emiſſurum. Nam tua commendatio jam, ut ſentio, expectationem aliquam de me fecit, cui etſi non primo ſtatim fœtu, eoque alieno ſatisfecero: tamen quo aliquando de meo penu non omnino tuis de me præconiis indigna depromere mihi liceat, pro viribus conabor. Verùm nunc aliquantiſper *Ariſtotelis* adhuc ſequar conſilium, qui virum egenum ſuadet magis divitias, quàm Philoſophiam ſectari. At ubi mediocrem fortunam, atque eam quæ ſtudiorum quieti & impendiis ſufficiat, peperero, intermiſſa omnino ſtudia repetere decrevi. Exponam autem tibi apertius conſilium meum, quod te & velle & poſſe non leviter promovere, ſcio. Habeo magnos & potentes patronos in Germania. Hi omnes ſuadent, ut me Spiram conferam, promittuntque ut, cum illic aliquamdiu habitavero, honeſta aliqua conditio deferatur. Et ad eam rem adjutorem quoque ſe apud Cæſarem mihi futurum *D. Mathias* pollicitus eſt. Talibus quidem authoribus lubenter obſequar. Itaque ſub hyemem patriam reviſere decrevi, illic me viatico communiturus, ut Spiræ me ſuſtentem, quoad occaſio exequendi promiſſi patronis oblata fuerit. Nec ea mora gravis mihi erit, quo interea linguæ & forenſis actionis uſum aliquem comparem, & in advocatorum ſubſelliis prius ſedeam, legitimum magis gradum inde, Deo volente, ad altiora facturus. Unus mihi ſcrupulus eſt, quem ſi tollere potero,

ero, fœlicem ſucceſſum ſpero. Habeo aliquot non vulgares amicos in Germania inferiore, quibus a Patruo olim ſum commendatus. Iis omnia ad quæſtum referentibus non placebit, ſat ſcio, quod uberiorem proventum in Germania ſperem, cùm noſtratia fora multo ſint uberiora. Et deinde aliud ſuſpicabuntur, quare ſuperiorem quæram Germaniam: ſed tamen præſens quicquid id eſt diſſolvere conabor. Hæc eſt conſiliorum meorum ſumma. Fuit autem mihi pergratum, quod tuam quoque opem benigniſſimè obtuleris, cui ego jam antea multum debeo, cùm tuæ de me commendationes, cùm privatæ tum publicæ, honeſtiſſimam mihi opinionem apud doctos & ſtudioſos pepererint. Et eſt mihi profectò iſte longe maximus ſtudiorum meorum fructus, quem a te accipio. Ac eum perpetuum fore ſpero, nam mori me Hercle malim, quàm mea aliqua culpa tuam amittere benevolentiam. Domini *Antonii Fuggeri* favore multum nitor, & arbitror me in firmum inclinare parietem. Cum verò tua authoritas plurimum apud eum valeat, & tuo judicio multum tribuat: juveris me non parum, ſi cùm tibi opportunitas ad eum ſcribendi fuerit, voluntatem ipſius tua commendatione incitaveris. Arbitror eum propediem hic futurum, ſic enim mihi retulit *Mariangelus Accurſius* (1) qui heri hac in patriam tranſiit. Ejus opinor tibi nomen eſſe notum: edidit enim nuper *Caſſiodorum*, & aliquot *Am. Mar.* libros & integrum hunc annum egit apud *D. Antonium*. Viſus eſt mihi bene oneratus redire ex Germania, nec temere eſſe quod eam laudat. Rediit & ſuperiore anno ex Germania bene nummatus *Gauricus* quidam Mathematicus. (2) Sed is non obturatis auribus Siræ-

(1) *Mariangelus Accurſius*] ex *Aquila* oppido regni Neapolitani, criticus, qui vetera mſſ. ſectatus eſt ad corrigendos antiquos ſcriptores. Primus vulgavit hoc ipſo anno *Caſſiodori* epiſtolas in duodecim diſtinctas libros. Item *Ammiani Marcellini* libros aliquot, de quibus, & de ipſo *Accurſio* videri poteſt *Baylius in dict. hiſt. critico. Verbo*: Marcellin, & *verbo*: Accurſe. Item *Miræus in auctario cap.* 42. *in edit. Fabricii p.* 8.

(2) *Gauricus quidam mathematicus*] nomine *Lucas*, epiſcopus Civitatenſis in regno Neapolitano, de quo, ſi lubet, vide *Niceron. tom.* 30. *a p.* 145. qui curioſas ejus vitæ circumſtantias refert, ſed non meminit ejus, quod hîc *Viglius* innuit, dum eum

Sirænas præternavigavit: nam *Lutherum* & *Melanchtonem* ſæpe habebat in ore. Cauſa autem *Antonio* huc proficiſcendi eſt, ut ex Mediçorum conſilio valetudini proſpiciat. Quæſtoris filius (3) Romam abiit, viſa urbe, mox in patriam rediturus. Credo fore ut te coram conveniat ac ſalutet, animumque ſuum & conſilium plenius tibi explicet. Ego ſane arbitrabar negotium hoc penſionis tuæ potuiſſe per patrem expediri. Quapropter juvenem ſua ſponte inclinatum pro virili inſtigabam: quo laudabilem iſtam voluntatem exequeretur. De *Riccii* libro ipſe judicabis. Popoſcit eum ab *Ephorino Hieronymus*, ſi recte intellexi, & *Bebelius* * Baſileam pertulit. Si ego idem apud illum potuiſſem, lubenter & ad te alterum exemplar ferendum dediſſem. *Hieronymus Vida* (4) Canonicus eſt Regularis. Statim tamen ac eruditionis ſibi quamdam peperit opinionem, patronis conciliatis monachorum contubernium reliquit. Bononiæ nuper, ut ſcripſi, ob Chriſteida Pontifici dicata Epiſcopatu donatus eſt. Hujus ac *Fracaſtorii* (5) cujuſdam carmina, primam laudem apud Italos obtinent. Miſi quondam ad *Glareanum* libellos quoſdam utriuſque. ὁ ἄλαζὼν Romæ laborat pro ſaterdotiis: ſed vereor ne invita Delia venetur. Noſti illud, *Curia Romana non vult ovem ſine lana.* Quidam inde mihi ſcripſit, gravi eum morbo premi, & corporis & marſupii, & tamen hîc erat totus ſericeus. Romæ promulgata eſt monitio contra Anglorum Regem: ni reducat uxorem ante Calendas Septembr. excommunicatum eum iri. Coronen-

* *Typographus, cui nomen, Joannes,*

eum de Lutheraniſmo ſuſpectum facit. Epiſcopatum a ſe dimiſit, ac privatam dein vitam vixit Romæ, ubi obiit 6. Martii 1558. octogenario major, ut eſt in ejus epitaphio apud *Niceron. cit p.* 150. qui narrat eum aſtrologiæ judiciariæ mirè addictum fuiſſe, ſucceſſu ſemel valde pœnitendo. Sed id ante epiſcopatum contigit. Habet quoque nonnulla de *Gaurico Miræus in ſcrip. ſec. XVI. p.* 141. *in edit. Fabricii.*

(3) *Quæſtoris filius*] Florentius Grebouallius, filius *Petri* quæſtoris Flandriæ, a quo *Eraſmus*, ſuggerente *Viglio*, penſionis ſibi conſtitutæ ſolutionem expectabat.

(4) *Hieronymus Vida*] V. ad epiſt. XLIV.

(5) *Fracaſtorii*] De illo dixi ſup. ad Epiſt. ad Bonif. Amerbachium datam Kal. Dec. 1532.

nenſes adhuc a Turca ſunt obſeſſi. Solviſſe tamen dicitur *Andreas de Oria* (6) ut ſuccurrat. Comites *a Rennenburgo* tecum eſſe gaudeo. Cum *Gaſpare* mihi in Gallia magna fuit familiaritas: nec quicquam illo vidi aut modeſtius aut ſyncerius. Et has virtutes, tametſi generis ſplendore ſatis illuſtres, literarum quoque indefeſſo quodam ſtudio ornare ſummopere connitebatur. Debeo autem tibi plurimum, *Eraſme* colendiſſime, ſed tamen hujus nomine cupio tibi aliquid quoque debere. Debebo autem ſi benevolentiam tuam tantopere expetenti non gravate impertias. *Vincentio Magio* (7) literas tuas tradidi Habitat hic, & Philoſophiam profitetur: Græcarum literarum apprime doctus eſt, & ab auditoribus ſumme commendatur. *Beri* epiſtola (8) non pervenit ad me. De H. A. ſcribam forte aliquid proximè: nam Venetias ire ſtatui poſt aliquot dies. Conjunxit nuper literis meis ad te Monachi cujusdam epiſtolam *Anſelmus*. Non novi quis ſit, & mirabar cur nihil ipſe ſcriberet. Bene vale, *Eraſme* literarum omnium decus & patrone mihi colendiſſime. Patavii poſtridie Calend. Auguſti 1533.

EPISTOLA XLVI.

Ex Tomo II. fol. 216. vſo.

FREDERICO SCHENK A TAUTENBERG (1).

Magna civilitate & prolixè Fredericum demulcet, 1533. *ut*

(6) *Andreas de Oria*] ſeu *Auria*, verius *Doria*, Genuenſis, celeberrimus ille ſeculo XVI. maris præfectus, *Franciſco I.* Galliarum Regi primum, dein Carolo V. Imp, fidus, ac ſtrenuiſſimus Dux. De quo hiſtorici paſſim.

(7) *Vincentio Magio*] nomen ejus vulgare, *Maggi*. Erat enim Brixianus Italus, uti me docuit *Morerius in Dict. hiſt.* dum nec *Miræus*, nec *Baylius*, nec *Niceronius* de illo quidquam. *Eraſmi* ad eum epiſtola videtur interiiſſe. Certe in nova editione non comparet. *Virum pium & perhumanum* eum vocat *Eraſmus col.* 1192. V. *Morerium*.

(8) *Beri epiſtola*] Quantum conjicio. ſermo eſt de *Ludovico Bero* theologo, de quo in notis ad Vitam N. XIX.

(1) *Fredericus Schenk a Tautenburg*, J. U D. Aſſeſſor & præ-

ut ſibi faveat in aſſequendo Aſſeſſorio munere in Camera Spirenſi. Nuntiat Franciſci Curtii obitum, & Alciatum ſucceſſorem futurum in Cathedra Patavina.

CUm quæſiiſſem ſæpe occaſionem, vir multis modis ornatiſſime multiſque dotibus ac titulis præclare, ut ad tuam benevolentiam aditum mihi pararem, oblatam profectò ſuperioribus menſibus arripui lubentiſſimè, auſuſque fui meis te literis interpellare, nec ſcio an ſatis decorè tuam mox opem implorare, & in ea quidem re, quam non poſſum non arroganter vel ambitioſè animo mecum concipere, nedum immaturè petiiſſe, pleriſque videri. Quamobrem ſcio hoc meum factum purgatione non vulgari indigere. Nec eam gravate ſuſciperem, ſi modo ea, quæ ad benevolentiam tuam erga me excitandam proficere poſſent, integra mihi manerent. Arbitror autem, eas literas meas è Bononia datas redditas tibi eſſe, commiſi enim eas miniſtro res apud Cæſarem procuranti menſe Februario. Et ferre poſſem ut illæ interiiſſent, ne tale impudentiæ meæ monumentum apud te extaret. Quando tamen jacta ſemel eſt alea, culpæ venia quærenda eſt. Ignoſces ergo mihi quod te talem, tamque eximium virum, ego pluſquam gregarius literarum miles, appellare ſum auſus. Ignoſces quod in limine ſtatim noti-

ſes Cameræ Imperialis, ſtatum eccleſiaſticum amplexus, varias dignitates ambivit, ac integro triennio fruſtra laboravit, ut annitente Carolo V. in Coadjutorem Epiſcopi Paderbornenſis aſſumeretur: & quinimo Cæſarem impellere ſtuduit, ut rem in ſpecie novam, & ſedi Apoſtolicæ inuſitatam, de ſe Nuntio in partibus Belgicis conſtituendo, ſummo Pontifici proponeret. Hujus rei conciliator *Viglius* eſſe noluit, uti ad eum ſcripſit *tom.* 4. *p.* 577. Tandem poſt erectionem novarum ſedium epiſcopalium in Belgio, *Fredericus* creatus fuit primus Archiepiſcopus Ultrajectinus, & ultimus, mutata ſtatim religione ac everſa ſede. *V. Hiſt. Eccl. Ultraj. a me publicatam anno* 1725. *Heuſſ. in Bat. ſac. Havenſium, alioſque.* Epitaphium ejus, & lucubrationum notam habes in *Bibl. Belg. novæ edit.*

notitiæ tuæ in re tam ardua & gravi opem tuam flagitarim. Primum tamen affectui erga te meo ſyncero certè & candido condonabis, quem ſi tu tecum expendere volueris, non levi de cauſa ſuſceptum, ſed multis honeſtiſſimis rationibus fundatum, comperies. Moveor enim debita reverentia cum generis longe clariſſimi, tum quod parenti tuo (2) viro noſtra ætate fortiſſimo belli Duci, & in pace Gubernatori moderatiſſimo, patria mea plurimum debeat. Occurrit ſubinde & *Buchonis* patrui mei, quem tu quoque olim unà coluiſti, memoria, maximè vero omnium tuæ virtutes excitant. Quas tu abſolutiſſima penè literarum omnium ſcientia ac Juriſprudentia, multo ſplendidiſſimas effeciſti. Tam multis cauſis extimulatus, ſi tuam benevolentiam rogare auſus fui, ignoſces. Et hoc vides tale eſſe, ut prope culpa vacare poſſet, ſi modo conſentanea petitioni meæ oratione ſeu epiſtola id tentaſſem. Sed ſanè & huic negligentiæ prætendere poſſum, quod Bononiæ hoſpes, atque inter multas & varias occupationes, opportunitatem tamen ad te ſcribendi nactus, id ineptius fecerim. Alterum verò, in quo impudentiæ atque etiam imprudentiæ crimen agnoſcere debeo, & fortaſſis apud aliquos ambitionis vitium vix effugio, magis me ſolicitum habet. Neque enim excuſare id penitus poſſum neque ſemel ſuſceptum deſerere audeo. Et mihi *D. Matthias* calcar tunc addidit, & juvenilem animum, ſuaque jam ſponte ad aliquam conditionem inclinatum, facile permovit ut de Aſſeſſorio munere ſpem conciperem. Eam vero rem quieti reſtitutus exactius expendens, ſenſi quàm mihi eam conſequi difficile foret. Ideoque me prioris conſilii mei ac audaciæ vehementer puduit, & tantum non pœnituit. In hoc tandem animum poſt multam cogitationem converti, ut Spiram me migraturum conſtituerem, ne vel eorum authoritatem, qui ejus ſpem fecerunt contemnere viderer, neve inconſtantiæ notarer ab iis, quos adjutores ea in re eſſe mihi poſtulavi. In quorum numero facilè tu primas obtines, qui potes ſine dubio plurimum, & ubi tibi occaſio ſeſe obtulerit,

(2) *Parenti tuo*] Georgius Baro de Tautenburch, Eques aurei velleris, Friſiæ & Groningani territorii gubernator, Frederici Archiepiſcopi parens fuit. V. *hiſt. Belg. paſſim.*

rit, ſpero quod etiam mei provehendi rationem aliquam ſis habiturus. Scio & *Fuggeros* mihi ex animo favere & cupere prodeſſe, ac alios commemorare poſſem, ſed non eſt neceſſe. Scio gradatim honores deferri, neque etiam ego mox eos obtingere mihi unquam cupivi. Tantum ſi ſpem aliquam concipere poſſem, experiri volui. Sunt enim cujuscumque rei aliqua jacienda fundamenta. Quæ ſero ambiuntur, ſero obveniunt. Quamobrem ſi tibi non videor inidoneus omnino fore, quæſo ne graveris tuum mihi favorem impertiri, & viam aliquam ſternere ad aliquam conditionem. Ego viciſſim erga te obſervantiam meam gratitudinemque, quibus poſſum officiis declarare, ubicunque ſe dederit occaſio, laborabo. Decrevi autem ſub hyemem patriam reviſere, & fortaſſis Spiram tranſibo, ut coram te conſulam. Interea rogo, ut ſi tibi idem placet, quod mihi, favore tuo proſequaris promoveaſque, ſin putas fruſtra me laborare, rogo ut meam ſtultitiam cæteros celes, & ipſe non ægrè feras, neve ob id minus pronus ad me redamandum exiſtas. Hi qui tibi has literas adferunt, de cæteris rebus ſtudiiſque, cum meis, tum Italiæ, plura referre poterunt. Et lubenter nonnulla audies, quæ ego ad communem ſtudioſorum utilitatem molior. *Franciſcum Curtium* Jureconſultorum facile Principem hîc nuper amiſimus. Et jam agitur de ſufficiendo *Alciato*, putoque negotium ſucceſſurum, nam ipſe captavit pridem hunc locum, & Venetus Senatus mille coronatos in ſingulos annos offert. Vide an non hîc in pretio ſit Juriſprudentia. Vale, acriterum te rogo, ut audaciæ meæ ignoſcas. Patavii. VII. Auguſti an. 1533.

Ex Tomo II. fol. 219. vſo. 1533.

EPISTOLA XLVII.
BONIFACIO AMERBACHIO.

Græcas Inſtitutiones mittit imprimendas elegantiſſime, atque ut emendatiſſime quoque exeant, Amerbachio relegendas commendat. De correctore monet. Præfationem ſuam, omnemque rationem aliam ei permittit. De methodo juris obiter.

MIſit ad me literas tuas, Doctiſſime *Bonifaci*, *Hieronymus Frobenius*, ad quas ego pridem tibi reſpondere cupivi, ſed

ſed numquam opportunum mihi nanciſci nuntium licuit, cui & librum *Inſtitutionum* lubenter commiſiſſem in tempore ad vos ferendum, imprimendumque. Tandem quoniam nullus fuit oblatus, egi cum *Agninis*, ut ipſi qui antea operam ſuam in eo deſcribendo mihi præſtiterant, nunc etiam adjuvarent quo in lucem emitti poſſet. Itaque illis in patriam redeuntibus librum tradidi ad te mittendum, quod eos bona fide facturos nihil addubito. Quamobrem, doctiſſime, humaniſſimeque *Amerbachi*, rogo ut tu reliqua cum impreſſoribus peragas, deſque operam, ut quàm elegantiſſimè & emendatiſſimè exeat. De forma & characteribus tu melius ex dignitate libri & utilitate typographorum ſtatues, nec ego de eo quicquam poſſum præſcribere. Ego hoc anno, mi *Bonifaci*, multis hic negotiis fui implicitus, nam præter publicæ lectionis munus, ea quæ docui ſemper annotavi, ſcripſique commentaria in X. Titt. Inſtitutionum quos hîc prælegi. Acceſſerunt deinde & aliæ multæ occupationes, ut in græco hoc Inſtitutionum volumine relegendo indiligentior, ut facile animadvertes, fuerim. Et ſemper ſperavi impetraturum me a te, ut tu, antequam excudendus daretur, vel inter excudendum, relegendum acciperes. Cum & græca melius intelligas, quàm ego, qui quaſi poſtliminio ad eam linguam reverſus ſum. Neque erit tibi difficile, & voluptatem habebit is labor, quod multa comperturus ſis non indigna ſcitu. Ego autem pleraque latina græcis characteribus ſcripta reſtituere cœperam, ſed forte videbitur tibi fore melius ut ita relinquantur, quemadmodum prius ſcripta fuere. Tu tuo in iis judicio & arbitrio utere. Iterum, mi *Bonifaci*, rogo, ut in eo lubenter tuam operam mihi commodes. Vides enim mea multum intereſſe, ut bonis auſpiciis hæ Inſtitutiones prodeant. Ego tibi viciſſim me obligo, quacunque in re velis, fore me ſemper paratiſſimum. Neſcio, an *Frobenius* aliquem habeat correctorem. ſi *Sigismundus Gelenius* hoc oneris ſuſciperet, aut ut te non indignum putares, nihil eſſem ultra ſolicitus. Si quid etiam in præfatione mea tibi diſplicebit, rogo ne vereare vertere, expungere, caſtigare. Varia ſunt hominum judicia nec nos ipſi peccata noſtra æque videmus ac alii. Hoc amicorum inter ſe munus eſt, famæ alte-

alterius mutuo consulere, ac ea consuetudo antiquorum etiam fuit. Et bene *Pisones* monet *Horatius*; si quid tamen olim scripserit, in *Metii* descendat judicis aures. Puer meus ineleganter descripsit, sed tamen legi, credo, poterit. Intelliges etiam ex nostra præfatione primum deesse titulum. Eum ego utcunque græcum feci, tu rogo vide ut corrigas, si quid illic errarim, vel per te totum titulum si lubet retexe, nam ἀνεύφαλον prodire hoc opus mihi non placet Accipe ergo bonis avibus, & cura ut bono beneficio me studiososque omnes tibi devincias. Si velis tui mentionem præfationi inseri, id tibi permitto ut ipse facias quibuscunque velis verbis sub mea persona, aut si me separatim pro labore isthoc gratias tibi agere: aut si tu ipse epistolam adjungere velis, vel sub *Frobenii* nomine hoc agere, ego tibi ad omnia assentior mi *Bonifaci*. De Methodo dimittam tecum veterem contentionem. Tamen gratias tibi ago, qui de ea me primus monuisti. Neque mihi videtur inutile fore, si paulatim studeamus cogitare, qualiter ad eam Jura adaptari possint. Idque peritius post annos aliquot faciemus, ubi cæterarum artium Methodus expositа nobis fuerit. Nam ejus inveniendæ explicandæque perquam studiosum esse video *Philippum Melanchtonem*. Vix tamen fit mihi verisimile, veteres Jurisconsultos observantiores ejus fuisse, quàm fuerint coadjutores *Justiniani*. Et difficile est in tanta Juris Civilis diversitate, varietateque locorum, casuum & temporum eundem perpetuum illum orationis ductum sequi quo Philosophi illi ἐπιδεικτικοὶ usi fuere. Ad me huc deinceps non scribes, constitui enim mense Octobri hinc abire, nisi putes literas tuas antea posse perferri. Abeo autem visurus Frisiam meam, atque inde Spiram ex amicorum consilio & voluntate redibo. Scribam tibi de eo plura, atque etiam forsitan te visam. Habeo enim & mea quædam, quæ ex tuo judicio cupio in lucem emittere. De Privilegiis respondi *Hieronymo*. Vale. Patavii 15. Augusti an. 1533.

EPI-

EPISTOLA XLVIII.

ERASMUS ROTERODAMUS VIGLIO ZUICHEMO PHRYSIO S. D.

Monet Viglium, ut a Sectarum contagiis, dum Basileæ subsistit, abstineat. De Grynæo, Thoma Moro, Tonstallo, Varia. 1533.

Ἀναγίνωσκε μόνῳ.

„ VOluisti alios plus scire de te, quàm me. Mihi di- * *Inter Erasmianas* CCCLXXIV. *Append. Col.* 1759.
„ cebas te pauculos dies isthic commoraturum, at quan-
„ tum ex aliis intelligo, videris isthic hybernaturus, quod
„ ut tibi felix faustumque sit, precor. Gaudeo te nobis ali-
„ quamdiu fore vicinum. Illud tantum pro mea in te pie-
„ tate moneo rogoque, ut a Sectarum contagiis in totum
„ abstineas, nec ullam illis ansam præbeas, ut per occasio-
„ nem spargere valeant *Zuichemum* esse suum. Etiam si cubi
„ dogmatibus eorum assentiris, dissimula. Nolim tamen te
„ adversus illos contendere. Satis est Jurisconsulto sic elu-
„ dere eos, quemadmodum quidam elusit diabolum moritu-
„ rus. Diabolus suggessit, Quid crederet; Ait, quod cre-
„ dit Ecclesia. Tum ille, Quid credit Ecclesia? Quod ego.
„ Quid tu credis? Quod Ecclesia. Spero hanc admonitio-
„ nem esse supervacaneam: Verùm si liceret coram, efficerem
„ ut intelligeres me non frustra monere.

„ Scio *Thomam Morum*, *Tonstallum* (1) ac reliquos eru-
„ ditos esse pessime animatos in *Grynæum*. (2) Extorsit a me com-

(1) *Tonstallus*] Guthbertus, primum Londinensis post Dunelmensis Episcopus fuit: *quo viro vix habebat* (Thoma Moro judice) *orbis quidquam eruditius, prudentius, melius.* Scripsit librum eruditum, *de Veritate corporis Christi en Eucharistia.* Plura habet *Miræus de script. sec. XVI. p.* 137. *edit Fabricii.*

(2) *Grynæum*] Simonem, de quo dixi in Not. ad Vitam N. XIX.

„ commendationes iturus in Angliam: commendavi paucis, ſed „ invitus. Admonui, ut ſi quid affectus erga Sectas in Anglia „ diſſimularet. Hoc ille adeo non fecit ibi manens, ut au„ ſus ſit etiam multis epiſtolis eo miſſis tueri *Zwingliana*: nec „ veritus eſt de his ad *Morum* crebro ſcribere. Poſtremo de„ creverat *Platonem* ab ipſo multis locis depravatum *Moro* „ dicare, & feciſſet ni diſſuaſiſſem. Quo nomine *Morus* „ mihi magnas agit gratias. Sed me inſcio *Euclidem* inſcri„ pſit *Tonſtallo:* at ego certum ſcio *Morum* & *Tonſtallum* non „ odiſſe pejus anguem, quàm iſtos addictos Sectis. Nuper „ admonui *Grynæum* ne ſcriberet familiariter ad eos, qui pror„ ſus adhorrent a dogmatibus quæ ipſe tuetur. Nunc hoc „ agit, ut ab Archiepiſcopo *Cantuarienſi* impetret annuam „ penſionem. Et quod eſt ſuavius, cuidam epiſtolæ ſuæ ad„ jecerat hæc verba, *Recte feceris, ſi tu jam plena hirudo „ mihi famelico ceſſeris penſionem Cantuarienſem.* Quum me „ vocat hirudinem, ex ſuo me æſtimat ingenio: & homo di„ verſæ Religionis, nihil umquam de me meritus, petit ut „ ipſi cedam ducentos florenos annuos, quod vix frater a „ fratre propitio auderet petere. Hinc collige quid ille fron„ tis habeat, quum miram ore præ ſe ferat probitatem. De „ his, aliiſque plura dixiſſem tibi coram, ſi per theologos „ duos ac Doctores licuiſſet. *Amerbachius* promiſerat ſe hîc „ adfuturum intra 14. dies, præterière 30. Cupio ſcire, an „ aliquo ſit profectus, an parum valeat. *Giſbertus* meus non „ redit: ſuſpicor nugonem Baſileæ aliquod dies cum ſuis „ congerronibus potaſſe. Spero quod *Hieronymum* iſthic repe„ reris, qui an paratus ſit, ſcire cupio. Vale. Friburgo 8. „ Novembris anno 1533."

EPISTOLA XLIX.

ERASMO ROTERODAMO.

Reſcribit ad ſuperiorem Eraſmi epiſtolam, ejuſque apud Baſileam moræ rationem reddit. Spondet ſe obſecuturum conſilio Eraſmi de vitandis ſectis.

PRiuſquam tuas literas acciperem, paucis tibi quid hîc agerem quæque mihi morandi cauſa eſſet, indicaram. Sed ex *Hiero-*

Hieronymo intelligo, non ſatis bona fide literas meas tibi perlatas eſſe, vel certè ſeriùs quàm volebam. Quod autem tu ad me prior ſcripſeris, ita mihi gratum fuit, ut ſunt omnia quæ ab *Eraſmo* in *Viglium* conferuntur, quæ etſi ſunt plurima & maxima, eo tamen ſemper majora judicavi, quo minus & ego ea promereor, & tu ſpontaneam hanc tuam erga me benevolentiam pluribus quotidie beneficiis augere ſtuderes. Hybernare hîc non omnino mihi erat prius decretum, nec adhuc conſtitui, ſed eo conſilio Baſileam ieram, ut viderem quid de Inſtitutionibus græcis meis factum eſſet, atque ut alterum exemplar (1) cum priore conferrem, id quod pauculis diebus confecturum me arbitrabar, veluti tibi dixi. Attuleram tamen mecum commentaria quædam mea ex Italia in Jus noſtrum Civile, neque eram álienus ab ea voluntate, ut imprimenda aliqua darem, ſed non arbitrabar *Frobenium* ea ſua officina dignaturum. Porro ubi eorum guſtum dedi *Amerbachio*, is ita *Frobenio* commendavit, ut ille ultro poſtularet. Eaque fuit mihi commorandi occaſio, quò emendatius, atque ex animi mei ſententia opus ederetur. Proximiſque literis id tibi ſignificavi, veniamque de tardius curatis literis tuis precatus ſum, atque etiam ut condones precor. Si volueris eas tibi remitti, vel ſi quid aliud volueris, ſcribere vel mihi mandare, mittam ante abitum meum proprium ad te nuntium. De Dogmatibus hujus Urbis obſequar tuo conſilio, atque pro eo tibi gratias ago. Ego vero ſic ſemper erga religionem fui affectus, ut quemadmodum minimè eſſem ſuperſtitioſus, ita neque novis opinionibus dogmatiſque facilè crederem. In quo non authoritatem tantùm tuam

(1) *Alterum exemplar*] Utrumque hodieque exſtat in Collegio Vigliano Lovanii. Unum præfert hunc titulùm: *Inſtitutiones D. Juſtiniani in Græcam linguam per Theophilum Anteceſſorem olim traductæ, ac nunc primum in lucem reſtitutæ cura & ſtudio Viglii Zuichemi Phryſii, quarum utilitatem abunde ejuſdem declarat præfatio ad Opt. Max. Imp. Carolum quintum.* Quod eſt acceptum a *Petro Bembo* è bibliotheca Cardinalis *Beſſarionis*, quæ nunc eſt Reip. Venetæ. Alterum notatum eſt his verbis: *Deſcriptum exemplar ab Conſtantino, natione Græco: Venetiis anno* 1533. *ex veteri exemplari Jo. Baptiſtæ Ægnatii ad uſum Viglii Zuichemi Phryſii.*

tuam ſecutus ſum, ſed ſemper etiam magiſtrum te mihi propoſui, ut quod a te probaretur, & id ipſe amplecti poſſem, quodque rejiceretur, illud & ego anathema eſſe mihi perſuaderem. Eumque animum ita ſemel confirmavi, ut non verear ne quis mihi eum excantet. Conſuetudo mihi cum Dogmatiſtis nulla, ne cum illo quidem * a quo ut caverem nominatim monuiſti. Id quod faciam certe deinde ob id etiam magis ſedulò, quod te erga illum non immerito ſic animatum videam. *Amerbachius* doctiſſimus & candidiſſimus vir, & mihi ſtudiis, eademque profeſſione conjunctus, non ſinit ut me ſolitudinis interea tœdeat. Et domi habeo *Frobenium* ac *Sigiſmundum Gelenium*, quorum familiaritate me oblectem ſi quando vacare a lectione lubet. Vale, Baſileæ x. Decembris anno 1533.

* *Simone Grynæo.*

Ex Tomo II. fol. 223.

EPISTOLA L.

ERASMO ROTERODAMO.

1533. *Bonam partem Græcarum Inſtitutionum excuſam, & commentaria quoque ſua excudenda, ſignificat. De Ambroſii quibuſdam ſermonibus contra Arrianos, ac de Cypriani vita. Commendat ſe, jam auctorem futurum, Eraſmo.*

UBi veni Baſileam, *Eraſme* doctiſſime, comperi bonam partem Inſtitutionum Græcarum a *Frobenio* ita ut cupiebam elegantiſſimis typis jam excuſam, quæ res mihi magnæ voluptati fuit. Itaque dum apud eum dies aliquot hæreo ut operis progreſſum viderem, ac cum ſecundo exemplari quod mecum nunc ex Italia attuli communicatum mihi a *Baptiſta Egnatio* conferrem, forte quædam mea commentaria *Bonefacio Amerbachio* oſtendi quæ hoc anno Patavii conceperam in eos titulos, quos ibi publicè prælegi. Placuit *Amerbachio*, ut ipſa æderem nec multum reſtiti, cùm in eum uſum paraſſem, & *Frobenius* hanc operam lubenter ſuſciperet. Itaque apud eum tantiſper commorari decrevi, quoad id quoque opus abſolutum fuerit, adjuvemque in corrigendo *Gelenium*, qui

qui ad Juris noſtri apices citationeſque non ſatis aſſuevit. Quod te ignorare nolui, quò veniam mihi concedas, quod literas tuas diutius detineam, perlaturus tamen eas bona fide cùm primum me hinc extricaro. Et ſi quid aliud voles mihi mandare, id per otium facere licebit. *Ambroſii* Sermones contra *Arrianos* (1) cùm illic eſſem, tradere tibi ſum oblitus, eos tamen nunc mitto. Deſcripſit eos quidam meus amanuênſis in Italia, & deſcriptos contuli cum Archetypo, quod & ipſum ea fere menda habet, quæ hic te offendent. Nec volui quidem quicquam mutare, quò tibi eam recognitionem, caſtigationemque (ſi forte non dedignaberis) relinquerem. *Zanchus* Canonicus, qui opuſculum hoc communicavit, ex Patavio Ravennam migravit. *Cypriani* verò vita, quam ille dedit, eadem eſt cum ea, quam tu jam pridem *Frobenio* communicaſti, proinde nihil opus eſſe credidi ad te eam mittere. Non ignoras porro, *Eraſme* doctiſſime, quicquid hactenus vel famæ in literis habui, vel etiam quicquid in ipſis profeci, tuis me commendationibus exhortationibuſque acceptum tuliſſe. Quibus certe maximè excitatus, auſus ſum eo tandem contendere, ut aliquod ſtudiorum meorum ſpecimen in vulgus ederem. Tuum nunc eſt eum quem hactenus foviſti non deſerere, ſed ſuſtinere tuo favore, ne ex hoc theatro quod ingreditur, mox ignominioſè explodatur. Non peto ut me novis commendationibus ornes, ſed in veteri tuo de me judicio ſtudioſos per occaſionem retineâs. Quod & *Frobenii* intereſt, ne quid ex meis commentariis diſpendii ferat. Vale. Baſileæ v. Decembris 1533.

EPISTOLA LI.

ERASMO ROTERODAMO.

Ex Tomo II. fol. 224.

Summam ſuam anxiamque erga eum fiduciam teſtatur. 1533.

NOn mediocriter equidem ſum gaviſus, cùm ſcrupulum, qui multo magis mihi fuit moleſtus quàm tibi, ita utrique

(1) *Ambroſii ſermones contra Arrianos*] Hos non videtur *Eraſmus* vulgaſſe, ſunt enim apocryphi, de quibus videri poſſunt editores Benedictini Congregationis S. Mauri in præfatione editionis Pariſienſis anni 1686.

que nostrum per te exemptum esse, ut uterque alterum vehementius posthac sit amaturus. Nam tu postquam cognoris me non fuisse in culpa, ac hujus etiam suspicionis occasione mei in te animi declarationem acceperis, *Viglium* posthac magis tua benevolentia, uti spero, dignum duces. Prudens certe numquam committam, quo minus tuum favorem promerear. Hac autem in re æquitatem tuam animadverti, qui non ilico exorta suspicione me damnaris, sed purgandi copiam feceris, & obtestationi deinde meæ non gravatè fidem adhibueris. Absit autem, ut me φιθυριστὴς quispiam a tui amore & veneratione, quem ego supra omnes mortales plurimi facio, alienet. Absit ut ego unquam cogitarim illum a tuo avertere obsequio. Absit ut ego cuidam credam citra meam causam, *D. Erasmum* posse sibi in animum inducere, ut de me parum amice sentiat, qui me nihil tale meritum tantis præconiis honorarit, tantoque semper amore prosecutus fuerit. Ego ut te revisam operam dabo: ac si me hinc expedire potero, cum *Bonifacio* adero. In hoc proscenium haud magna cum fiducia descendo, æquiores tamen nobis erunt, quicunque tandem nostra legere dignabuntur, si non cum iis quæ ab *Alciato* vel *Zasio* professionis nostræ Coryphæis, sed quæ a vulgo τῶν φιλοβάρτολιων eduntur, nostra contulerint. Vale ac Viglium amare ac fovere perge. Basileæ XIIII. Decembris an. 1533.

Ex Tomo VIII. fol. 9. vso.

EPISTOLA LII.

DOTHIÆ WYARDÆ.

1534. *Omnem artis typographiæ rationem instrumentorum, operariorumque, accuratè describit.*

QUum peracto studiorum meorum curriculo in Patriam reversum, multa (uti fieri solet) tum parentes ac propinqui inter quos te, mi *Dotia*, facile mei amantissimum sum expertus, de anteactæ vitæ studiis, iisque rebus, quarum aliquam cognitionem longa experientia ac annorum quatuordecim continua absentia comparavissem, curiosè interrogaretis,

retis: ac tandem forte mentio incidiſſet artis Typographicæ, occaſione nata ab exemplari commentariorum meorum in aliquot Inſtitutionum *Juſtiniani* titulos, quos in meo ex Italia reditu Baſileæ *Frobenianæ* officinæ imprimendos tradideram, tibique velut militiæ meæ teſſeram dono obtuleram; non ſatis tunc tibi facere potui exponendo ea quæ ibidem obſervaram, niſi eadem quoque ſcripto me explicaturum reciperem. Et quanquam non ea cura ſingula notaram, ut de ipſis aliquid litteris me poſſe tradere confiderem (quippe qui obiter, & quaſi per tranſennam dumtaxat quæ in ea officina gerebantur conſpexeram) extorſit tamen hoc ab mea verecundia tua authoritas, dum nihil tibi denegare auſus fui, ut ut plus promiſerim, quàm præſtando ſolvendoque eſſem. Et lubenter quidem ſilentio hanc obligationem diſſimulaſſem, niſi tua tam crebra appellatio, me tandem calamum in manùm aſſumere compuliſſet: fidem quidem lubenter impleturus, quatenus videlicet ſe mea extendit memoria. In quo ſi quid deſiderabis, tibi imputa, qui a me potius, quàm a peritioribus iſta cognoſcere volueris. Sequar autem ordinem quem tunc tenebam ſinguloſque officinæ Typographicæ miniſtros paucis recenſebo.

Inprimis ei præeſt is quem Typographum nominamus, qui ſic nunc a nobis vocatur, non quod ipſe aliquid earum operarum in celebrioribus officinis ſoleat ſubire (unde principiò nomen deſumptum eſt) ſed quod officinæ Magiſter ſit, ſumptuſque ſubminiſtret, cæteriſque operariis omnibus a ſe conductis mercedem exolvat, eiſque ſuperintendat. Nam hujus præcipuum eſt ſtudium, ut libros prælo dignos venaleſque conquirat, atque in id doctorum virorum, qui ejuſmodi aliquid ſuppeditare ei poſſint, gratiam ſibi comparet. Et quanquam nunc primarii Typographi nihil fere præterea operæ præſtent, primos tamen ejus artis inventores, omnes partes ſubiiſſe expleviſſeque veriſimile eſt. Verùm operum librorumque imprimendorum magnitudo, multitudoque deinceps effecit, ut munia ab uno eodemque principiò tractata in plures deinde dividerentur.

Igitur poſt ipſum Typographum proximo loco ponebant eum, qui ipſos litterarum typos effingit, ſculpitque. Cujus quanta ſit præſtantia, ex eo dijudicari facile poteſt,

quod non minus laboris ſumptuſque libri deformibus, atque alii bene elegantibus, characteribus impreſſi, conſtent. Proinde id inprimis Typographo ſtudio eſſe debet, ut typos quàm elegantiſſimos conquirat, ac tales præſertim, qui non ſolum adoleſcentium perſpicacitati; verum etiam ſeneſcentium labentibus oculis queant ſatisfacere. Nimium enim acutæ litteræ oculos offendunt, ac contra quæ rotundæ apteque concinnatæ ſunt, etiamſi minutiores ſint, lectori applaudunt. Et ab hoc quidem artificio, Typographia principiò originem duxiſſe videtur.

Cui adminiculatur eorumdem typorum fuſor, qui operoſis locupletibuſque officinis cùm primis eſt neceſſarius. Quotidie enim ipſi typi litterarii labaſcunt, atteruntur, confringunturque: unde in conſumptorum rejectorumque locum, novi per fuſorem ſubſtituendi ſunt. Verùm licet ejus non ita neceſſaria, quotidianaque, ut cæterorum de quibus poſtea dicemus, eſt opera, præſertim in officina ſemel bene inſtructa: attamen ut illi primi Impreſſoriæ artis inſtrumenta ſubminiſtrarunt, ita per eoſdem retinenda, & veteribus deficientibus typis in eorum locum novi rurſus ſufficiendi ſunt.

Hos ſequitur is quem Compoſitorem vocant, cujus officium eſt typos ipſos litterarios per loculos ſuos ordine juxta Alphabetum collocatos, ſecundùm materiam ſubjectam libri, operiſque imprimendi, in unum componere, & in ſyllabas juxta ſcribendi conſuetudinem colligere, opereque completo rurſus poſtea eoſdem typos diſſolvere, inque ſuos loculos reponere, diſtribuereque. Et hujus quidem fere præcipuus eſt uſus, commendabiliſque induſtria, non ſolummodò ut cito, verùm etiam emendate typos ipſos componat. Uti enim in ſcribendo ii laudantur, qui & celeriter & correcte dictata recipiunt, deſcribuntque: ſic & hujus Compoſitoris diligentia, non minorem laudem meretur. Qui juſtam autem inter hos operam implent, ſolent fere duas formas quotidie exhibere: diligentiores, tres: qui quatuor, hi cum primis præſtantes habentur: qui verò unam dumtaxat, ignaviæ meritò notantur. Atque hic quidem ſi ceſſatum fuerit, cæterarum omnium operarum labor damnoſam patitur remoram. Itaque in hoc Typographi vigilare ſolent, ut ipſi Compoſi-

poſitores ſuum officium diligenter expleant, formaſque tempeſtivè abſolvant, quò ſemel iterumque prelo ſubjici, ac ſic correctius emendatiuſque exire, ac imprimi queant. In quo itidem non parva eorum eſt opera: etenim quantumvis ſint diligentes, niſi quoque aliquid eruditionis, judiciique habeant, Correctoribus de quibus poſtea dicemus, multum negotii faceſſunt, & cæteris operariis magnum impedimentum adferunt Typographiſque officinæ Magiſtris parum ſunt utiles.

Huic autem Compoſitori ſuccedit is quem Correctorem vocavimus. Quod officium docto alicui viro fere committi ſolet, qui cum judicio formas compoſitas relegat, recenſeatque num recte omnes typi litteræque ſint conjunctæ, ſyllabæque ac orationes diſtinctæ. Ac hoc etiam officii ipſimet Typographi, ſi quid litterarum tenent, ſibi nonnunquam aſſumere ſolent. Et hanc quidem operam ipſe *Eraſmus* Roterodamus (cui *Frobeniana* Typographia celebritatem primam debet) ſubire non gravabatur: quo opera ſua eo emendatius in lucem exirent. Eadem ſolicitudo & me in commentariis meis edendis menſes duos Baſileæ detenuit, ut prima fœtura emendatior prodiret. Quanquam eo tempore hoc officii præſtabat in cæteris operibus, quæ in eadem officina imprimebantur, *Sigiſmundus Gelenius*, vir inſigniter doctus, & longe meliore fortuna dignus. Et cùm ipſi Typographi quæſtum ferè omnes imprimis ſectentur: niſi doctum emunctæque naris Correctorem habeant, quantumvis elegantes ſint typi, cæteraque omnia applaudant: laudem tamen amittunt, niſi Correctorum diligentia appareat: cùm quilibet Studioſus libros magis emendatos, quàm elegantes requirat.

Correctori autem ſubſervit is quem Lectorem vocant. Collatio enim primæ formæ impreſſæ cum exemplari, omnino neceſſaria eſt: & ut rectè fiat, duorum operam requirit. Solentque in bene inſtitutis officinis tres confici formæ, ordineque ſingulæ relegi, quo omni ex partè mendæ vitiaque expurgentur.

Ac deinde Impreſſoribus libera imprimendi fit poteſtas. Ex quibus unus pilas atramento irrigat, eaſque invicem collidit, quo ſe atramentum commodius in eas diſpergat: quibus deinde typos undique tingit: alter verò chartas ad id paratas

tas prelo imponit, ipſumque deinde prelum ſubigit, ac ſublatis impreſſis, novas iterum ſubjicit. Non poſſunt autem niſi in unum folii latus uno die chartæ imprimi quod prius exiccandæ ſint, ne atramentum diffluat, & ut alterius lateris impreſſionem commodius ſuſcipiant. Ideoque etiam ſiccativæ quædam materiæ atramento adduntur, quo impreſſa folia liquorem facilius retineant. Nam niſi bene ſiccatæ fuerint, tum quoque cùm religandæ ſunt, impreſſæ litterarum figuræ pulſatione facile evaneſcunt.

Noviſſime verò Complicatore quoque aliquo opus eſt, cujus eſt officium impreſſas chartas exiccare, deinde complicare, ac poſtea in duerniones, terniones, quaternioneſve (uti nunc loquimur) digerere: ac deinde eoſdem in integrum volumen, ac exemplum quemadmodum vendi ſolent, colligere: formas quoque ipſas ubi numerus imprimendorum completus eſt, & antequam typi rurſus in ſuos diſponantur loculos, diligenter lavare, ne ater viſcoſuſque liquor typis adhæreat, ac minùs commodè idcirco vel diſſolutæ rurſus (dum novæ conficiendæ ſunt formæ) componi queant: adhæc etiam pilas papyrumque, quo facilius litteras impreſſas recipiat, interpoſitis quibuſdam humectantibus linteolis madefacere, atque atramentum rite confici curare. In quibus tamen operis præſtandis partem aliquam ipſi quoque impreſſores nonnunquam ſubeunt.

Potiſſima autem officinæ inſtrumenta ſunt typi, papyrus, atramentum, pilæ, & prelum.

De typis nihil eſt opus amplius dicere.

Papyrus autem quomodo ex contritis commolitiſque linteolis fiat, explicare non eſt opus. Hæc autem per folia, arcus, riſas, ac balas, ut vulgaribus utar vocabulis (quando Latina deficiunt) diſtingui ſolet. Continet autem bala riſas decem: riſa arcus viginti: arcus rurſus folia viginti quinquæ. Cùm autem bala papyri informis quinque florenis vendatur, ubi impreſſio acceſſit, viginti ferè æſtimari ſolet.

Atramentum autem hoc librarium impreſſoriumque non multum a ſcriptorio differt, quod potiſſimum ex lini oleo gleſſoque conficitur.

Pilæ autem hemicycli formam habent, conſtantque folio pilis ſuffulto. Quod quia facile conteritur, mutare ſubinde neceſſe eſt.

Prelum

Prelum autem nihil habet ſpeciale, quod explicari mereatur.

Mercedes cùm Impreſſorum Compoſitorumque tum aliorum officinæ miniſtrorum pro temporum locorum hominumque qualitate variant.

Hæc, mi *Dothia*, habui quæ tibi impertirem, ex quibus nonnulla forte obſcuriora tibi videbuntur, quàm, ut ex hac deſcriptione mea plenè queas intelligere. Verùm ſi penitius hanc artem cognoſcere deſiderabis, propriis ea tibi erunt perluſtranda oculis: & mihi veniam dabis, qui hæc te compellente, qualitercumque explicare niſus ſum. Bene vale Conſobrine cumprimis chare. Datum Dulmaniæ. Calendis Juliis 1534.

EPISTOLA LIII.

Ex Tomo II. fol. 245. vſo.

JOANNI GEORGIO HERMANNO.

Acriter increpitat adoleſcentem ignaviæ. 1534.

QUando tu nullis meis vel optimi patris literis expergiſcere, quibus te de tua ipſius ſalute toties verberamus: anne nos meritò æquus bonuſque vir tandem reprehendat, qui furdam incudem fruſtra tundere pergamus? Quod ſi tibi eſt animus, parentem & præceptorem pro ludibrio habere perpetuò, anne nos tandem de digna pœna cogitare magis decet, quàm toties tibi pro tua ſalute ſupplices fieri? Græci contra filiorum contumaciam abdicationem, Romani jus patriæ poteſtatis excogitavêre, quo pleroſque olim ſeveriſſime uſos legimus. Quorum ſi te non terrent exempla, moveat ſaltem infamia, quam iſta ſupina & profunda inertia, iſta perpetua erga parentem inobedientia, quotidie tibi graviorem conflas. Toties pater tuam tulit negligentiam, toties condonavit: ſed in furorem, mihi crede, exibit læſa toties patientia. Scio quid ille jam meditetur, ſi tu obſtinatè ſilentio tuo indormiſcere pergis. Et ubi quæſo tuus exulat animus? quis adeo te incantavit, ut ad tam pias, ad tam fre-

quentes, ad tam acres parentis literas obaudias? Solet illa ætas, in qua tu jam conſtitutus es, quaſi jam defuncta adoleſcentiæ lubrico, tandem ad laudem, ad fortunam, atque ad alia quibus ſequens indigebit vitæ tempus, reſpicere, atque animum erigere: at tu horum adeo nihil cogitas, ut ea omnia ad quæ alii ſummis ſtudiis intendere ſolent, quaſi de induſtria ſubvertere mediteris. Nam ſtudiorum certe adeo tibi nulla eſſe cura videtur, ut multa objurgatione opus ſit, ad literam unam exprimendam. O! ſterile ingenium ſi non potes: O! prodigioſam inertiam, ſi potes quidem, ſed negligis: O! impiam voluntatem, ſi ut patrem crucies, nihil ſcribere animum induxiſti tuum. Miſeret me nimium optimi viri patris tui, cùm reputo quàm hoc ille ægrè ferat. Nam quando te obduruiſſe video ad omnem meam admonitionem, equidem ne manum quoque viceverſa propter te verterim. Et quando tibi volupe eſt, me fortiter contemnere, ego te viciſſim pro eo omnino eſſem habiturus qui haberi poſtulas cum iſta ignavia, niſi me patris, patris inquam tui miſereret. Quem te tot ſumptibus, tot curis tuo nomine affectum non pudet ſic ludere ac contemnere, ut, quaſi tu magnus aliquis rex ſies: ille vero vile mancipium, dignum ſit te quotidiana illius in ſcribendo ad te diligentia abuti, atque ipſum tuo ſilentio & contemptu ludificari. Tribus enim forte menſibus, ſi diis placet, multis prius epiſtolis rogatus, juſſus, interpellatus, ac objurgatus, unum mittis epiſtolium, ac bellè ſane jam febricula prætexitur, jam tumor, aut ulcus eſt in manu (o! puerilem cauſam) nunc plura ſcilicet eras ſcripturus, ſi plus temporis ad ſcribendum fuiſſet. At a quibus quæſo rebus tibi non ſuppetit tempus? Tune audes tempus caufari, cùm vel totum hoc tempus atque otium tuum, quod pater illic ſuo magno ſumptu alit, literis ſit deſtinatum & ſtudiis? Quoties autem tibi inculcavi potiſſimam ſtudiorum partem ſcriptionem eſſe debere? Cur non ſcribis eadem opera, non reperiri nuntios qui e Patavio Venetias, vel e Venetiis in Germaniam eant. Cur non ſcribis in mari non eſſe aquam? Hoc certe eſt quod mihi, quod patri, quod cæteris tuis dolet. Hinc enim manifeſtum præbes documentum, eundem eſſe in cæteris ſtudiis, quem te in literis ſcribendis præbes. Ego qui innumeras poſt abitum meum ex Italia literas ad te dedi,

di, unicas adhuc literas tantum accepi. Scio quibus confidas excuſationibus, ſed ego peremptoriam habeo adverſus omnem exceptionem. Juſſi enim ut quicquid ipſe velles ſcribere, vel ab aliis tibi committeretur, id patri tranſmitteres. Quæ tu verò illi hactenus ſcripſiſti, omnia mihi communicata ſunt. Et quod meam impatientiam gravius exulcerat, inde intelligo, nullum abs te libellum, ut præſcripſeram, annotatum illi a te miſſum eſſe: tranſlatæ abs te hiſtoriæ ne tantillum quidem hactenus viſum eſſe. Jam quid in Jure proficias, quodque tuum ea in re ſit judicium, inde ſatis conjecto, quod te ex *Hectoris* * mei congreſſu plus quàm *Arrigutii* ** lectionibus ſcribis profeciſſe. Quanquam enim ego *Hectorem* virum ſciam eſſe doctiſſimum, attamen Juris tantum eſt candidatus cùm alter grandævus ſit profeſſor, a quo & ego diſcere etiam velim. Quanto mi *Jo. Georgi* eſſet honeſtius, te id operam dare quo patrem tot negotiis gravatum, tuis literis nonnumquam exhilarares, ſtudiorum tuorum guſtum illi dares, vitæ futuræ conſilia communicares, ac te in omnibus obſequentem præberes. At nunc infima tantum literularum tuarum ſubſcriptio falſum quendam habet obſequentiæ titulum, cùm revera nihil ſit erga patrem te inobſequentius. Quod ſi ego aliquid tui eulogii a patre intelligere poſſem, ipſe paratus eſſem meis te ornare epiſtolis, ac ea ad te ſcribere quæ tu aliis poſſes etiam cum voluptate quadam, & non ſine tuo honore legenda communicare, nunc quaſi incus ad ſtrepitum, ſic tute mihi ad convitia omnia noſtra compoſitus eſſe videris. Quem vero tandem rerum tuarum finem tibi præfigis? Quo te conferes quando patris gratiam ſponte deponis, atque adeo excutis? Quid de te futurum exiſtimas? Quin tu, mi *Georgi*, adhuc ad te atque in viam redi, quæ in ſtudiis a me præſcripta ſunt perfice, eorumque patri documenta ede, paternis verò aliorumque literis diligenter & mature reſcribere cura: ita te amabimus ac omni ſtudio proſequemur. Sin ſenſero ne hac quidem epiſtola ſatis acri quicquam te commoveri, jubebo te ſemel longum valere. Epiſtolam a te unicam duntaxat, poſtquam Italia exceſſi, accepi. De libris meis quid fieri vellem ſæpe monui. *Renicus* noſter conqueritur; ſibi pro aureo floreno nonaginta tantum ſolidulos Venetos ſolutos, ea ratione magnam

* Hoxvirii.

** Arregutius ab Arregutius profeſſor Patavinus.

gnam ille ſuſtinet jacturam, pluſquam viginti duorum florenorum. Scripſi eadem de re ad parentem tuum, is ſpero jubebit *Utingerum* reliquum addere; quod ſi impetravero, ſperò vos diligenter reliquam eam pecuniam Papiam ad *Renicum* tranſmiſſuros. Ea in re vide ut tuum ſtudium ac diligentiam ſentiam: nam ego ſane, quaſi ob male curatum negotium, non ſatis bene ea de cauſa apud parentem ejus audio. Generoſum *Comitem a Salmone*, ſi adhuc adeſt, meo nomine etiam atque etiam officioſè ſaluta: item ipſius præceptorem, ac Doctorem *Wolfangum*, totamque eius familiam, ac cæteros communes amicos. Bene vale. Dulmaniæ 16. Auguſti anno 1534.

Ex Tomo II. fol. 259.

EPISTOLA LIV.

MATHIÆ HELDT (1).

1534. *Gratias agit de privilegio Cæſareo Frobenio impetrato pro Inſtitutionibus græcis. Commendat ſe Matthiæ pro Aſſeſſorio munere. De bello Monaſterienſi.*

MAgnum quidem, clariſſime, Conſultiſſimeque Cancellarie, beneficium tibi debeo. Quod autem pro eo hactenus non egerim tibi gratias, multa mihi obſtitêre impedimenta, atque illud inprimis, quod neſcio quibus adactus fatis, in hanc Weſtphalicam tempeſtatem, mittendi ad te literas occaſionem nullam habui. Nam poſtquam in patriam rediiſſem, cùm ſuaſu, hortatuque quorundam amicorum officialis factus eſſem Epiſcopi Monaſterienſis: Anabaptiſticum bellum, quod paulò poſt eam a me ſuſceptam conditionem exortum eſt, officium a me tibi debitum penitus intercepit. Cujus tamen cùm memoria mihi recens ſemper manſerit: qualemqualem ſcribendi fortè datam occaſionem admodum lubens arripui. Uno autem tuo beneficio in privilegii impetra-

(1) *Matthiæ Heldt*] Erat pro-Cancellarius Caroli V. de quo vide not. ad Vitam. N. XXV.

petratione multos tibi mecum devinxisti. Nam *Frobenius* & *Episcopius* officinæ typographicæ socii, & ego, cùm meo nomine, tum etiam *Erasmi* Roterodami, qui ei semper officinæ valde favit, gratias tibi ingentes ago. Est autem ipsum privilegium doctè atque accuratè a te conceptum, ipsi Institutionum frontispicio adjunctum, cujus formam incluſi, si forte totum opus in Hispaniam dudum fuerit perlatum. Utinam autem mihi liceat intelligere; an in Nuncupatione Cæsari inscripta, operæ pretium fecerim. Non aliud verò ambio, quàm ut cùm tu occasionem mei promovendi videris; Augustissimus Princeps hac nostra motus opella, benigne suam nobis gratiam impertiat. Nam præsens hæc provincia, quam amicorum jussu suscepi, valde est dubia, & malim, hoc præsertim tempore, civili quàm Ecclesiastico foro operam meam navare. Nec omnino adhuc depositi spem, quam de Assessorio munere tua mihi aliquando præstantia fecit. Porrò quàm difficile periculosumque bellum jam multum tempus Episcopus meus adversus Monasterienses Anabaptistas gerat, minime vobis ignotum arbitror. Cujus prosperum exitum optare pene magis quàm sperare licet. Nam longo tempore urbs obsessa, atque aliquoties tentata capi hactenus non potuit. Plebs passim vel eisdem infecta est opinionibus, vel ad libertatem & Anarchiam aspirat. Consilia tamen undique & auxilia vicini Principes conferunt, quibus utinam tandem aliquid fiat. Nam si Anabaptistæ superiores evaserint, mirabilis rerum omnium mutatio videbitur, non modò cleri, verùm omnis legitimi dominii & nobilitatis. Dictu enim incredibile est, quàm scelerata dogmata secta illa invexerit. Nuper verò etiam Regem novæ Jerusalem sive Syon intra urbem creavit, & in vicinas urbes concionatores, Prophetasque emisit, qui & illic ejusdem impietatis duces se profiterentur. Compræhensi tamen scelerati emissarii dignas dedêre pœnas. Longa autem hujus tragediæ historia est, quam ad te quidem scribere non gravarer, si extremus saltem actus aliquam tandem Catastrophen aperiret. Nunc adhuc nihil licet narrare, præter illorum sceleratissimam desperatissimamque audaciam, nam nostra consilia omnia pene irrita & vana eventus facit, maximaque belli impendia nihil profuêre. Rursus indictus est conven-

tus Principum Saxonici, Weſtphalici, & Rhenenſis tractus ad diem 13. Decembris, in quo nobis extrema ſpes eſt. Præſtantiſſimam Amplitud. tuam florentem & incolumem tueantur Superi. Ex Dulmania 21. Novembris. 1534.

Ex Tomo II. fol. 263.

EPISTOLA LV.

FLORENTIO GREBOVALLIO.

1534. *Florentiam a nimia ſibi laude tribuenda abſtinere jubet. Commentaria ſua excuſa emptorem inveniunt, Græcæ Inſtitutiones non item. Ab Academia Dolana, atque ab Haſſiæ Lantgravio ad profitendi munus fruſtra invitatus, Monaſterienſem conditionem præfert; atque ad Mechlinienſem anhelat. De ſtylo, ordineque judiciario Flandrorum interrogat.*

NIhil dubitavi, *Florenti* chariſſime, de tuo candore, neve tu non idem ſentires quod de me vulgo prædicares, ſed iſtum nimium tuum impetum non abs re ſufflamine quodam cohibendum duxi, quo intra mediocritatis metas conſiſtens, neque mihi majorem opinionem quàm ſuſtinere queam, excitares, & tibi facilius fidem conciliares. Nolim quæſo quæ nuper ſcripſi liberius, occaſionem tibi præbere, vel quod de tuo non ſatis ſyncere ſentiam, dolendi. Proinde ne forte ejus rei replicatione novam tibi conquærendi materiam præbeam, paucis te rogo, ut nos amare pergas, ac, quando me tua prædicatione non potes non ornare, id tamen modeſtè facias. Nam meminiſti qualem aliquando Prælatum nimio noſtri ſtudio offenderis. Ei quod de græcis Inſtitutionibus a nobis editis, Commentariiſque noſtris nuncias, plane contrarium ſcribit *Frobenius*. Nam Commentariorum exempla pene omnia diſtraxit, & ea rurſus fertur *Sebaſtianus Gryphius* Lugduni excudere. Græcæ verò Inſtitutiones non æquè emptorem reperiunt. Porro aliud argumentum,

ob

ob teſtamentorum apud vos deſuetudinem, ad quod me hortaris, haud gravatè ſuſciperem, ſi eadem eſſet occaſio quæ fuit Patavii. Auditorium enim publicum induſtriam docentis magnopere excitat. In his verò negotiorum procellis, forenſibuſque occupationibus, νῦν ὑγιὲς ipſe de me ſperare auſim. Nec tamen animus meus ab profitendi munere abhorreret, ſi votis meis conditio aliqua reſponderet. Scripſit ad me Academia Dolana (1) & ſalarium non contemnendum obtulit. Scripſit & Lantgravius Haſſiæ (2) ac ad meum etiam Antiſtitem unà literas dedit, quò me pateretur in ſuam venire Academiam, hoc eſt Marpurgenſem; & profeſſorem, Judiciique Aſſeſſorem creare voluit. Sed nec Antiſtes meus diſcedere me paſſus eſt, neque vel Burgundica, vel Heſſica conditio placere penitus potuit. Itaque adhuc Principis mei Monaſterienſis fortunam quantumvis dubiam ſequor, quæ ſi poſſet proſperum habere exitum, haud me præſentis muneris nimium pœniteret. Nam & ille me charum habet, & facile poſſet me beare, ſiquando tempeſtas hæc ſedaretur, quum tribus Epiſcopatibus præſit. Et ſalarium noſtrum, ut eſt apud eum mediocre, ita hactenus adhuc certum fuit. Mechliniæ utinam tam ego placerem, quàm illa mihi: verùm aſſuetus alienis impenſis, non lubenter eò me confero, ubi de meo mihi fuerit vivendum ſub longa eaque dubia ſpe, magna competitorum multitudine, quorum aliquibus ſim eruditione fortaſſis par, at omnibus pene inferior in cæteris, quæ illic ſolent ad fortunam parandam adjumento eſſe. De ſtudiis, inſtitutoque tuo, optabam, ut prolixius aliquid ſcripſiſſes. Tantum enim te ſignificaſti apud Grapheum Flandrenſis.

(1) *Academia Dolana*] Cui reſcripſit, ſerius ad ſe allatam eorum poſtulationem, acceptatâ jam Monaſterienſi conditione. *V. Vitam n. XXIX. & in Notis.*

(2) *Scripſit & Lantgravius Haſſiæ*] Cauſam, quam hic reticet recuſationis ſuæ, totam politicam, *Hieronymo Frobenio* ſic expreſſit: „ Marpurgum nuper me invitavit Lantgravius, ſed „ ſcis erga illum principem, Cæſarem non ſatis amico eſſe „ animo, ſub cujus ditione cùm parentes mei vivant, ac „ qualecumque patrimonium poſſideam, ſubvereor, ne quid „ inde detrimenti vel illis, vel mihi poſſit accidere." *Tom. 2. p.* 286.

ſis judicii habitare. Scio nullum eſſe locum magis idoneum ad praxim forenſem perdiſcendam: cum illic omnes partium controverſiæ, judicumque ſententiæ deponantur, deſcribanturque, ut tibi ex variorum actorum inſpectione facile liceat colligere, quæ aliis longo uſu ſunt obſervanda: ſed non addidiſti, an eo conſilio illic habitares. Quamobrem cùm iterum ad me ſcribes, rogo ne gravêre prolixius mihi tuum inſtitutum exponere: & ſi illi praxi operam das, quæſo, ut de ſtilo veſtro nonnunquam aliquid ſcribas, id eſt, quem habeatis ordinem in cauſarum actione, an peculiarem, an plane Francicum: quomodo contumaces compellatis, quomodo poſſeſſionum jurgia diſceptetis, interdictiſne ſecundùm Romanas leges, an ſequeſtris, an alio pacto? litemne conteſtemini verbis conceptis, ſive expreſſis, & deinde per poſitiones, articuloſque actionem repetatis, an nihil horum? Item illud etiam indicato ſcriptone compræſenſum habeatis Judiciarium ordinem, an uſu, & more inductum ſimpliciter ſequamini? Ecquid tibi cum *Bartholo*, *Baldo*, *Paulo*, *Alexandro*, *Jaſoneque* nunc convenit? nam his olim ſolebas gnaviter incumbere. Ego in hac tempeſtate minimum habeo otii quod illis Heroibus impendam: quorum lectionem tibi ſoleo commendare: & ſpero te illos ne nunc quidem plane negligere. Vale. Dulmaniæ Calendis Decembribus anno 1534.

Ex Tomo II. fol. 263.

EPISTOLA LVI.

GEORGIO CORENBECHIO.

1534. *Quod Praga bonarum literarum doctoribus careat, religionis diſſidio adſcribit. Quærit de ſtatu rerum Bohemicarum. Amico conſilium aperit de ſubſequentis ætatis inſtituto. De fortuna ſua.*

PRagam te conceſſiſſe, *Georgi* doctiſſime, ex *Georgii Hexmanni* communis patroni literis dudum intellexi. Et tibi gratulor, quod tandem ex animi ſententia vivendi conditionem, cujus te pertœdebat, permutaveris. Quanquam mi-

minime arbitrabar, tam celebrem urbem bonarum literarum (id quod ſcribis) doctoribus carère. Verùm eam (ni fallor) calamitatem, ſolitudinemque omnibus pene Academiis religionis diſſidium intulit: quod illic primùm exortum, in Germanicam nationem paulatim irrepſit, ac nunc in hac noſtra plaga acerbos excitavit tumultus, poſtquam cum Anabaptiſtica ſecta errorum exundavit pelagus, quæ nobis nunc barbariem quandam, diſciplinarumque omnium excidium minitatur: niſi Deus opt. Max. eam peſtem averterit. Valde autem ſcire aveo, quiſnam per Bohæmiam Reipublicæ nunc ſtatus ſit poſt *Huſſiticas* illas procellas. Et miror, ſi adeo diverſa de religione credentes, vel ipſi in Reipublicæ adminiſtratione conſentire, vel Regem Catholicum ferre poſſint. Rogo autem te, mi *Corenbechi*, ut ſi quando otium tibi ſit, & ſi res Bohæmicas exploratas habes, de ipſis ad me ſcribas. Unde, quis olim forte apud nos ſtatus futurus ſit, conjiciam, ſi noſtrates Bohæmorum exemplo, aut illis etiam furioſius tumultuari forte pergant. *Georgius Hermannus* crebrò ad me ſcribit, magnamque ejus erga me humanitatem quotidie experior: unde intelligis, te ob ſimile officium non vanum reportaturum præmium. Ego verò, ſi quid te mea commendatione apud illum adjuvare potero, minime per occaſionem id negligam. Tu viciſſim cura, ut adoleſcentes tuos in mei amore retineas, apud quos ego viciſſim parentum cauſa vehementer afficior. Illud porro, mi *Georgi*, ſubvereor nonnunquam ne, quæ ego aliquando te de eo ſtudio, quod ipſe profiteor, hortatus ſum, non ſit tibi exequendi occaſio. Cogitare tamen te interdum velim de ſubſequentis ætatis certo aliquo inſtituto, quo in tempore ſtudia tua applices. Multi in rebus civilibus, publiciſque, etiam citra legum cognitionem illam exactam, periti ſunt, ad quas tu quoque mihi viſus es ingenium habere propenſum. Proinde, ſi non potes Jureconſultorum ſubtiles & laborioſas traditiones perdiſcere, memento tamen per occaſionem, ad aliquod publicum munus te idoneum reddere. Ad quod conſequendum adjumento tibi erunt illi, quorum tu liberos erudis, viri omnes cùm ſummæ authoritatis, tum & humanitatis. Mihi mea fortuna nondum adeo placet, ut de ea multa tibi ſcribere poſſim. Interea tamen publicis negotiis, &

hujus juridicæ noſtræ diſciplinæ praxi paulatim aſſueſco. Fungor enim Judicis munere, olim quidem ſatis amplo, nunc verò valde inquieto & turbulento, ea tamen ſpe, fore aliquando, ut poſt tantas tempeſtates optata ſit reditura ſerenitas. Vale, amice optime. Dulmaniæ in Weſtphalia Calendis Decembribus an. 1534.

Ex Tomo II. fol. 267.

EPISTOLA LVII.

KEMPONI A MARTENA (1).

1534. *Quantus vir Kempo. De obſidione Monaſterienſi. De ſtatu officii ſui.*

PErgratum mihi fuit, Clariſſime Doctor, quod me tuis literis fueris dignatus, quæ ampliſſimum mihi teſtimonium perhibent, non modò ſcribendi ad te officium meum non diſplicere, ſed te etiam meæ fortunæ ex animo favère. Quamobrem dabo operam ut hoc obſequii genere te mihi magis atque

(1) *Kemponi a Martena*) Suff. Petri de ſcript. Friſiæ dec. XI. cap. 3. ſcribit, eum virum fuiſſe primariæ nobilitatis, & ſummis naturæ ac fortunæ dotibus ornatum, quem vide, nec non *Bibl. Belg.* Carolus V. *Imp.* Hiſpaniarum tunc princeps tantummodo, cùm Friſiæ dominium conſequeretur a Saxone, provinciæ adminiſtrationem commiſit octoviris, quorum quatuor poſt inaugurationem creavit Equites. Inter hos & illos locum habuit noſter *Kempo*. Nomina & ordinem inveni in mſſ. Friſiæ Annalibus apud *D. Joannem de Witt* ærarii Cæſarei Bruxellis conſiliarium ac commiſſarium lib. 12. p. 4.

Rectores Friſiæ.

2	Heſſelus Martena	Equites 1515.
3	Kempo a Martena Doctor	
5	Tyrardus a Burmannia	
6	Tzalingus Botnya	
1	Bernardus Bucho ab Aytta	(*Viglii patruus.*)
4	Godſcalcus a Jougema	
7	Renicus Camminga	
8	Geroldus Herema.	

que magis quotidie demerear. Benevolentiam etenim tanti viri, & quo non alium noſtro tempore communis patria habet plurimis preditum ornamentis, non poſſum non plurimi facere. Sperabam verò læto aliquo argumento, fæliciſque exitus hujus obſidionis nuncio, mei apud te memoriam me renovaturum: ſed præter omnium expectationem hæc Martis alea cecidit, cujus non dubito rumorem, reipſa etiam graviorem, multò ad te antea permanaſſe. Nam pridie Calend. Septembris omni apparatu atque vi conſtitutum erat urbem * oppugnare, & miles videbatur ad id opus ſatis eſſe animatus ac promptus, verùm levi clade repulſus, a pugna ſtatim deſtitit, Principemque noſtrum & cæteros, quorum communi conſilio hoc bellum hactenus geſtum ac ſuſtentatum fuit potiundæ urbis ſpe pene deſtituerunt. In id tandem conſenſum eſt a proceribus, propugnacula quæ vulgo *Blockhuiſen* appellamus, circa urbem collocare, præſidiumque ſingulis imponere peditum 2000., equitumque 300. Ac iſthac manu confidunt poſſe ſe prohibere ne quiſquam quicquam importet, aut ne qui intra urbem ſunt temere excurrant, quod quantum ſit profuturum, tempus ipſum docebit. Machinas vero bellicas majores numero 45., jam in vicinas arces cœpere transferre. Sed periculum eſt, ne cæteræ urbes & pagi, ita ut fit, Monaſterienſium victoriam ſequentes iiſdemque jam dudum infecti opinionibus, ad ipſos deſciſcant, clerumque & nobilitatem ejiciant, funditusque evertant. Eo certe loco res poſita eſſe videtur, ut non amplius humanis conſiliis ſedari poſſit, planèque divino nobis numine opus ſit. Ego quid hoc loci faciam ambigo, Princeps me humanitate ſua ita devincit, ut parum mihi ſit integrum ab eo recedere. Nec habeo quicquam quod de eo conquerar, tantum mihi moleſtum eſt, res ei nimium eſſe adverſas. Hactenus certè me minimum conditionis hujuſce pœnituit, nam Jurisdictionis munus quod ſuſtineo, olim fuit ampliſſimum ac cumprimis honorificum, etſi nunc cum fortuna Præſulis ſuccumbere videatur: forenſis certè praxis magnum uſum adfert. Et hoc tempore bellicorum conſiliorum qualiſqualis experientia acceſſit. Certè ſtatum & ſitum hujuſce regionis probè perdidici, quod uſui aliquando mihi eſſe poterit, & nunc non mediocri eſt voluptati. Denique hîc

* Monaſterienſem. *Vid. Not. ad Vitam N.* XXIX.

adhuc citra meum ſum damnum, quapropter non eſt cur me exacti hic temporis pœniteat, ſed futuri metus compellit, ut aliò reſpiciam, ac in ſedatiore regione fortunam quæram. Quo me tamen potiſſimum hac tempeſtate convertam, haud ſatis video. Habeo enim quos fugiam, quos ſequar non habeo, ut ille dixit: quando hi fatales quidam ſunt tumultus, quibus tota hæc noſtra orbis plaga concutitur. Attamen hic perdurare certum eſt quoad per hoſtiles impetus licebit. Oſtendet autem Deus forſitan aliquem finem, aut aliqua obtinget melior conditio, ad quam tuus mihi favor non leve iſthic ſuffragium ferre poteſt. Quamobrem tuam Amplitudinem etiam atque etiam rogo, ut noſtri per occaſionem memineris. Bene vale. Ex Dulmania v. Decembris anno 1534.

Ex Tomo II. fol. 268. vſo.

EPISTOLA LVIII.

UDALRICO LANGEMANTEL (1)

1534. *Elegantibus verbis expetit Ulrici amicitam. Hanc ſapienter depingit. Cicero quo modo imitandus.*

EQuidem, ornatiſſime *Ulrice*, candorem tuum non ignoro, &, qua erga me ſemper fueris benevolentia, ſatis memini, quæ mihi eo fuit gratior, quo te in familiaritatem pauciores

(1) *Udalrico Langemantel*] Is patricius Auguſtanus, ſodalis *Viglii* fuit in Patavio. Hîc dicitur Suevus. Cum ejus fratre *Leonardo* fuit illi longa conſuetudo in Gallia ſub præceptore *Alciato*, amicitiaque, communi ſtudiorum occaſione, arctiſſima inter eos interceſſit, qui ad forum & negotia tranſlatus, in Ducis Bavariæ conſilium adſcitus fuit. *Tom.* 2. *p.* 204. vſo. Nec *Ulricum* minoris fecit, quem ad *Henricum* illum, de quo hîc, ſcribens, his verbis ſalutat: *Noſter Ulrichus Langemantelhus, ipſiſſimus amicitiæ candor, quid agit, quid valet, an poteſt mei oblivîſci*? Ibid. p. 243. Qui hos fratres propius noſſe volet, videat *Corbinianum Khamm in Hierarch. Auguſt. part.* 1. *p.* 334. Vide quoque de quodam *Ulrico Langemantelio*, hujus patre aut patruo, *Freherum rer. Germ. tom.* 3. *p.* 218. *in not. edit. an.* 1717.

ciores admittere ſciam. Vulgares enim amicitias perpetuò contempſiſti, delegiſtique tibi paucos, ſed quos ex animo amares. In quo numero ego ſemper eſſe cupivi, & fuiſſe me hactenus videor, atque ut me in poſterum habeas, etiam atque etiam rogo. Et quanquam corporibus longè fortaſſis diſſiti erimus, animis tamen ſimus conjuncti. Tuque ſive apud Italos habitabis, ſive apud Suevos tuos redieris, cogita te ad extremam Oceani oram, & apud barbaros Friſios habere tui amantiſſimum *Viglium*. Plerique ex utilitate, commoditateque ſolent amicos metiri, quæ quidem nulla unquam tibi ex me eſſe poterit. At cùm te in rerum bonarum malarumque diſcrimine magno judicio præſtare ſemper cognoverim: nihil vereor, ne vulgaris ille hominum affectus, noſtram familiaritatem corrumpat. Abunde magnus eſt fructus ipſa ſibi amicitia, ac ea mihi ſemper mens fuit, ut ex recordatione amicorum magnam acciperem conſolationem, præſertim ſi mutua charitas ortum ſuum ab iis initiis duxerit, quæ nos principio conjunxerunt. Nam tuum multis in rebus erga me ſtudium perſpexi, cui acceſſit conſuetudo primum familiaris, poſt etiam domeſtica, quam ſumma animorum conſenſio jucundiſſimam nobis reddidit, ut me nunc ipſa adhuc memoria non mediocriter oblectet, quæ non modò tuis literis renovata eſt, ſed ſua etiam ſponte animo meo crebro recurrit. Miror verò ſi te adhuc Patavium habet: niſi unus forte *Lazarus* * tanti tibi eſt, quem ego quidem nunquam contempſi: ſed te tamen malim in Jurisprudentia idoneum ſectari magiſtrum. Nam in literis ita mihi profeciſſe videris, ut ipſe tibi deinceps magiſter eſſe poſſis. Nec *Cicero* ille tuus in quo exercere te ſoles; ita obſcurus eſt, ut tibi eo intelligendo, interprete ſit opus. Imitandi vero ſtudium, non tam auſcultatione quàm ſcriptione, multaque commentatione, qua optimam quandam formam ſtylus recipit, perficitur. Ejusmodi verò imitationem nunquam reprehendi, nec eam damnat *Eraſmus*. Et ipſe non recuſaſſem operam in eo diligentem ponere, niſi aliis, me Hercle, ſtudiis occupatus ſemper fuiſſem. Papia tibi ad ſcribendum ſatis argumenti ſuppeditare poteſt. Proinde ſi memor adhuc es noſtri, & ſi illuc adveneris, quæſo ut intelligam ex te ea, quæ me ſcire velle cognoviſti. *Hectoris* † mei conſuetudo

* Bonamicus.

† Hoxviſii.

do tibi non displicebit. Si eo uteris familiarius, cognosces eum & eruditione, & integritate, & omnibus virtutibus ornatissimum esse. *Rechlingeros* rogo, ut in eodem tecum studiorum cursu retineas. Magni mea interesse puto, ut illi ad frugem evadant, quæ mihi sane semper de eis spes fuit. De meis rebus ad *Henricum* scribere soleo. Quamobrem si quid est quod earum scire requiras, est a quo petas. Vale. Dulmaniæ 1534.

Ex Tomo II. fol. 271.

EPISTOLA LIX.

HENRICO RECHLINGERO (1).

1535. *Henricum discipulum olim suum instruit quo modo forensem sibi praxim acquirat. Stylus exercendus. De bibliotheca sua, quæ Patavii, curanda. Cujus gentis vitium sit zelotypia.*

GEorgius *Hermannus* qui mihi significarat te mense Julio ex Italia revocatum in Germaniam, idem nuper scripsit, Spiram te ablegatum, quod ut tibi fælix aut faustum sit, pro mea erga te pietate atque amore, ex animo comprecor. Etenim voto, mi *Henrice*, opus est, non minus ut fæliciter praxis fundamenta jacias, quàm olim ut Jurisprudentiæ mysteriis recte erudireris. Nunc verò eo etiam te magis sollicitum esse decet, quod in eo præteritorum annorum, totiusque superioris ætatis studii fructus tibi existimatio vertitur. Quàm vellem autem ut, quantum cupivi studuique in Juris disciplina olim te proficere, tantum nunc etiam possem in ea, quam ingressus es via, tibi quasi fidelis sive monstrator sive magister præeundo prodesse. Verùm cùm in eandem palæstram ipse nuper primum descenderim, quod munere de quo aliquando ad te scripsi, propter bellicam istam tempestatem, veteri more authoritateque mihi fungi non liceat: non habeo, ut quantum opto, te adjuvare & præceptis meis instruere possim. Te tamen spero jam per te satis sapere: quæ-

(1) *Henrico Rechlingero*] V. Notas ad Vitam N. XX.

quæque tibi uſui ſunt futura animadvertere, ac in eadem te omni conatu incubiturum non dubito. Illud autem nonnullos remorari ſolet, qui ex Academiis veniunt, atque pernicioſum quendam faſtum inde fere adferunt: ut quæ neſciunt, diſcere eos omnino pudeat: cùm tamen ea talia ſint, quæ ex libris percipi non ſatis queant, ſed in foro tum cùm ſæpius videntur, rectius intelligantur. Proinde illi optime ſibi conſulunt, quos neſcire magis quàm diſcere pudet, quique ſe veteranis fori actoribus patroniſque applicant, quo eorum experientiam ipſi in uſus ſuos convertant. Illud verò te meminiſſe *Henrice* velim, non aliud eſſe praxis diſcendæ verius compendium, quàm ſi te diligenter ſponteque negotiis offeras: principio tamen temet peritioribus adjungas, deinde paulatim ipſe aliquid negotii tentes, & ſine cortice natare diſcas. Cùm verò magna vis ſtyli ſit, cum non latina tantum, ſed & vernacula legendo ſcribendoque exercere, perquam utile eſſe comperies. Hæc non dubito quin fruſtra te moneam, quum ætas tibi tua præſenſque inſtitutum ſatis oſtendat, quanam cura & induſtria opus ſit, ut aliquem ſtudiorum fructum aſſequare opinionemque quam excitaſti tueare. Verùm ego cùm te amem ex animo, nolo te meum officium tametſi ſupervacuum deſiderare. Et me apud te ſemper aliquid authoritatis habere voluiſti, quam adhuc me retinere arbitror, etiamſi longo tuo ſilentio non modicum offendor, eo quidem juſtiore de cauſa, quod ipſe meis te literis toties interpellarim, ac de re quæ mihi maxime cordi eſt, hoc eſt, libris meis tam tuam operam fidemque rogaverim. Nam ego toto proximo anno trigeſimo quarto a te ſcriptam epiſtolam nullam accepi. *Georgius* tamen *Hermannus* nuper ſuam obtulit operam in bibliotheca curanda, eamque nihilominus in te poſitam fiduciam habeo, minime videlicet te chariſſimam mihi ſuppellectilem interea neglexiſſe. Ego adhuc dubiam Antiſtitis mei conditionem ſequor, quam tolerabiliorem facit ejusdem erga me benevolentia, expeditaque ſalarii ſolutio, etiam hoc difficillimo tempore. Unde melioris fortunæ ſpem ſuſcipio, ſi modo Deus nos tandem patietur Anabaptiſticam colluviem e medio tollere. Urbs autem munitiſſima ab ea ſecta occupata vi capi nequit, ſed coquos cellarioſque ſpes eſt finem tandem eorum impio Regno

gno impoſituros. Ego omnino decrevi finem hujuſce tragœdiæ videre, neque conditionem hanc primam temerè deferere. Landtgravius Haſſiæ ad Marpurgenſem Academiam me invitavit, facturus & profeſſorem & Judicii ſui Aſſeſſorem, eaque de re ad meum Principem ſcripſit, verùm id ab eo impetrare non potuit, ut me dimitteret, & ego propter multas cauſas (2) quas intelligis, non ſatis in eam conditionem inclinatus fui. Ages tamen *Agninis* (3) communibus amicis gratias, qui ei rei occaſionem præbuiſſe mihi videntur, nam *Joannem Megobacchum* Medicum Marpurgenſem impulerunt ut apud Principem ſuum Academiamque eam rem agerent. *Peutingerum* (4) veterem maritum, arbitror novum jam patrem factum eſſe. Utrinque ſi ita eſt, meo nomine ei gratulaberis, ſi modo te ſibi adeo familiarem eſſe patitur, quàm olim fuiſti. Multas enim amicitias matrimonium, atque omnis in unam tranſlatus amoris affectus, diſſolvit. Zelotypiam non arbitror in eum cadere, cùm hoc vitium Italorum ſit, quorum ille gentem univerſam execrari ſolet. Vale. Dulmaniæ 4. Januarii 1535.

EPISTOLA LX.

FRANCISCO CRANEVELDIO.

Ob tardius redditas Franciſco literas ſuas nugatur. De Inſtitutionibus Græcis Latine vertendis conſilium dat.

BElle tu quidem, doctiſſimè *Craneveldi*, hibernis frigoribus imputas, quod meæ literæ tardius redditæ fuerint. Sed

(2) *Propter multas cauſas*] inter quas fuit differentia religionis, quæ impedivit quoque ne Electori Brandenburgico operam ſuam locaret. V. eaſd. Notas N. XXXVIII.

(3) *Agninis*] quorum unus *Hieronymus*, vir valde eruditus, & apud Spiram cauſarum patronus; a *Viglio* pro munere advocati fiſci commendatus fuit *Joanni Ferenbergero* Regis Romanorum Ferdinandi ſecretario. *V. tom.* 3. 101. Alteri nomen erat *Marcus*.

(4) *Peutingerum*] *Claudius Peutingerus* Auguſtæ uxorem duxit perquam opulentam. Hujus pater *Conradus* cum Maximiliano I. Imp. cujus erat Conſiliarius, ſæpe in Belgio fuit. *Tom. 2. p. 365.*

Sed pro *Lucretianis* accipe non diſſimilem, barbaram tamen, fabulam: ſolent certi anni tempore e longinquo negotiatores mercium permutandarum cauſa ad utraſque Boryſthenis ripas convenire, & colloqui. Accidit hyeme, ut quamquam gelu duratum flumen acceſſum permitteret, ipſi tamen, vel quia ita conſueverant, vel quia non ſatis fidebant, in inimicorum regnorum limitibus propius non congrederentur. Cùm difficile verò hinc inde exaudirentur, propter fluminis latè exundantis ſpatium, quidam barbaris indicavit cauſam eſſe, quod in tanto frigore voces priuſquam ad alteram ripam pervenirent, congelaſcerent. Itaque ignem in media glacie fruſtra ridiculeque tentarunt. Ego verò per mercatores illas meas literas curaram, qui hic fecere quod fere ſolent, ut ſua curantes negotia, aliena negligant. *Mulardum* non dubitavi ad mea commoda promovenda eſſe propenſiſſimum, idque ex proximis ejus literis abundè intellexi. Quanquam autem hic difficile me extricare valeam, attamen nihil non tentabo, quo vobis propius conjungar. Quod *Theophilum* a me editum tuis laboribus dignum duxeris (1) mihi multo gratiſſimum eſt. Nec te id quæſo ab incepto opere avertat, quod Gallus quiſpiam (2) eandem ſibi operam ſumpſerit. Etenim tua verſio non modo melior erit, ſed etiam magis gratioſa, multis de cauſis, quas hic tibi in os referre ſuperſedeo. Illud tamen te latere nolim, me græcum exemplum rurſus relegiſſe, contuliſſe, emendaſſeque, atque id te in tua verſione ſequi malim, quam quod editum eſt. Communicabo autem libenter cum propius acceſſero. Id tamen nolim ſpargi,

(1) *Tuis laboribus dignum duxeris*] Franciſcus Craneveldius, qui fuit Noviomagus Gelder, equeſtris dignitatis vir, & ſenator in Parlamento Mechlinienſi ab anno 1522. dicitur (*in bibl. Belg Val. Andreæ*) ſexagenario major græcas literas didiciſſe, tanto cum ſucceſſu, ut latina de græcis faceret. Argumentum habes ex hac verſione. Cum *Mulardo*, de quo hic, ſive *Gerardo Mulert* amicitiam coluit, qualem *Oreſtes* cum *Pilade*, inquit *Viglius*.

(2) *Gallus quiſpiam*] Jacobus Curtius. Inde nata eſt concertatio literaria cum *Petro Nannio* de qua *Viglius* doluit, uti videbimus in epiſtola ad *Petrum Bauſanum* an. 1537.

gi, ne *Frobenio* damno sit (3) qui sua exemplaria nondum omnino distraxit. De *Theodorico* sublatam occasionem gratificandi amico, doleo. Sed tamen recte feciſti qui id quamprimum mihi significaris, ne illum diu suspensum teneam. Si quando propius habitabimus, atque nuntiorum erit copia, spero nobis crebriorem majoremque literarum usum fore. Bene vale doctissime, amantissimeque *Cunsoldi*. Dulmaniæ 5. Februarii anno 1535.

Ex Tomo II. fol. 283. vso.

EPISTOLA LXI.

ERASMO ROTERODAMO.

1535. *De Anabaptistarum fanaticis conatibus. Significat se Monasterienſis Episcopi nomine ad Comitia Wormatienſia profecturum.*

NOn arbitror te ignorare, *Erasme* doctissime, fatales hujusce inferioris Germaniæ nostræ tumultus ex Anabaptisticis dogmatis excitatos, de quibus & prioribus meis literis aliqua ad te scripsi. Et quotidie tam multa passim nova, miranda, horrendaque accidere commemorantur, ut literis comprehendi cuncta nequeant. Crebrius tamen de ipsis ad te scripturus essem, si modo tabellarii mihi ad manum essent, quo hac saltem occasione & meo erga te officio satisfacere, & veterem tuam in me benevolentiam conservare possem. Cujus tamen spero majorem mihi aliquando oportunitatem fore, neque enim arbitramur Deum Opt. Max. perpetuò hanc tempestatem sævire, & tam crassis erroribus humanas mentes fluctuare passurum. Certè si Monasterium munitissimum Anabaptistarum receptaculum in nostram potestatem redactum esset, magnam totius negotii partem confectam habere-

(3) *Ne Frobenio damno sit*] Alibi ipsimet *Frobenio* imputat quod eas distahere nequiverit, qui nimia festinatione illas inemendatius excudit: quamquam damno ei fuit, quod *Curtii* paraphrases *Rescius* ediderit.

beremus. Ea autem urbs armis expugnari difficulter poterit, ſed aliqua ſpes manet, ut fames propediem finem eorum ferociæ imponat. Interea tamen obſeſſi minime quieſcunt, ſed nefanda per Emiſſarios quotidie moliuntur, præſertim in Hollandia & Friſia, ubi omnia hiſce ſectis miſere turbata ſunt. Veſaliæ quoque & Daventriæ in clerum, magiſtratus, & patricios crudelia conſilia Anabaptiſticæ * ibi delitescentes inierant, ſed ea tamen in tempore non ſine divina providentia detecta ſunt. In Groningenſi verò agro, initio præſentis anni, Anabaptiſta quidam homo idiota, ſed linguarum dono cœlitus (uti credebatur) afflatus, & ad miraculum ruſticæ plebis judicio facundus, & in ſacris literis exercitatus, quum plurimos in ſuam traxiſſet ſententiam ac rebaptiſaſſet, tandem hac fretus authoritate, ad novum quoddam prodigioſumque doctrinæ genus declinavit. Nam Chriſtum negabat verum fuiſſe Meſſiam, ſed tantum præcurſorem. Cùm verò is nondum veniſſet, & omnino venturus eſſet, viam præparandam eſſe. Huic ignis non nunquam circumfulgere videbatur, & in altum, tertiumque (ut ajebat) cœlum attollebatur, mirandaque tum loquebatur, tum faciebat. Nonnullos verò cum vitæ periculo circumcidit, Judaicaque holocauſtomata inſtaurare cœpit, eoque paulatim eſt progreſſus, ut ſeipſum Meſſiam eſſe diceret, tot ſeculis promiſſum & expectatum, jamque adorari volebat. Hîc intellecta eſt impoſtura, diabolicumque commentum. Groningenſes vero cives, magna manu ad comprehendendum Meſſiam egreſſi, totam eam ſcholam impietatis diſturbarunt. Dum verò capiunt, ligant, ducuntque novum Meſſiam, horribilis in aëre ſtrepitus auditus eſt, compertumque tandem dæmonibus fuiſſe eum obſeſſum. Expiravit autem haud multo poſt in carcere. Multa de eo vulgus affingit, ſed quæ narravi, fide dignorum hominum relatione didici. Ex hac autem Anabaptiſtarum ſecta, nova opinionum portenta quotidie exoriuntur. Quæ ſi progreſſum habuerint, religionis, literarum, omniſque humanitatis certum imminet excidium. Principes autem conſtanter adhuc ſuppetias Antiſtiti meo ferunt. Et poſt Paſcha Vormatiæ indicta ſunt Comitia, ea potiſſimum de cauſa ut Anabaptiſtarum motibus occurratur. Credo & me illuc Præſulis mei nomine cum cæteris legatis

* *Lege*: Anabaptiſtæ.

profecturum. Id si contigerit, non omittam quin inde ad te scribam. Tantum illud sine me viciſſim a te impetrare, ut tuis interdum literis fruar, quibus diu non sine magna animi moleſtia & dolore carui. Bene vale. Dulmaniæ 28. Februarii anno 1535.

Ex Tomo II. fol. 287.

EPISTOLA LXII.

HECTORI HOXVYRIO.

1535. *Graviter queritur de iniquo tempore ob religionis periculum. De rebus ſuis Hectorem edocet, & de lucubrationibus ſuis interrogat.*

HÆc tempora, *Hector* ornatiſſime, quæ ſemper in deterius vergunt, bonarumque omnium rerum & artium apud noſtrates exitium, & Schyticam quandam barbariem minantur, non ſinunt, ut ex gratulatione tua ſolidam veramque lætitiam animo concipere poſſim. Quanquam illud tuum quod mihi adſcribendum duxiſti eulogium, non tam pro meo merito quàm tuo ſtudio non poſſit me non delectare, gaudeamque me dignum a te ea conditione reputari: attamen non modo hujus muneris mei dignitatem præſens tempeſtas obnubilat, verùm melioris conditionis ſpem pene intercipit. Nam cùm hic ſemper mea conſilia inſtituiſſem, ut inde qualemqualem facultatem commodius futuram traducendi ætatem conſequerer, nunc ipſo uſu comperio hominum noſtratium mentes ab diſciplinis honeſtiſque ſtudiis quotidie alieniores fieri, & prætextu Evangelii omnem religionem abdicare, humanaque & divina Jura pro nihilo æſtimare. Niſi autem nobis adverſus hanc ingruentem barbariem Deus auxilio ſit, quid eſt, mi *Hector*, quod nos literas didiciſſe juvet? Verùm his querimoniis ſuperſedere ſatius duco, ne nimium mea reſponſio a tua diſſonet epoſtola, atque pro gratulatione lamentationem occinam. Nam & quæ ſit iſta Hydra, quod habeat capita, quomodoque uno reciſo plura quotidie reſurgant, quàm late dominetur, quàmque penitus vulgi animis inſideat, epiſtola non capit. Et ut in ſumma tibi ſtatum

tum noſtræ patriæ vicinarumque regionum indicem, niſi Principes omnes communibus conſiliis adverſus eam niterentur, haud ulla eſſet amplius tanti mali excidendi extirpandive ſpes. Interea illud habeo inde commodi, quod hac rerum tempeſtate & patientiam diſco, & nonnullo rerum uſu erudior, inſtruorque. Ago autem adhuc in Weſtphalia, Principis & Præſulis mei quantumvis dubiam conditionem ſequens, qui jam annum totum Monaſterium Anabaptiſtarum receptaculum ſola ſpe fame eos edomandi obſidet. Mihi interea ſalarium prompte ſolvitur, Præſulque me ſibi cumprimis charum habet, cujus fortuna ſi ex his emergere periculis poterit, non erit cur me valde pœnitere hujus conditionis debeat. Valde aveo ſcire ecquid tantæ expectationi Clariſſimi præceptoris noſtri *Alciati* meæ lucubrationes reſponderint: quod tu te ſcripturum recepiſti, & ut exacte fideliterque facias, etiam atque etiam te rogo. Ego hinc & antea ad te literas dedi, & id ſæpius facere non gravarer, ſi ullam haberem rectam rationem eas ad te tranſmittendi. Nunc hæc Anabaptiſtica perfidia vix in Friſiam tutò noſtras literas pervenire ſinit, nec ignoras quantum inde iter in Italiam ſit. Et ego quotidianis occupationibus, peregrinationibuſque ſic fatigor, ut meo animo in amicorum officiis veteri more ſatisfacere nequeam. Nunc rurſus ad Vormatienſia Comitia me apparo, ubi ex communis Imperii & Principum Germaniæ ſententia de auxiliis contra Anabaptiſtas decernendis agetur. Bene vale & fac nos tuis interdum frui literis. Dulmaniæ 27. Februarii 1535.

EPISTOLA LXIII.

FRANCISCO RUPILIO.

Ex Tomo II. fol. 293. vſo.

Quibus facientibus ad munus Aſſeſſoris Cameræ Imperialis Spirenſis promotus ſit. 1735.

UTinam, chariſſime *Rupili*, tantam tibi viciſſim ex mea amicitia utilitatem præbere poſſem, quantam ego & antea percepi, & quotidie ex te percipio. Quanquam autem

tem noſtra familiaritas communes illas gratiarum actionis formulas non admittit, ego tamen non puto grati hominis eſſe apud eum, a quo bonum aliquod proficiſcitur, id ipſum diſſimulare. Geſtis forte audire quidnam id ſit, expediam paucis. Cæſar nuper ad fratrem *Ferdinandum* de me ad Aſſeſſorium munus in Camera Imperiali promovendo, cùm locus vacaret, nomine domus Burgundicæ ſcripſit. Cumque literæ ex Hiſpania venirent, forte Viennæ fuit *Georgius Hermannus*, vir mei uti ſcis amantiſſimus, qui diligentiſſime egit ut præſentatio * (ſic enim vocant diploma quo judex & aſſeſſores novum Aſſeſſorem recipere jubentur) Regia M. expediri decerneret, eamque expeditam in meliori (uti vos Curtiſani loquimini) ad me miſit. Commodum verò accidit ſub idem tempus quo præſentatio ad me venit, ut ego ab R^mo^ Præſule meo Monaſterienſe Vormatiam mitterer ad Comitia illic adverſus Anabaptiſtas indicta. Itaque dum conſultatur deliberaturque magna maturitate, hoc eſt more Germanico, de ſuppetiis, ego Spiram ivi, nec gravate illic ad eam conditionem admiſſus ſum, & præterea impetravi, ut mihi ad aliquot adhuc hebdomadas abeſſe liceret, cùm ut Principi renunciarem hujus conventus decreta, miſſionemque ab eo impetrarem, tum ut & meas res componerem. Itaque *Viglius* tuus, mi *Rupili*, ex Officiali factus eſt Imperialis Judicii Aſſeſſor. Hæc vero non aliunde mihi proficiſcitur quàm ab eo cujus benevolentiam tu mihi conciliaſti, hoc eſt Doctore *Mathia* Heroë. A quo ego quidem nunquam tantum beneficium ſperare auſus fuiſſem: ſed tu non levis fuiſti commendator & patronus apud illum mihi. Quamobrem utrique veſtrum, cùm multis aliis nominibus, tum hoc potiſſimùm, plurimum me debere ſemper fatebor. Te verò, chariſſime *Rupili*, id etiam atque etiam rogo, ut cumprimum opportunitatem ſcribendi ad Doctorem *Mathiam* nactus fueris, me illi gratias agere non graveris. Idem ego jam antea feci, verùm cùm ille me ſuis beneficiis devinciendo tibi quoque gratificari (uti ſcis) inprimis ſtuduerit, oro mi *Rupili*, ut ex tuis literis & me tibi atque illi gratias agere, & tibi quoque quod ille in tuam maxime gratiam mihi benigne fecit, voluptati eſſe cognoſcat. Vale, 25. Aprilis 1535.

* *Lege*: præſentationem.

EPI-

EPISTOLA LXIV.

HAYONI HERMANNO.

Ex Tomo II. fol. 297. vſo.

Gaudet de acceptis ab Hayone literis. De ſtudiis ſuis rationem reddit. Ob quid Commentaria ſibi ſua diſpliceant. Viglius in Hayonis fortunæ ſocietatem vocatus. De ſuis Iſagogicis libris. Poſcit Hayonis opus de Republica ordinanda. Urbs Monaſterienſis recuperata. 1535.

SCripſi ad te nuper vehementer occupatus, ſarcinulis ſcilicet meis colligendis, & ex Veſtphalia transferendis. Nam in ipſo pene puncto diſceſſus mei, tuus tabellarius adfuit, qui hoc ſolo opportunè advenit, quod meum abitum præcurrit, quanquam ſane literis tuis nihil mihi gratius potuit accidere, non ſolùm quod tanti viri amicitiam acceſſiſſe mihi gauderem, verùm etiam quod tam honeſta eruditiſſimi viri de meo ingenio ſtudiiſque cenſura eſſet. Si tamen iſta cenſura dicenda eſt, & non potius exardentis amoris in me tui ſignificatio, teſtificatioque. Qua quaſdam fortaſſis virtutum ſpecies, quas aliena fere fide, commendationeque de nobis concepiſti, ita benigne amiceque interpretaris, ut eo magis ad tuas effuſas laudes erubeſcam, quo me eis inferiorem eſſe ſentis. Omitto enim reliquas dotes quas mihi adſcribis, de doctrina tantum paucis reſpondebo, qua tu quaſi allectus in mei amorem eſſe videris. Ea vero adeo eſt exigua, ut ne in eo quidem mihi ſatisfaciat, quomodo videlicet epiſtolæ tuæ ſumma elegantia, multiſque ornamentis expolitæ & excultæ, ita reſpondeam, ne eam quam de me conceperiſſe videre opinionem, confeſtim tibi excutiam. Quid enim nos ſimile tibi diſtere potuimus, qui aliorum magis ſtudiis quàm noſtris ſemper inſervire coacti ſumus, privataque inſtitutione, priuſquam ipſi quantum ſatis erat didiciſſemus, ita ſemper occupati fuimus, ut libero literarum otio frui nunquam potuerimus? Id quod *Commentaria* noſtra facile teſtantur. Quæ non modò ipſi mihi, ut alia taceam,

ob

ob id displicent, quod ad scholasticam docendi consuetudinem nimium me adstrinxerim, verùm quod aliis negotiis impeditus rem publice legendam multo certe negligentius ac decebat tractaverim. Quæ cum te animadvertisse non dubitem, & tamen laborem nostrum tantopere extollas, qua de causa alia id te facere judicem, quàm ut id quod agis efficias, hoc est ut amorem, quem ex tua parte mihi offers, gratiorem mihi facias? Ego verò tanto tuæ amicitiæ cupidior fui, quanto te semper pluris feci. Ac prior etiam eadem de causa ad te scripsi, quanquam tuæ literæ nullam mearum mentionem faciant, ut aut intercedisse eas tabellariorum perfidia, aut serius redditas esse credam. Nam quod ideo subticueris, ut videare nobis in hoc conciliandæ amicitiæ officio prævertisse, quanquam est ille non omnino malus dolus, tamen ego de te id suspicari non possum. Quod verò in tuæ fortunæ cum primis lautæ societatem me vocas, id reipsa quidem quam magnum sit atque etiam rarum, non equidem ignoro. Sed id multo pluris facio, quod in interiorem pectoris partem me recipere, pretiosissimamque supellectilis tuæ partem, hoc est ingenii tui præclara monumenta, communicare nobis non dedignere. Quanquam conditionem adjecisti, si ego *Isagogicos* libros ad te mitterem, de quibus nuper copiosius me responsurum sum pollicitus. Tractavi quidem olim in Gallia hoc argumentum succisivis horis, quomodo videlicet Jureconsultus institui deberet. Et ipse tum privatim adolescentes aliquot in Jure instituebam, unde occasionem scribendi capiebam, tribusque libris delinearam aliquam instituendi formam, rudem quidem & imperfectam, eo consilio ut cum tempore accedente judicio, quo maxime ea in re opus esse videbam, corrigerem, mutarem, adderem, quæ posteriores darent cogitationes. Ubi veni in Italiam, atque omnino aliud docendi genus ab illo Gallico esse observavi, variaque multorum doctorum judicia sum perscrutatus, ita de omnibus pene mutavi sententiam, ut totum opus mihi retexendum ducerem. Ac tunc quoque visum mihi est, quæ antea continua orationis serie exponebam, in *dialogismum* commutare. Non modo quoniam hoc aufert tædium lectori, verùm quoniam sic commodius diversæ eadem de re sententiæ proponuntur, de quibus lectori libe-

liberum judicium relinquitur. Cœperam autem hoc facere in primo libro, & pene perfeceram, cùm publica mihi profeſſio demandata fuit, quæ ita me totum ſibi vendicavit, ut prius inſtitutum plane ſeponere cogerer. Eo vero munere defunctus, profectus ſum ſtatim in patriam, ac neſcio quo fato appulſus ſum ad Præſulem Monaſterienſem, apud quem ita fuit impacata inquietaque mea conditio, ut de ſtudiis literiſque ne cogitare quidem licuerit. Nunc vero apud Spiram ſpero mihi licere rurſus cum Muſis & literis in gratiam redire, & ea quæ animo concepi excolere. Quæ ubi perfecta abſolutaque fuerint ad te ſtatim mittentur, & ne tuam petitionem longius differam, primo quoque tempore, quo me otio & quieti reddidero, primum librum prope completum deſcribendum dabo, tibique communicabo. Habes de meis *Iſagogicis*, nunc de tuo opere *de Republica ordinanda*, ut viciſſim quod polliceris præſtes rogo. Nolim tamen in eo cenſoris partes mihi a te delegari: quando ego (uti ſcis) haud ea ſum prudentia præditus, ut de tam excelſo argumento judicare poſſim. Sed diſcere potius id cupio atque aveo, quod de tanta re tam prudens generoſumque ingenium tuum ſentiat. Ego poſt unum alterumve diem hinc Spiram abiturus ſum, ut conditioni ab Cæſarea M. oblatæ deſerviam. Si quid ad me voles, poteris literis Coloniam ad Doct. *Joannem* * mittere: idem ego faciam quoties erit ad te ſcribendi argumentum. Monaſterium tandem ab Præſule meo occupatum eſſe, quanquam hic nunc novum ſit, puto tamen eandem famam ante literas meas ad vos perventuram; qua nihil noſtro orbi ſalutarius contingere potuit. Utinam modo Deus ſanum conſilium Præſuli meo in mentem mittat, quo tam expectata victoria recte utatur: Vale ex Virdum 28. Junii 1535.

* *Decumenſem.*

Ex Tomo II. fol. 304.

EPISTOLA LXV.

1535.

JOANNI FERENBERGIO. *

* *Alias Ferenbergerus Ferdinandi Regis Rom. Secretarius.*

Agit gratias ſuper decreto ſibi aſſeſſoratu Cameræ Imperialis, interceſſore Georgio Hermanno.

QUanta ſit amicitiæ vis atque utilitas, vir clariſſime, non tam literarum monumentis veterumque teſtimoniis erudi-

mur, quàm quotidianis experimur exemplis. Ecce enim illo noſtro *Georgio Hermanno* tibi, mihique communi amico, quid fingi potuit melius, ſyncerius, humanius, aut ſuavius? Quidnam eſt quod conſiderari in eo queat officii? in quo quidem ille non amici modò voluntatem quomodocunque cognitam ſedulo exequi, ſed prævenire etiam cupiat, cùm ipſas gratificandi amico occaſiones quærat ſtudioſè, & perſpectas aut oblatas fideliter arripiat, atque provehat. Tibi quidem cum ipſo major rerum uſus intercedit, nec dubito quin tu eum melius penitiuſque noſcas quàm ego, ſed de me hoc tantum dicam, ubi ſemel ab illo in amicitiam receptus ſum, familiaritatemque mutuam crebra literarum communicatio conſtabilivit, non vulgarem me animo cœpiſſe voluptatem, Deoque Opt. gratias egiſſe, qui talis viri amicitia me bearit. Omitto enim commemorare innumera alia ejus in me merita, illud ut recens ita maximum eſt, quòd non modò conditionem pridem mihi ab Cæſarea M.^te^ in Imperiali judicio oblatam, ſummo ſtudio & fide, Regio decreto confirmari curaverit, verùm tuum etiam favorem ad meam fortunam promovendam inclinarit. Nam quantum eundem in eo negotio adjuveris, qua me commendatione apud Regiam M. cæteroſque in quorum manu & poteſtate ea res erat, ornaveris, non paſſus eſt me latere *Georgius* ille noſter *Hermannus*. Quamobrem ego tibi de facie quidem ignotus, illo verò beneficio in me tuo non notus tantùm tibi, ſed etiam devinctus: minime potui omittere, quin literis meis, iſtum tuum favorem ac animum agnoſcerem, ac ingentes tibi gratias agerem, meamque tenuem opellam, ſi qua unquam in re ejus tibi uſus eſſe queat, viciſſim tibi offerrem. Ego verò nihil malim, quàm aliquam mihi offerri occaſionem, qua tibi animi mei promptitudinem, & quantopere tuæ beneficentiæ mutuo reſpondere ſtudio cupiam, demonſtrare queam. Accipe ergo in bonam partem, vir clariſſime, quod tibi non aliter notus ſcribere tamen ſim auſus, & hoc certò tibi perſuade, in memorem gratumque hominem te illud nuperrimum beneficium collocaſſe, pro quo etſi tibi nunc paria referre non poſſum, attamen, ubi modo facultas detur, velle intelliges. Interea verò pro hoc debito fidejuſtor atque expromiſſor erit *Georgius Hermannus*, qui ut tuam amicitiam mihi conciliavit, ita eodem auctore eandem conſervatam iri ſpero. Ego jam

pri-

pridem cupiebam Spiram commigrare, ſed ægre a Principe, cui hactenus ſervii, veniam, miſſionemque impetrare potui, quam ea tandem ille lege conceſſit, ut cæteris ejusdem legatis in hiſce Comitiis Vormatiæ adeſſem, atque inde Spiram me conferrem. Quod equidem Principi optimè de me merito negare non potui. Cujus tandem fortuna multis diu agitata procellis, capto Rege, recuperataque urbe Monaſterio, in tranquilliorem rediiſſe portum videtur. Quid hiſce autem Comitiis agatur ſcribere non poſſum, quando ea nondum cœpta ſunt, & cùm pauci admodum huc adveniant, verendum eſt, ne nihil agatur, id quod in conventibus Imperialibus ſcis non eſſe novum. Deus Opt. Max. vir clariſſime & de me optime merite, incolumem te tueatur. Datum Vormatiæ 16. Julii anno 1535.

EPISTOLA LXVI.

Ex Tomo II. fol. 313.

FLORENTIO GREBOUALLIO.

Conteſtatur ei amicitiam ſuam, & ſuadet ut doctoralem lauream ſuſcipiat. Extollit Collegium Aſſeſſorium Spirenſe. Quo ſalario ibi gaudeat. 1535.

CUm tandem me ab priore conditione explicaſſem, ac in ſuperiorem Germaniam iter adornarem, forte tuam accepi epiſtolam, *Florenti* chariſſime, atque ornatiſſime, qua totam vitæ tuæ ſtudiorumque rationem perquàm diſerte exponis. De quibus ego antea ſolicitus fueram, veritus ne noſtra illa mutua familiaritas forte ipſo tempore refrigeſceret, ſi vinculum illud communium ſtudiorum diſſolveretur. Quum verò intelligam non modò te quaſi perpetuum quoddam nomen Philoſophiæ & literis dediſſe: ſed & tanta eis diligentia incumbere, inſtitutumque tam accurate exequi: non * me Hercle, mi *Florenti*, gaudio afficior, & neſcio qui fiat ut ego exiſtimem, magnum incrementum noſtram amicitiam accepiſſe, tametſi antea amantiſſime ſemper vixerimus. Eſt certè quædam naturalis ratio, ut arctius eos complectamur, quos perpetuò nobis amicos fore credimus. Nam tempora-

* *Deeſt*: mediocri, exiguo, *aut ſimile adjectivum.*

ria illa benevolentia haud altas radices agere poteſt. Non inficior potuiſſe etiam inter nos mutuum conſtare amorem, etiamſi tu te in aulam aliquam contuliſſes. Sed cùm noſtra amicitia originem ducat ex earundem literarum ſtudiis, non dubium eſt quin, ſi ea cauſa quæ nos primum conciliavit, duraverit, indiſſolubiliore nexu nos invicem fore conjunctos, concatenatoſque. An autem expectas, mi *Florenti*, ut ego tibi aliud ſuadeam quàm ut hocce tam egregium propoſitum qua poſſis ſedulitate perſequaris? Ex quo quidem ego hoc in primis habeo commodi, quod te mihi multo amiciorem autumem fore, quàm ſi ad Aulam te contuliſſes. Quando autem ad eam jam accedis ætatem quæ ſerviat honori, quæque non te patitur in imo ſubſellio ſemper ſiſtere: cogitandum tibi eſt, ut in aliquo ſenatu patriæ tuæ locum tuis votis ſtudiiſque congruum obtineas. Quam ad rem non dubium eſt quin multos ſis habiturus patronos, ac uti nunc loquimur promotores. Fortaſſis dices ætatem tibi obſtare, ſed eam ſupplebit doctrinæ gradus, quem te tametſi nobilem & opulentum contemnere nolim. Addit enim annis & eruditioni aliquam opinionem, & ad conſulare ſenatoriumque munus gerendum non modicam adfert dignitatem. Quamobrem tu, ubi ea quæ ad forenſem uſum pertinent, didiceris, videriſque eo te rem perduxiſſe, ut de tali aliquo munere impetrando certus ſis, ſuadeo ut in aliquam Academiam pauliſper ſecedas, ut inde dignitate aliqua auctus ad publicum munus tranſeas. Id ubi ſemel ſuſceperis, omnino confido, te pro ingenii tui dexteritate quotidie connixurum, ut ad altiorem gradum honoris voceris. Ego vero varia Principis mei fortuna antea jactatus, quæ tamen ipſa lætum tandem exitum conſecuta eſt, huc me quaſi in tutum tranquillumque quendam portum recepi. Ac ea conditio ita mihi adhuc placet, ut non aliud deſiderem quàm ut eâ mihi perpetuò uti liceat. Eſt nobiliſſimum ſelectiſſimumque collegium, conſtans ex Comitibus, nobilibus, & Doctoribus. Judicis autem locum vacantem nuper ſuſcepit Dux *Joannes* Bavariæ, quo Præſide non parvum ornamentum huic noſtro Judicio accedet. Et ſalarium annuum eſt ſupra 700. veſtrates aureos Carolinos. Talem conditionem quando tandem apud vos impetrare potuiſſem? Itaque vides me non om-

ommino erraſſe, qui ad Germaniam ſuperiorem oculum ſemper flexerim. Bene vale. Spiræ 21. Auguſti anno 1535.

EPISTOLA LXVII.

Ex Tomo II. fol. 326. vſo.

SERAPIONI HANYA (1).

Spondet operam, ut ei conditio aliqua contingat. Quæ medicorum in Italia praxis diſcendi. 1535.

NIhil opus fuit tot verbis, conſobrine chariſſime, meam erga te benevolentiam extollere, teque hoc nomine mihi obſtrictum fateri, cùm ego, ſi quid modo præſtare poſſim, id arctiſſimæ ſanguinis copulæ qua invicem conjuncti ſumus, debere me ſciam. Hoc verò certò tibi perſuaſum habe, me tuis commodis provehendis fideliter inſerviturum, ſi modò conſilium meum in vitæ ſtudiorumque tuorum inſtitutione ſequi non gravaberis. De conditione agam ſedulò: quod ſi tamen ea non ſtatim obtigerit, moram æquo animo ferre debebis. Malo enim te per occaſionem commendare, quàm importunè operam tuam ingerere. Interea ad ſeria Medicinæ ſtudia bonarum literarum lectionem adjungito: ſin ea expectatio longius te ſuſtinuerit, ego in ſumptus tuos aliquid conferam. (2) Cùm verò, mi Cognate, jam dudum

(1) *Serapioni Hanya*] V. dicta ad N. XII. Vitæ.

(2) *In ſumptus tuos aliquid conferam*] Plura generoſæ munificentiæ exempla notavi in epiſtolis. Anno 1540. *Joanni Holtmanno* Ahuſenſi hæc verba miſit: *ſi pecuniæ aut alterius cujuſcumque rei indigebis, fac ut ſciam, nam nihil tam charum habeo, quod non & tuis quoque uſibus pro noſtræ amicitiæ jure inſervire cupiam.* Tom. 3. p. 185. vſa. Eodem anno parenti ſuo, a quo nullum, dum peregrè ageret, ſubſidium tulit, ducentos florenos Rhenenſes dedit in ædificium quoddam in Zuichem. (*Ibid p.* 229.) & ſequenti anno alios centum addidit: (*p.* 251.) ac rem familiarem ampliavit proprio ære. *p.* 286. *& ſeqq.* Quin imo, cùm Ingolſtadii ageret, duos ibi aluit conterraneos, adeo ut quidquid potuit comparcere, id totum, hi alii-

dum rei Medicæ ſtudium fueris amplexus, atque ex eo futuræ ætatis commeatum ac viaticum quæras, cogitandum tibi eſt, ut maturè ea quæ didiciſti, ad uſum commodare incipias. Et ut nos in foris ac tribunalibus legum noſtrarum praxim diſcere oportet, ſic vos habetis Apothecariorum tabernas. In Italia, qui Medicinæ ſtudia prope ad metam perduxere, majorem diei partem aſſumunt in aſſectandis Doctoribus cum quibus ad valetudinariorum domos circumeunt. Et hoc ſibi honori ducunt Doctores, neque ægre ferunt ægroti, quaſi illis adhibitis teſtibus major in curando Medici futura ſit diligentia. Certe in omni arte non leve momentum habet, quod quis unum aliquem Doctorem deligat, quem comitetur, cujus praxim obſervet, paulatimque ipſe quæ didicit quaſi illo Duce minore cum periculo conferre incipiat. Ea mea quoque in Jure diſcendo conſuetudo fuit, cùm egi in Gallia atque Italia, multaque ſic didici, quæ ex libris ſerò equidem percipere potuiſſem. Et cuncti fere quarumvis artium Magiſtri quædam quaſi ſua & propria habent, quæ ipſi ſcilicet experientia, crebroque uſu comprobata magis certa & vera judicant. Non puto defore tibi eandem occaſionem Coloniæ, tantum ea in re vidè ne quid te Ἀυσωπία remoretur: ac memento ejus, quod arbitror *Plutarchum* ſcribere de *Diogene*, qui

que abſtulerint, *p.* 250. 251. Nihilominus a muneribus ſemper eum abhorruiſſe comperi, & ſingulare eſt, quod ad *Hyppolitum Perſinum* ſenatus Ultrajectini præſidem anno 1557. ſcripſit: *Donum quod offers, quodque tantopere ne aſperner flagitas, magnum mihi offundit pudorem, non ideo tantum quod nihil tale abs te ſim meritus, ſed quod ingratitudinis notam contraherem, qui id ſecretum emptioniſque titulo obvelatum ſuſciperem, quaſi tuam liberalitatem profiteri non auſus. Certe ſimulationem animus meus non admittit, nec ea inter nos opus eſt. Quis enim nos de peccato redarguet, ſi vel tu quidquam mihi donaveris, vel ego abs te acceperim. Qua de cauſa quoque venditionis ſchedulam ad te remitto. Porro nec donationis titulum antea te expedire velim, quam partitio cum* Dekamano *fuerit peracta, ac ego aliquando Friſiam inviſens, cognovero, prædiolo meo Zuichemano eam terram quam D. T. donare mihi inſtituit, eſſe accommodam. Tantiſper igitur quæſo effectum hujus liberalitatis tuæ ſuſpende. Et ego ſane, etiamſi is numquam conſequatur, non minus tamen me tibi debere agnoſcam.* Tom. 4. p. 189.

qui adeo moleſtus *Antiſthenis* (3) aſſecla fuit, ut ne baculo quidem ſe abigi paſſus ſit. Bene vale, & fac crebro ad me ſcribas. Datum Spiræ 12. Novembr. 1535.

EPISTOLA LXVIII.

JOANNI HERVAGIO.

Ex Tomo II. fol. 327. vſo.

Excuſat ſe apud hunc typographum de promiſſa elucubratione de Ciceronianis legibus, ſuadetque ut exemplis Gallorum & Italorum libros Juris emittat. Ad Amerbachium remittit. 1335.

LIteras tuas, mi *Hervagi*, quas ex Argentorato ad me dediſti dudum accepi. Quibus equidem citius reſpondiſſem, ſi quid indicare potuiſſem, quod e re tua fuiſſet. De Ciceronianis enim legibus rogo te ut me ea, qua tibi obſtrictus ſum, promiſſione abſolvas. Pauca enim & valde exilia ſunt quæ in eas annotavi, quæque nec mihi honori, nec tibi lucro eſſe queant. Porro quod Juris Civilis autores excudere ſtatuiſti, adeo mihi non diſplicet, ut credam eam rem minime tibi damnoſam fore. Quando Juris Civilis ſcientia in omnibus Academiis & apud omnes nationes præcipue & fere hodie colatur ſola. Ego autem nullum habeo ejus artis authorem ita a me exornatum, ut vel ipſe meam operam palam audeam profiteri, vel tibi eo nomine magis venalis eſſe poſſit. Neque opus eſt, mi *Hervagi*, per ſe bonis libris talem appendere hederam. An non vides veteres quoſque

(3) *Antiſthenis*] Antiſthenes philoſophus, princeps fuit Cynicæ ſectæ, qui ad audiendum *Socratem* quotidie ibat ex Pyræo, quadraginta ſtadiis emenſis, acutus magis, quàm eruditus præceptor *Diogenis*. De quo ſcribitur, quod cùm nullum diſcipulorum recipere, & perſeverantem *Diogenem* removere non poſſet, noviſſime clava minatus eſt, niſi abiret. Cui ille ſubjeciſſe dicitur caput, atque dixiſſe, Nullus tam durus baculus erit, qui me a tuo poſſit obſequio ſeparare. *Car. Steph. in Dict.*

que authores latinos propter se emi? Crede mihi, non quæruntur a nostris Jureconsultis, si *Bartholum* aut *Baldum* emere volunt, liminaria illa præconia, modo & eleganter impressi, & a mendis allegationum repurgati sint. Gallici sane ac Italici typographi potissimum quæstum ex libris Juris faciunt, quem miror vos illic non odorari. Sed forte deterrent vos impensæ propter magna volumina Juris: at eadem apud Gallos, Italosque ratio est. Nec dubito si vos elegantiore litera Juris Civilis libros impresseritis, quin magis sint venales futuri, quàm Gallici, qui satis quoque carè comparantur. Sed unum tamen maxime libros Juris commendat, scilicet quod in allegationibus legum, ne quid erretur, diligens adhibeatur cura. Quàmobrem pene opus esset proprio Correctore, non omnino rudi Juris Civilis. Quod si tibi est animus hoc propositum persequi, habes ad manum doctissimum virum *D. Bonifacium Amerbachium*, qui melius consulere ea in re, ac unde tibi incipiendum sit, ostendere poterit. Ego credidero non damnosum tibi fore *Azonem*, quem nostri lucernam Juris vocant, & qui a pueris senibusque legitur ac relegitur. Et emendatum exemplar facile tibi commodabit aut demonstrabit idem *Amerbachius*. Vale. Spiræ 17. Novembris anno 1535.

Ex Tomo II. fol. 332.

EPISTOLA LXIX.

ANDREÆ ALCIATO.

1535. *Deplorat Germanorum in nova dogmata propensionem. Amplissimas Alciato laudes scribit, & ad edendas Lucubrationes quasdam exstimulat.*

SÆpe ad te volui scribere, præceptor excellentissime, verùm non tam occupationibus ac occasione hactenus impeditus fui, quàm quod & publicæ res Germaniæ nostræ tales essent, ut citra magnam (proh dolor) nationis nostræ, furiosè in nova dogmata insanientis, infamiam scribi possent, & privatæ meæ fortunæ, in hac communi patriæ calamitate, haud

haud is ſucceſſus eſſet, quem vetus tua erga me benevolentia audire forſitan deſideraret. Tandem tamen illa Anabaptiſtarum tempeſtas videtur aliquantum conſediſſe. Et ego nuper ad Aſſeſſorium munus in Imperiali Judicio, Cæſaris ipſius ſpontaneo favore provectus, paulò melius de ſtudiis meis ſperare cœpi. Hoc forſitan te non paſſi ſunt latere *Hector* conterraneus meus, & *Franciſcus Rupilius*, quorum uterque tui obſervantiſſimus, ac mei etiam amantiſſimus ſemper fuit. Proinde mihi perſuaſum habeo, ut quanto magis diſcipuli ejus, qui tui fuit ſemper ſtudioſiſſimus, ſucceſſu gaviſurus ſis, tanto illi minus id te celare potuerint. Ex meo autem animo, colendiſſime præceptor, & tuum judico. Puto enim, cùm ego te præcipue amem ac venerer, me tuum viciſſim amorem promereri. Illud verò majorem in modum gaudeo, ac ſtudiis Juriſprudentiæ, eo quoque nomine gratulor, quod non contentus ea gloria, quam tibi per præclara monumenta celeberrimaſque prælectiones dudum comparaſti, pulcherrimum inſtitutum ſumma cum laude proſequi pergas, nec tantum ad veram Juriſprudentiam ætatis noſtræ ingenia traducas, ac viva quotidianaque voce formes, verum etiam cùm nobis auditoribus olim tuis, qui Lectione ſcriptorum tuorum ſatiari nunquam poſſumus, tum cunctis quaque terrarum commorantibus qui Juris ſunt ſtudioſi, poſteris denique omnibus novarum lucubrationum fructus impertiri mediteris. Et quanquam id ſciam te facere ſedulo, quæ mea tamen eſt privata tuorum ſcriptorum aviditas, non poſſum omittere, quin te exhorter ac obſecrem, ut ea maturius exire ſinas, ne quid te novæ iſtius hæreſis, quæ in Italia pridem exorta eſt, inſimulemus, videlicet, ut quod *Horatius* Poëtis præſcripſit, ut novum opus novum prematur in annum, id illi iſthic omne genus ſcribendi trahant. Cum hoc uno ſe præſtare *Protogeni Apelles* diceret, quòd manum ille de tabula neſciret tollere. Quando ergo tu τὰ πάρεργα deſines ἐργάζεσθαι? ubi τὰ συμβολαῖα latent, ubi *de rebus creditis*, & *de verborum obligationibus* commentarii? vide, mi *Alciate*, quot te nominibus litterariæ Reipub. obſtrictum putemus: neque te appellari ægre ferre debes, ſed adſcribes id ſummo tui librorumque tuorum deſiderio, quibus ego inter haſce forenſium cauſarum negotioſas diſceptationes

nihil profecto legam lubentius. Bene vale excellentiſſime præceptor. Spiræ. 27. Novembris an. 1535.

Ex A. Scburio in Epiſt. faſciculo. p. 328.

EPISTOLA LXX.

ANDREÆ ALCIATI.

Clariſſimo Jureconſulto & Cæſ. Conſiliario, domino Viglio Zuichemo, amico optimo.

Spiræ.

1536. *Ad proxime præcedentem epiſtolam reſpondet. Quibus ex capitibus Viglii ſibi literæ gratæ ſint. Applaudit, quòd ejus promotio virtuti non favori debeatur. Cur reliquas lucubrationes ſuas edere non feſtinet, rationes adfert. De adverſario quodam ſuo ac de J. F. a Ripa. Unus ſibi Viglius inſtar omnium eſt.*

HIſce Saturnalibus allatæ ad me ſunt literæ tuæ, quas alius fortè loco xenii accepiſſet, ego verò non aliter ac theſaurum quendam amplexatus ſum, quem cùm primis diebus tamquam pompam circumtuliſſem, amiciſque cum noſtris communicaſſem, diutiuſque in fagi folliculo habuiſſem, repoſui tandem in ſanctiore larario, ut ibi inter τὰ ἱερὰ ſervarétur. Nihil certe potuit mihi jucundius gratiuſque hiſce diebus contingere, non tam quòd elegantiſſimæ quodve humaniſſimæ eſſent hæ literæ, etenim hæc virtus tibi cum pleriſque eſt communis, quàm quod duplici alia commendabatur ratione. Altera quod amicitiæ mecum initæ memorem te, quamvis tanto terrarum intervallo videbam. Altera quod eum, quem amicum mihi ſciebam, ad altiores dignitatum gradus evehi lætabar. Merito ergo talem ego epiſtolam plurimi, ut debebam, feci: tibìque hoc nomine maximam habeo gratiam, qui cum cœlo amorem non mutaveris, quique *Alciati* tui etiam in optima fortuna fueris memor. Conqueſtus quandoque ſum, nimis ſæpe fieri, ut Principes

cipes dignitates & magistratus, procerum suorum potius quàm virtutis commendatione conferant: imò viros doctos plerumque aversentur, nec velint agnoscere. Revoco jam calculum, & querimoniæ finem facio. Unus mihi *Viglius* instar multorum est: qui Cæsaris ipsius spontaneo favore promotus est. Subintellexeram hac de re nescio quid ab *Hectore* (1) verùm tuæ literæ omnia copiosius, apertius, elegantius explicarunt. *Rupilius* (2) cùm paucos dies hîc fuisset Patavium reversus est. Veritus, opinor, est, ne morte Ducis *Sfortiæ* aliquis tumultus suboriretur: cum tamen pacatissima sint omnia. Hinc factum, ut ab eo nihil de dignitatis tuæ accessione potuerim intelligere. Quod mihi suades, ut cæteras lucubrationes meas edam, neve ejus hæreseos exemplum imiter, quæ in nonum annum premit, quamque pridem in Italia exortam esse ais. Ego certe hanc hæresim, si qua est, non magni facio: qui abortiva quædam etiam ediderim, qualia sunt quæ imberbi excidêre. Cur ergo, inquies, tamdiu nobis invides τὰ Πάρεργα? Non una est ratio. Illa tamen potissima, quod a me in angulum rejecta atque seposita, resumi in manus nequiverunt; quod occupationibus tribuendum, quæ mihi hic longè sunt majores, quàm trans Alpes erant. Adde quod vereor, ne si adversùs *Agathonis* præceptum faciamus, illudque dixerimus: τὸ μὲν πάρεργον ἔργον ὡς ποιούμεθα: consequens quoque illud sit ut dicamus, τὸ δ' ἔργον ὡς πάρεργον ἐκπονούμεθα. Quod si a me fieret, haudquaquam recte cum auditoribus meis agetur: essetque lectio mea σμερδαλέα, non qualiter tu accipis, sed qualiter in ludicro *Virgilii* est. *De rebus* vero *creditis*, *Verborumque obligationibus*, alia quoque ratio me deterret, ne Antisophistis tela adversus me præbeam: ne senectuti, si quæ ventura est, quietem otiumque aufferam: ne, cùm omnia publica effecero, nihil ipse privatim habeam: ne juvenibus, qui ex seniorum invidia gloriolam aucupantur, & viperarum more parentibus exitiosi sunt, dem quo genuinum frangant:

(1) *Hectore*] Hoxvirio, de quo alibi, & signanter in not. ad Vitam N. XLI.

(2) *Rupilius*] Franciscus, de quo pariter sæpius, V. ad Vitam N. XVII. ad 4. tom. 1. pag. 74.

gant: quos inter ille qui hîc profitetur, quem adoleſcentem noſti in Biturigibus, qui a me domi ſuſceptus, altus, ornatus, eruditus, promotus, hanc præceptori gratiam retulit, ut cùm primùm *Ripa* (3) huc appulit, cum eo conſpirarit, omnes ſchedas meas communicaverit, ambiguas voces in vulgum ſparſerit; breviter tanta me injuria affecerit, ut parum abfuerit, quin dolore & indignatione percitus, legalis ſapientiæ libris Loripedi deo commendatis, compedes Saturno ſuſpenderem, & me ruri conderem, ut dicerent præterientes, *Hic ſitus Alciatus 't.* Sed Dii meliora. Potius *Ripa* ipſe ſitus eſt. Incidit in μανίαν, unde conceſſit fato. (4) Nec dubito fore, quin & iſte quandoque ſimiliter afficiatur: eſt enim φύσει φρενιτικὴξ, conciliaveratque eos ὁμοιοπάθειαν. Sed quid ego hæc in ſinum tuum effundo, qui gravioribus negotiis occupatus, haud otium habes hujuſmodi auſcultandi? Et poſſum paucis te abſolvere, ſi ſimpliciter dicam, multis me cauſis moveri, ut editionem premam. Ne tamen tibi omnem ſpem hujus rei præcidam, hæ me rationes ita movebunt, ſi tu eas approbaveris. Alioquin dabo manus, & ſinam aliquid exire: quale eſt de *Verborum obligationibus*. Noſti enim

(3) *Ripa*] Joannes Franciſcus à. Juriſconſultus primi nominis. V. ad vitam eod. N. XVI. ad 5. p. 72.

(4) *Unde conceſſit fato*] Anno nempe 1534. Mortis genus ignoratum fuit hactenus. Hîc diſcis eum amentem obiiſſe. Apud *Franc. Sweertium in ſel. orbis deliciis p.* 180. hanc habes inſcriptionem ceu epitaphium inter Ticinenſia: *Joan. Franciſco de S. Nazario a Ripa. J. C. primi nominis ſenatori, Dux, Com. Palat. Helena Gentilis uxor, & VI. liberi.*

Hoc, hoſpes, potes æſtimare ſaxo,
Humani nihil eſſe non caducum.

Si quid lectorem offendit, aut certe remoratur in hac inſcriptione, ſcîat apud *Sweertium* vitioſa eſſe multa valde, quæ ne Œdipus quidem divinet. Sed ecce, opportunum accidit quod apud amicum forte fortuna inſpexi editionem anni 1625. Utor nempe editione anni 1608. In illa igitur ita: *Senatori Duc. Com. Palatino.* Quod eſt: *Senatori Ducali, Comiti Palatino.* Fuerit nempe ſenator Papiæ ſive Ticini. Qui ibi Senatores, hi a Duce Venetorum deputantur.

enim tu, quanti judicium tuum ſemper fecerim. Ego & illud quoque, quàm hoc merito fecerim: qui benevolentia, humanitate, candore tuo, adeo mihi places, ut jam nihili ingratos omnes pendam. *Scelera iſta, nefaſque Hac mercede placent.* Unus mihi *Viglius* inſtar omnium eſt, ut dixi. Vale. Ticini, v. kal. Februar. M. D. XXXVI.

ANDREAS ALCIATUS.

EPISTOLA LXXI.

Ex Tomo II. fol. 335.

CLAUDIO CANTIUNCULÆ (1).

Excuſationes adfert ex ratione officii aſſeſſorii, quod ad Claudium literas non dederit; daturum ſe ſpondet. 1535.

EQuidem hactenus, clariſſime doctiſſimeque *Cantiuncula*, minime ad te ſcribere diſtuliſſem, ſi idoneum habuiſſem argumentum, quo hoc officium auſpicarer. Nam, aut de novis, aut publicis rebus, non poterit non videri abſurdum atque ineptum, ſi quid ego ad te ſcripſero. Priſtina autem ſtudia mea forte aliquid ſuggerere poſſent, unde ſcribendi inter-

(1) *Claudio Cantiunculæ*] Is fuit Metenſis, primi nominis jurisconſultus, editis libris clarus, qui poſtquam aliquot annos Regiæ Majeſtati (*Ferdinandi*) a conſiliis fuit, aulicarum occupationum tædio ad quietem ſe compoſuit an. 1538. uti ſcribit *Viglius tom. 3. p. 82. vſa.* Quo anno natus aut mortuus ſit, pariter ignoratur. *Paul. Freherus in theat.* ejus lucubrationes recenſens, hoc ei ſcribit elogium: *In quo hoc eximium fuit, quod juriſprudentiam ac philoſophiæ cognitionem eloquentiæ conciliavit, copulavitque. Baſileæ primùm id fecit, ſummoſque in Jure titulos & honores eſt conſecutus. Poſtea philoſophorum veterum exemplo, peregrinationibus judicium confirmavit, ingeniique doctrinam adauxit. Ab Auſtriacis itaque vocatus Enſithemii in regio judicio deſignatus eſt Cancellarius, variiſque legationibus cum fidei dexteritate & induſtriæ laude perfunctus eſt. Fatis conceſſit admodum ſenex.*

terdum ad te occaſio eſſet, ni aſſeſſorii hujus muneris novus ac inſuetus labor, dum ſimul & Germanicam linguam, & forenſem praxim exactius diſcere, officiique mei penſa ſedulò abſolvere conor, nihil omnino vacui temporis ad alia legenda aut agenda relinqueret. Qua in re ſtudium meum ea etiam ratio non mediocriter excitat, quòd major ex præſenti conditione diſcendi occaſio ſuppetit, ea hodie ipſa minus ſtabilis eſſe videatur. Nam hoc Cæſareum Judicium cui vacamus, quàm tenui filo pendeat, minime te latere puto. Proinde etiamſi fortaſſis aliquid temporis ordinariis legitimiſque operis ſuccidere mihi liceat, attamen dum conſidero forte hanc opportunitatem, quæ non modicam Juris Civilis peritiam. & luculentum inprimis Judiciorum uſum præbet, brevi effluxuram: cæteris omnibus ſtudiis intermiſſis in id unum tota intentione incumbendum duxi, ut quandam Juris praxim mihi comparem, quæ poſt hanc finitam conditionem, ſive privato, ſive ad aliquod munus rurſus vocato, non contemnendum operæ pretium, rebuſque deinceps gerendis non leve adminiculum, adferat. Ita fit, mi *Cantiuncula*, non quidem ut non vacet ad te ſcribere, abſit enim ut tantum virum non pluris faciam quàm tantillum temporis quo id perfici poteſt: ſed ut minus idoneum ad te ſcribendi argumentum habeam, id quod non eſſet defuturum, ſi priſtinis ſtudiis indulgere liceret, videlicet ut aliquando vel diſcendi cauſa locum aliquem Juris ad te deferrem, & viciſſim ex Græcis Commentariis in Jus Civile, quæ ex Italia mecum attuli, tibi aliquid impartirem. Quamobrem, doctiſſime *Cantiuncula*, ignoſce, quæſo, quod hactenus nihil ad te ſcripſimus, idque non oblivione, ſed ea ſola de cauſa factum puta, quod nihil dignum, quod ad te ſcribi poſſet, hactenus habuerim. Nam otioſis ac vulgaribus nugis ſcribendi officium non eſſe auſpicandum exiſtimavi. Cujus tamen etiamnunc a te veniam rogare cogor, qui literarum primordia non magis apto argumento celebrem. Cum verò *Falcomontanus* (2) noſter tuo juſſu meam fidem appellaret, & taciturnitas mea tuæ benevolentiæ jacturam allatura

(2) *Falcomontanus*] Henricus, Collega *Viglii* in Aſſeſſoratu Spiræ, qui olim Biturigibus nepotum archiepiſcopi Trevirenſis præceptor fuerat. *Tom.* 2. *p.* 307.

tura videretur, & ad ſcribendum non ſatis idoneam haberem materiam: in hanc peccare partem malui, quàm nuper initam amicitiam repente, propria culpa ac ſilentio, dirimere. Quod ſi verò tu aut argumentum dederis, aut poteſtatem de quibuſlibet ad te ſcribendi feceris, ne mihi deinceps de materiæ defectu laborandum fuerit, nihil Hercle lubentius fecero, quàm ut crebrò literarum uſu tuam amicitiam, quam plurimi facio, conſtabiliam. Bene vale vir clariſſime. Spiræ x. Decembr. 1535.

EPISTOLA LXXII.

Ex Tomo II. fol. 337.

GEORGIO HERMANNO.

De Eraſmo Baſileam regreſſo. De Udalrico Zaſio defuncto. De filio Georgii apud procuratorem praxeos ediſcendæ gratia collocato. Viglii ad eum conſilia hortamentaque. Deplorat duorum amicorum totidemque patronorum amiſſionem. 1535.

NOviſſime ad te ſcripſi, præſtantiſſime *D. Georgi*, per eum qui filium tuum *Joannem Georgium* huc duxit, interea verò abs te nihil literarum accepi. Epiſtolam ad *D. Eraſmum* tibi mitto, ex tempore a me conſcriptam, quæ ſi tibi diſplicuerit, tuum erit mandare ut eam retexam atque accuratius componam. Mihi cum eo vetus durat familiaritas, atque ſcribendi conſuetudo, & ille non modò meum officium gratum habet, verumetiam crebrò reſcribit. Agit rurſus Baſileæ apud *Frobenium*, nec facile eum arbitror Friburgum repetiturum, nam Baſileenſe cœlum ſemper prætulit Friburgenſi, quod nuper nobis celeberrimum doctorem, ac mei amantiſſimum, *Udalricum* ſcilicet *Zazium* (1) ſuſtulit. *Joannes*

(1) *Udalricum Zaſium*] de quo dixi ad vitam N. XVIII. 2. pag. 75. Hic apponendum ex *Sweertio in ſel. orb. delic.* quòd Friburgi Briſgoiæ exſtat epitaphium: HULDRICHO ZASIO *J. C. ſuorum temporum toto orbe celeberrimo: hujus Academiæ ornamento*

*Ædibus. nes *Georgius* in iiſdem mecum * adhuc habitat. Omne autem ſtudium diſcendæ praxi gnaviter ſe impenſurum pollicetur, & ego fundamenta forenſis uſus monſtrare illi cœpi, atque inprimis ordinationes Imperiales legendas ei propoſui, in quibus fere conſuetudo & ſtilus Germanicorum Judiciorum, & hujus potiſſimum tribunalis continetur. Cum *Reifftoch* per occaſionem rurſus agam, ut eum in ſuas ædes admittat. Id ſi denegabitur, ſaltem impetraturum me ſpero, ut ingredi ei ad aliquem liceat, ac apud eum acta evolvere, & Protocollum (uti nos vocamus) inſpicere, idemque ut materiam aliquam, interdum præbeat, in qua ipſe ſe exerceat. Certè diſcendi occaſio hîc illi deeſſe non poteſt, modò ipſe ſibi deeſſe non velit. Hoc autem tute per te ſatis ſapere ac intelligere potes, quàm ſit procuratorum iſtorum, multis variiſque negotiis occupatorum, faſtidioſum genus hominum. Nam docendi certè moleſtiam minime ſuſtinent, & valde ſe alicui gratificari videri volunt, ſi ad cauſarum ſuarum ſecreta quempiam admiſerint, & diſcendi facultatem conceſſerint. Itaque qui apud eos proficere aliquid volet, neceſſe habet, ut ipſe omnem occaſionem obſervet, non calcaria expectet, ſed ſua ſponte currat; non ducem monſtratoremque quærat, ſed aliorum veſtigia ipſe per ſe ſtudioſè perſcrutetur. Denique opus eſt, rem ut hic ſuam agi cogitet. Idem ego nonnumquam *Joanni Georgio* inculco, ut ſi velit diligentiæ ſpecimen edere, & fidem tibi datam præſtare, quod & ætas ejuſdem monet atque poſtulat, ne aliena juſta atque præſcripta expectanda ſibi ducat, ſed ipſe aliorum conſilia, actiones, rationeſque obſervet; non intellecta notet, per occaſionem ultro quærat; ac earum rerum, quarum in foro uſus eſt, quaſi commentarium aliquem conficiat, &, ut nunc loquimur, formulare; quæque in quotidianum Judiciorum uſum incurrere videt, ad Legum textus

mento ſingulari: & Reip. Friburg. in reſtaurando jure municipali jam olim ſtrenuam operam navanti, aliiſque multis nominibus de ſe bene merito: Magiſtratus officii memor fieri juſſit. Conceſſit naturæ anno Salut. CIↃ. IↃ. XXXV. VIII. *Calend. Decembr.*

Zaſius hic ſitus eſt: cujus ſchola (*in*) jure peritos.
Tot dedit, armatos Tros quot equus Danaos.

textus ac rationes expendat. Mihi profectò nihil poterit esse gratius, quàm si eum sponte id conari videro, nam omne discendi fastidium & molestiam discentis aufert cupiditas, ut contra molestissimum est eum docere, qui rogandus est atque compellendus, ut velit discere, præsertim si in ea ætate constitutus sit, quæ ab præceptoris metu soluta est. Proinde non alia ratione magis *Jo. Georgius* noster proficere poterit, quàm si id ipse conetur. Nam discendi profecto maximam hîc occasionem facultatemque habet, modò voluntas prompta adfuerit, quam & ego quotidiana cohortatione excito, & quo tua apud eum major est authoritas, eo sæpius id te facere, non abs re fuerit. De *Christophoro Hagero* (2) nimis fuere vera quæ nunciasti, nam & illum in fata concessisse, ab aliis nobis postea relatum est. Quotidianus autem hic amicorum casus graviter me commovet, inanibus tamen lamentationibus apud te supersedebo, ne quid doloris tibi de mea tristitia aspergam, hoc præsertim tempore (si modo verum est, quod hîc nobis nunciatum est, atque utinam non sit verum) cum tuus recenti vulnere concussus animus, consolatione magis refocillandus, quàm aliis querelis exacerbandus sit. Et ego sane duorum amicorum *D. Wolfgangi*, & *Christophori Hageri*, tum duorum patronorum *D. Zasii* & *Raymundi* obitu (3) ita fracto dejectoque sum animo, ut præ ægritudine plura scribere non possim. Tu verò etiamsi dolorem penitus cohibere non potes, quod neque ipse possum, valetudinem tamen tuam cura diligenter, ut tot mihi repente ereptis amicis, te unum sal-

(2) *De Christophoro Hagero*] dixi ad Epistolam. *Gaspari Ursino Velio* inscriptam, datamque ex Patavio VII. Cal. Aprilis 1532. V. Sup. ad Epistolam XXIV.

(3) *Raymundi obitu*] D. Wolfgangum qui proxime præcedit, divinare non potui, quod *Viglius* inter amicos numerarit *Wolfgangos* plures, uti *Beringerum*, *Hungerum*, *Andream Remum* & *S. Raymundum* porro detexi, nempe *Fuggerum*, denatum 3 Decembris 1535. ætat. 47. Vide genealogiam *Fuggerorum* Germanico idiomate, adjunctisque singulorum iconibus æri incisis, publicatam Augustæ Vindelicorum anno 1619. in fol. pag. 8.

ſaltem ſuperſtitem aç ſalvum habeam. Datum Spiræ. XI. Decembris an. 1535. Conjunxi epiſtolam ad *D. Joannem Ferenberger*, eam cùm oportunum erit, illi reddes, meque iterum atque iterum commendabis.

Ex Tomo II. fol. 342.

EPISTOLA LXXIII.

JOANNI CHOLERO.

1535. *Excuſat apud eum ſilentium ſuum ſeſeque commendat. De conditione Monaſterienſi quam laudat. De Anabaptiſtarum rege obſeſſo.*

VEterem ad te ſcribendi conſuetudinem, Præpoſite clariſſime, graviſſimis difficillimiſque, hiſce temporibus & negotiis, in quæ malo aliquo meo genio pertruſus ſum, interceptam eſſe non potero non dolere: ſi tua in me benevólentia meum ſilentium aliquid detraxiſſe ſenſero. Ego enim quantopere fuerim tuæ amicitiæ ſtudioſus multæ meæ e Patavio ad te datæ literæ documento eſſe poſſunt. Nec affectum vel mutavi vel diminui, etſi ſcribendi officium a me intermiſſum ſit. Quanquam autem *Georgium Hermannum* nonnunquam de meis rebus certiorem feci, attamen tibi veritus ſum ea ſcribere, quod me, cùm ſuſceptæ inconſultò conditionis pudor impediret, tum etiam læti exitus hujuſce tragediæ expectatio ſuſtineret. Verùm cùm res hæc in longum extrahatur, & ne quid tuus affectus meæ taciturnitatis culpa labefactetur, timeam, occaſionem ſcribendi nactus, mei apud te memoriam renovandam duxi. Rogo itaque, mi *Cholere*, ut *Viglium* veterem apud te locum retinere patiaris, qui tui eſt quantum unquam amantiſſimus. Si quando verò cum *Joanne Georgio* fuiſti, puto te intellexiſſe ubi, quidve agam, & quàm dubiam ſequar conditionem Antiſtitis Monaſterienſis, qui idem Oſnaburgenſem, Mindenſemque Eccleſiam ſimul adminiſtrat, jamque pene totum annum in oppugnanda potiſſima Weſtphaliæ urbe Monaſterio, ab ſceleratis Anabaptiſtis occupata, laborat. Quæ res totam inferiorem Germaniam magno metu concuſſit, omneſque Prin-

cipes

cipes in ſtatuum ſuorum conſervationem excitavit, quum illa ſecta non religionem modò, ſed dominia regnaque omnia bene ac legitime conſtituta, evertere moliatur. Cum autem multum impendii in oppugnanda obſidendaque urbe, Antiſtes meus, vicinorum Principum ope atque auxilio adjutus, fruſtra feciſſet, tandem amiſſa pene ejus per vim potiundæ ſpe, obſidioniſque genere mutato, eò ſpectatur, ut fame edomentur, qui ferro vinci non poſſunt. Principeſque vicini ac Electores nuper etiam apud Confluentiam hanc perditiſſimam ſectam collatis viribus extirpare decreverunt. Et, ſi vera referunt qui ex urbe vel capiuntur vel fugiunt, propediem eorum ferociam fames compeſcet, jam enim ajunt equinis eum carnibus veſci, magnaque vulgum laborare inopia, tametſi rex ille novus, qui antea ſartor erat, prophetæque & authores impiiſſimæ hæreſis, ſplendide interea victitent, ſeveroque imperio cæteram turbam nequid adverſus eos audeat, coerceant. Verùm de hac tragedia plura aliquando, ſi modò Deus fælicem optatumque finem imponere dignabitur. Quod quidem ſi fiat, minimè me hujuſce conditionis pœnitebit. Nam ſalarium non contemnendum Princeps addixit, quod etiam nunc bona fide atque prompte exolvitur. Cupio intelligere ecquid tu valeas, & anne veſtri cives alienis periculis cautiores ſedatioreſque fiant. Literas licebit *Georgio Hermanno* committere, qui ad me veteri more ſcribere pergit. Vale, & ſi quando erit opportunum præſtantiſſimis *Fuggeris* me etiam atque etiam commenda. Dulmaniæ. Die Epiphaniæ domini. 1535.

EPISTOLA LXXIV.

Ex Tomo II. fol. 344.

JOANNI CHOLERO.

Excuſat ſilentium ſuum. Quo conſilio ſuſceperit munus officialis. De tumultubus Anabaptiſticis, obſeſſo Monaſterio, & Waerendorpio recuperato. 1535.

VEreor, *Cholere* clariſſime, ne tibi meum ſilentium ſiniſtram aliquam ſuſpicionem excitarit, cùm tam longum

elapſum ſit tempus, quod literarum nulla inter nos fuerit viciſſitudo. Cujus equidem culpa ad me propius pertinet, quod ego incertis conſtitutus regionibus, hactenus fuerim, tu verò celebri oportunoque deſtinandis literis loco moram trahas. Verùm, mi *Cholere*, illa mihi non minima hujus ſcilicet ſilentii cauſa fuit, quòd cùm periculoſæ memet provinciæ mancipaſſem pudebat apud te conſilii mei, quod quidem, ſi ad te aliquid ſcripſiſſem, celare minimè me debere conſiderabam, & ſperabam fæliciorem ſemper ejus ſucceſſum exitumque, quò inde minus reprobares. Verùm quando vetus proverbium vult, etiam tempore, & ſilentio præſcribi amicitiæ, malo inſtitutum meum a te reprehendi quàm amicitiam, διὰ τὴν ἀπροσηγορίαν periclitari. Quanquam arbitror, ſi quando illic fuit *Georgius Hermannus*, vir multis modis præſtantiſſimus, noſtrique amiciſſimus, ab illo te, quæ mea nunc ſit conditio & fortuna, intellexiſſe, cùm creberrime copioſiſſimeque ad illum ſcripſerim. Ego autem (uti ſcis) id diu habui propoſiti, ut me ad forum aliquod transferrem, ac Juris qualiquali ſcientiæ praxim adjungerem. Quod equidem ut mihi propius vobis contingeret optaram, ſed voto illic meo non ſuccedente, cùm communicaſſem conſilium Coloniæ cum quodam conterraneo meo, Doctore *Joanne a Dockum*, viro gravi & prudenti, quique multis annis Aſſeſſorio munere functus fuit: non deſiit is me cohortari, ut munus quod tunc vacabat, & cui ipſe juſſus erat idoneum aliquem deligere, ſuſciperem: id erat ut Officialis fierem Epiſcopi Monaſterienſis. Nondum eruperat hoc Anabaptiſticum ulcus, & honorarium non erat minimum, occaſio ampla, ut quod cupiebam in foro memet exercere commode poſſe viderer. Haud multo poſtquam in id munus conſenſi, dum adhuc apud parentes ago, oboritur Monaſterii tumultus ille fatalis, in quo, exactis omnibus bonis civibus per Anabaptiſtas urbs occupatur, cujus rei famam arbitror ad vos etiam permanaſſe, nam Epiſcopum noſtrum Principes vicini omnes adjuvant, quò hanc Lernam expugnet atque expurget. Sed Urbs ab Martio uſque menſe obſeſſa, aliquotieſque tentata capi hactenus non potuit. Cùm verò per æſtatem, proxime mœnia exercitus eam obſideret, nunc mutatum eſt obſidii genus, miſſiſque cæteris militibus, retenti ſunt 35000., qui præſidiis impo-

impoſiti prohibeant ne urbe Anabaptiſtæ excurrant, commeatumque hoſtes inferant. Nam propugnacula ſeptem in hoc diligentiſſime munita ſunt. Dum verò obſeſſi vident propoſitum eſſe fame eos edomare, alia tentarunt conſilia, nam XIIII. Menſis Octobris in vicinis urbibus Groningæ, Daventriæ, Suſati, Oſnabrugæ, Coeſſeldiæ, Varendorpii, multiſque aliis locis apparuere emiſſarii illorum ſingulis locis 6. aut octo qui illic occupatis templis cœpere phanatico more inclamare, ut pœnitentiam homines agerent, ſeſe a patre miſſos, ut annuncient imminere ſubitum periculum ni ſeſe convertant, multaque alia plane inſana. Dum verò jubentur ſilere, urbeque excedere, contemnentes juſſum Magiſtratuum, comprehenſi pene ſunt omnes. Id dum vident, in ſingulis ſodalitiis unus prophetam mentiens, nummum aureum octo florenis æſtimabilem in teſtimonium contempti ab illis Evangelii abjecit. Varendorpii pene illis ſucceſſerat conatus, id eſt oppidum Monaſterienſis ditionis, ädjacens Amaſo fluvio, tribus miliaribus diſtans a Monaſterio, ſeptem a Padeborna, nam ex Monaſterio Padebornam illuc iter eſt. Ejus autem urbis cives jamdudum intenti fuerant in rerum novationem, & hanc nacti occaſionem, parabant ab Epiſcopo deſciſcere. Verùm is contracto repente milite, collectiſque agreſtibus, primùm Amaſum fluvium ab illis avertit, poſt ingentes ante urbem machinas ducit. Itaque conterritis oppidanis, nonnulli eorum quibus diſplicebant mala conſilia, Emiſſarios comprehendunt, ac Epiſcopo portas aperiunt. Immiſſus Princeps talia illic edidit exempla, ut arbitremur haud facile alios idem factum imitaturos. Ego autem his turbis initio commotus quærebam quo pacto me ab hac conditione extricarem; ſed Princeps id non eſt paſſus, juſſitque me bono eſſe animo, & locum interea tranquillum deſignavit, ubi Jus dico. Et ne quid quererer, de ſalario hactenus providit, nec me adhuc multum pœnitet hujus muneris. Quod te ignorare nolui, cùm ſciam te pro tua erga me benevolentia ob diuturnum meum ſilentium, nonnulla de me ſollicitudine angi. Bene vale, præſtantiſſime, colendiſſimeque Domine Præpoſite. Dulmaniæ in Weſtphalia. Nonis Januarii anno 1535.

Ex Tomo II. fol. 348.

EPISTOLA LXXV.

JOANNI CHRYSOSTOMO ZANCHO.

1536. *Laudat Zanchum ob panegyricum Cæſaris. De Inſtitutionibus græcis excuſis. De aſſeſſorio munere. Dolet literarum ſtudia peſſumire ob nova dogmata. Extollit Matthiam Heldt.*

SIngularis tua eruditio & humanitas ita me ſæpenumero coram me affecit, ut & diſcedentem te Patavio Ravennam, gravi interruptæ mutuæ conſuetudinis dolore perſequerer, & nunc etiam ſubinde tui deſiderium recurrat. Ubi verò tuam reperi epiſtolam, junctam literis D. Matthiæ Procancellarii, dici me Hercle non poteſt, quanta ſim voluptate perfuſus, quòd nondum apud te *Viglii* memoriam abolitam, & te vivere valereque & deſiderato ſtudiorum otio frui, ex illis certò cognoſcerem. Meæ autem res ita uti ex *Logo*, atque *D. Mathia* intellexiſti, ſunt in mediocri ſtatu. Nam hæc functio, quæ Cæſaris beneficio hîc mihi obtigit, in Germania noſtra cumprimis honorata ac compendioſa cenſetur. De Panegyrico te laudo, qui ſtudia tua ad Cæſarem ornandum contuleris. Neque te ejus operæ pœnitebit, ſed occaſio expectanda; ac etiam aliquid quærendum quod Cæſar tibi roganti citra ſuam jacturam donare poſſit. Eſt enim propria quædam in Regum, Cæſarumque aulis liberalitatis ſpecies, ut non nummos, ſed honores ac quæ vocant beneficia donent. *Petrei* Epigrammata nondum mihi hic videre licuit. Inſtitutiones Græcas, quas *Bembus* mihi communicarat, *Frobenio* edendas tradidi, & poſt eum Lutetiæ quidam denuo eas excudit, ac in Germania, Galliaque ab ſtudioſis cum plauſu receptæ ſunt. *Bembo* eas meritò acceptas tuli, neque enim ingenui animi fuiſſet, tanti beneficii authorem diſſimulare. Alia quæ tua opera nactus ſum, curabo ut aliquando quoque lucem videant. Nunc autem in has curas actioneſque forenſes, pulcherrimas illas quidem ſed permoleſtas, primùm ingreſſus priſtina ſtudia ad tempus intermittere cogor. *Eraſ-*

mus

mus adhuc vivit & valet, ſuperiore æſtate Baſilæam remigravit, ac nuper de ratione concionandi libros quatuor emiſit. Studia autem literarum, quantâ antea contentione in Germania ſurgebant, tantâ nunc rurſus peſſumeunt, cùm per nova dogmata, lingua latina apud vulgum ſimul cum veteri religione in ſummum contemptum deducta ſit. Notum eſt autem illud, *bonos alit artes*. Et cùm antea ex Eccleſiarum proventibus præclara ingenia ad diſcendas literas, liberaleſque artes enutrita fuerint, nunc illis paſſim prophanatis, direptis ac compilatis, ſumptus ad perſequenda ſtudia deſunt. Quod *D. Mathiam* ſalutaveris, recte a te factum eſt, nam is profectò vir, non integritate tantum, ſed omnigenis quoque diſciplinis præſtantiſſimus, & aulæ Cæſareæ præcipuum decus habetur. Cui tu te ſatis commendatum eſſe puta, ſi des operam, ut te propius noſcat, quum doctorum virorum ſua ſponte amantiſſimus ſit. Vale. Ex Spira 4. Calend. Mart. anno 1536.

EPISTOLA LXXVI.

GEORGIO FUGGERO.

Ex Tomo II. fol. 349. vſo.

Commemorat dolorem ſuum quod Georgius parentem ſimul & præceptorem amiſerit, eumque hortatur, ut ſtudiorum curſum non interrumpat. 1536.

CUm eſſem jam defunctus, chariſſime *Georgi*, periculoſa illa permoleſtaque provincia apud Præſulem Monaſterienſem, atque ad Aſſeſſorium munus Spiram vocatus, quietem tandem ſperarem, ita multis principio curis, noviſque & inconſuetis laboribus fui obrutus, ut optati otii fructus nondum mihi obtigerit. Eis tamen literis quas *Philippus a Phenningen* ab *D. Chriſtophoro* * attulerat, aliiſque a vobis antea ad me datis reſpondere parabam. Sed cùm acceptiſſem nuncium de illius obitu, ſublata fuit ſcribendi cauſa, & ad vos aliud literarum ſucceſſit argumentum, triſte profectò, & a quo juſto commotus dolore, ob optimi amici præmaturum fatum, abhorrui. Interea verò alius ſecutus eſt nun-

* *Hagero*, Georgii præceptore.

† *Raymundi Fuggeri.*

nuncius mihi profectò æque acerbus, vobis dubio procul omnium triſtiſſimus, de parentis † è vita diſceſſu. Cùm itaque hiſce caſibus futurum exiſtimarem, ut ſtudiorum conſiliorumque veſtrorum inſtituta aliò flecterentur, nova fuit non ſcribendi ad vos mihi cauſa. Sed tamen jam aliquo effluxo tempore quod & dolorem veſtrum lenire debuit, & quo jam in poſterum vivendi rationem conſtituere potuiſtis, officium a vobis meum diutius deſiderari non ſuſtinui. Non lubet autem tibi, mi *Georgi*, meum nunc ex utriuſque obitu ſuſceptum dolorem exponere, aut tuum verbis mitigare. Serum enim atque intempeſtivum hoc meum officium fuerit, ad quod ita uti decet tractandum non ſatis ſum idoneus. Sed quanquam nihil putem opus eſſe, id tamen pro veteri noſtra familiaritate te volui hortari, ut quando ita Deo viſum fuit, ut utroque vitæ rectore parente ſimul atque præceptore orbaberis, tu ipſe tuam intueare ætatem. Quæ jam ad Adoleſcentiæ metam pertingens, virilem a te propediem animum requirit, ſcilicet ut tuæ ipſe modum ſerves, tuis ipſe negotiis commodiſque intendas, & ſine cortice (quod dicitur) natare aſſueſcas. Pulcherrimum autem iſtum ſtudiorum curſum nullo caſu interrumpi patere, cùm eos jam progreſſus feceris, ut privata inſtitutione haud adeo multum tibi ſit opus, publicis vero Doctoribus Italica Gymnaſia abundent. Hæreditatem verò ita amplam creviſti, ut & librorum ditiſſima ſupellectile inſtruere te valeas, cæterique literarii ſumptus uberrime ſuppetant. Nec deſunt interea legitimi curatores patrimonii tui, qui ei augendo diligentius quàm tu ipſe queas invigilent. Quorum ſi te fortaſſe voluntas ab literis revocarit; tu tamen da operam, mi *Georgi*, ne tot annorum ſtudia tibi depereant. Latine autem loquendo ſcribendoque parata facultas utcunque retineri poteſt. Neque ullus erit dies, cui tu non queas, quantumcumque aliis intentus negotiis, horulam decerpere, quam alicui egregio ſcriptori legendo impendas. Lectio autem etſi non multa, attenta tamen, plurimum ſtilum adjuvat. Bene vale & me ama. Ita autem me a te amari intelligam, ſi de reliquæ vitæ tuæ propoſito aliquid ad me ſcripſeris. Datum Spiræ. Calendis Martiis anno 1536.

EPI-

EPISTOLA LXXVII.

Ex Tomo II. fol. 351. vſo.

JOANNI JACOBO FUGGERO.

Excuſat ſilentium ſuum. Mortem plurium amicorum & patronorum dolet. Hortatur ad non omittenda prorſus ſtudia, latineque ſcribendum. 1536.

TAm longum fuiſſe mearum ad te literarum intervallum, ne ſis admiratus, mi *Jacobe*, nam ego ſanè antea apud Præſulem Monaſterienſem variis legationibus, multiſque & difficillimis negotiis, uti ipſe æſtimare potes, impeditus, ad privata amicorum obeunda officia non ſatis habui temporis, otiique. Ubi verò moleſta illa ac laborioſa me explicaſſem provincia, ſucceſſêre nova migrationis incommoda, & curæ actioneſque forenſes, & inconſueti Judiciorum ſtrepitus, quibus denuo ſcribendi officium interceptum aut certe dilatum fuit. Ubi illis quoque utcunque defunctus eſſem, ecce mihi triſtiſſimus adfertur nuncius, primùm de morte Doct. *Wolfgangi Beringeri* apud Patavium, mox alius de morte *D. Chriſtophori Hageri*, ac deinde de *D. Zaſii*, parentiſque tui obitu. Quibus repentinis coacervatiſque optimorum amicorum patronorumque caſibus ita fui perculſus animi, ut ad ſcribendum non ſatis me componere poſſem. Et quanquam is dolor propius te tetigerit, quippe qui uno prope tempore & præceptorem eruditiſſimum; fideliſſimumque, & parentem virum præſtantiſſimum, amiſeris, conſolationiſque officium nos tibi debuerimus: ego tamen, mi *Jacobe*, partim proprii doloris impatientia, partim quod vererer, ne mœroris tui magnitudo noſtræ orationis imperitia non tàm cohiberetur, quàm incitaretur, hactenus nihil ſcripſi. Nunc cùm ipſum tempus illis vulneribus cicatricem obduxerit, & te paternorum negotiorum moles ad alias cogitationes vocet: non putavi mihi committendum, ut veterem noſtram familiaritatem taciturnitas extingueret. Neque tamen triſte illud ſcribendi argumentum tractare poſſum, ſed id malo agere, ut te admoneam, noſtram principio amicitiam ex ſtu-

diis ortam liberalibus eiſdem quoque maxime retineri poſſe. Scis id jam accidiſſe quod ego dudum ſum veritus, ſcilicet ut patrimonii adminiſtratio maturius te ab literis revocaret. Sed tu, mi *Jacobe*, qui non contemnendum in diſciplinis profectum feciſti, ſic tecum animo reputare debes, literas non ad ſolas Scholas & Gymnaſia pertinere, ſed omnem locum ſtudiis idoneum eſſe. Et quanquam non omni tempore otium diſcendi ſuppetit, ſtudiis tamen ſemper aliquid literis decidere licet. Illud verò inprimis ſuadeo, ut cùm latinè loquendi facultatem tibi paraveris, eam quandocunque tibi doctorum virorum copia eſt, ſedula exercitatione conſerves. Etenim non tantùm hac ratione, quæ in literis didiciſti, fidelius memoriæ hærebunt, ſed exiſtimationem tibi non modicam conciliabis. Quando iſtius tuæ ſplendidæ fortunæ nullum majus ornamentum ipſis literis eſſe poteſt. Stylo autem, hoc eſt, latinis ſcribendis literis, non modò iſtam linguæ latinæ facultatem facile retinebis, ſed locupletiorem etiam reddes. Quamobrem noli omittere quin æqualium tuorum, quos vel in Gallia vel Italia noviſti, amicitias ſcribendis literis latinis retineas. Haud alius me Hercle in hac vita jucundior ulla ex re fructus eſt, quàm ex abſentium amicorum epiſtolis. Voluptatem verò augere debet utilitas, quum multo ſtylo vires & incrementum, doctrina accipiat. Ignoſces libertati meæ qui te moneam familiarius. Cùm enim ita erga me ſemper affectus fueris, ut meis aliquid conſiliis tribueris: in hoc ætatis tuæ ſtudiorumque fluxu, quo ab literis ad patrimonium adminiſtrandum vocaris, ut aliquem ſaltem earum fructum retineres, de iſtis te commonefaciendum duxi. Scripſeram aliquando ad te de Civitatum Italiæ ſtatutis. Cupio ſcire ecquid a te effectum ſit. Quod ſi cum tuis libris aliquid ejus generis ex Italia attuleris, eoque me impertiri volueris, non erit difficile committere alicui eorum, qui veſtra Auguſtæ negotia gerunt, ut inde id huc mittatur. Curabitur autem id a me diligenter, ne hoc tibi beneficium pereat. Bene vale, & patruum tuum D. *Antonium* plurima meo nomine ſalute imperti. Datum Spiræ. Calendis Martiis anno 1536.

EPI-

EPISTOLA LXXVIII.

Ex Tomo II. fol. 355.

HADRIANO MARIO (1).

Ejus Laconiſmum caſtigat. Joannis Secundi baſia laudat. Cum Germanis ſibi bene poſſe convenire, ſi de religione diſſidia ponerentur, declarat. 1536.

BEllè me Hercle diluis quæ objeceram. Omnino arbitror te in foro iſto veſtro hoc deſidiæ patrocinium didiciſſe. Atque, mi *Hadriane*, cur tu te tandem ad garrulam iſtam rabularum ſocietatem contuliſti, ſi adeo tibi placet τὸ βραχυλογεῖν καὶ μονοσυμβεῖν Dignus profectò mihi videris cum iſta tua Laconica brevitate, qui in imo ſedeas ſubſellio, a nemine advoceris, ac egregie tandem eſurias. Nam quid iſtud tuum in foro faciat breviloquium? Apage ad *Areopagitas*, nam ſi hic velis cauſas dicere, memineris *Catoniani* quod olim unà didicimus: *Foro te para.* Si epiſtolas quoque nihil vis eſſe, niſi gravium ac ſeriarum rerum indices, jam ſecundùm te omnis inter amicos ſcribendi conſuetudo abolenda erit, quum inter eos vix centeſima pagina quicquam ſerii contineat: & in hoc ſolum amici mutuò ſcribunt, ut amicitiam quam plerumque ἡ ἀπροσωπολία dirimit, iſthoc officio retineant. Quæſo te, an non putas longas poſſe literas ſcribi, niſi continuo novis commenticiiſque rebus infarciantur? Ignoſcerem ſi quis ex populo ſic ſe excuſaret. At non pudet te qui omnem ætatem in literis conſumpſiſti, ac locupletiſſimum optimarum diſciplinarum penum comparaſti, tam parcum eſſe literarum promum, ac queri, res tibi ad ſcribendum deeſſe? Nolo equidem ego, o bone *Lacon*, Iliada. Atqui etiam non conveniunt epiſtolis nuda, ſolaque apothegmata: nolo indices iſtos tuos, epiſtolas volo, aut prolixiores aut crebriores, de familiaribus rebus, deque ſtudiis quæ a puero conjuncta, in ulteriorem ætatem proferre mutua communicatione literarum nos addecet. Sed deſunt tibi ſcili-

(1) *Hadriano Mario*] V. Not. ad Vitam N. XLI.

ſcilicet iſthic tabellarii, cùm hic publici currus manſio ſit, & quotquot vel in ſuperiorem Germaniam vel in Italiam proficiſcantur, ſive ad Cæſaream, ſive ad Regiam M. hâc tranſire neceſſe habeant. Quamobrem tu aut alias dicito cauſas, aut deinceps prolixius crebriuſve ſcribito. Riſiſti meum *Archilochum*, age verò, ſi pedibus parum poſſum, equis in planiciem deſcendam, & ſi *Archilochus* (2) eſſe non poſſum, fiam *Hipponax*. (3) An tu ſola carmina mordere putas? Atqui orationi non deeſſe dentes, *Ciceronis*, aliorumque invectivæ oſtendunt. Sed minarum ſatis. *Baſia* fratris tui (4). magna cum voluptate legi, miratuſque in eis maxime ſum cùm copiam inventionemque, tum venuſtatem atque ipſam Venerem, quam ille profectò bene propitiam habere debuit, ut tantam & tam ſuavem ei baſiandi materiam ſuggereret. Habeo autem multam pro eis gratiam, & referre etiam per occaſionem ſtudebo. Gaudeo fratres ſalvos ex Hiſpania rediiſſe. Quàm velim tibi Friſia mea ita adlubeſceret, ut perpetuo illic morari animum induceres. Ex eo enim inter nos & ſcribendi, & conveniendi major eſſet oportunitas, cùm ego illic parentem adhuc utrumque in vivis habeam. Functionem hic, mi *Hadriane*, nactus ſum cum primis ſplendidam, nec quicquam deeſt, niſi quod non ſit perpetua, alioqui de alia ne cogitare quidem unquam velim. Reddit tamen me interea idoneum, ut ubi opus erit, aliam conditionem facilius invenire queam. Cum ſuperioris autem Germaniæ ingeniis ſatis mihi convenire poſſet, ſi iſta aliquando de religione diſſidia ponerentur: quanquam certe inferior natio noſtra non minus gravi *Anabaptiſtarum* ſecta concutitur. Bene

(2) *Archilochus*] Poëta græcus, primus inter eos, qui Jambos ſcripſêre, in quibus ſumma vis, elegantia ac vibrantes ſententiæ. *Car. Steph.*

(3) *Hipponax*] Poëta Epheſius, qui in pictores quoſdam, quòd deformem ſuam ac fœdam faciem publicè expoſuiſſent deridendam, tam acriter invectus eſt, ut aliquot ex illis ad ſuſpendium adegerit. *Idem.*

(4) *Baſia fratris tui*] Joannis Secundi *Baſiorum* librum intelligit, in quo plurima laſciva ac obſcœna legi, notatur in *Bibl. Belg. Val. Andreæ*. Quæ *baſia* tamen miriſice extollit Viglius in Epiſt. quæ eſt ordine CXIX. *ad Joannem Jacobum Fuggerum.*

Bene vale, *Adriane* amiciſſime, & fratres tuos meo nomine reſaluta diligenter. Spiræ. XII. Martii. 1536.

EPISTOLA LXXIX.

Ex Tomo II. fol. 358.

BONIFACIO AMERBACHIO.

Commendat ei Udalrici Zaſii ineditas elucubrationes. De vulgato ſub Alciati nomine alieno fetu. Vota pro Eraſmi incolumitate.

1536.

AMicè facis, doctiſſime *Amerbachi*, qui tuis me literis per occaſionem impertias. Ut *Zaſii* mortem doleo, ita memoriæ ejus gratulor, quam eleganti Epitaphio *Eraſmus* celebravit. Illud autem tuum eſt officium, mi *Amerbachi*, ut ejus viri, quem viventem obſervaſti, monumenta, quæ ille propter ætatem atque occupationes in lucem emittere diſtulit, ab interitu conſerves, vindiceſque. Cum enim uſque ad extremam provectamque ſenectutem ſtudiorum labores indefeſſe continuaverit, non dubito quin plura annotarit congeſſeritque ſtudioſorum lectione digna. Ego dum in hoc judicio verſatus ſum, apud pleraſque cauſas, quibus ille patrocinatus eſt, præclara aliquot ejus conſilia legi. Quæ ſi colligerentur ederenturque, dubio procul non leve momentum ad forenſium actionum uſum atque peritiam conferrent. Prodiit his nundinis ex Colonia liber qui *Proceſſus Judiciarius Alciati* inſcribitur, quem de fronte conſpectum confeſtim ſubditicium eſſe animadverti: nihil enim unquam *Alciatum* tale meditari cognovi. Ubi verò penitius inſpexi, comperi non aliud eſſe quam quandam ſpeculatoris noſtri Epitomen, atque *Alciatum* etiam illic citari. Adeo nihil pudet typographos cum aliena fama ludere, & quæſtus ſui gratia, falſis titulis ſtudioſis imponere. *Alciato* ne quid rurſus adferat incommodi hoc bellum quod apud Inſubres renovatur, valde vereor: ac exitus docet, conſultius eum fuiſſe facturum ſi in Patavinam Academiam ad quam a *Bembo* aliiſque, magnis ſtipendiis invitabatur, ſeſe contuliſſet. D. *Eraſmum* convaleſcere gaudeo. Et ut diu vivat valeatque faxit Deus Opt.

Max. Si quando apud eum oportunum erit, rogo ut de meliore nota me ei commendes. Bene vale Eruditiſſime *Amerbachi*. Spiræ. Pridiæ Paſchæ anno 1536.

Ex Tomo II. fol. 361.

EPISTOLA LXXX.

MATHIÆ HELD.

1536. *Commendat Doct. Joannem Fichardum. Pollicetur reſponſum ſuper oblata ſibi affinitate Mathiæ.*

SCripſit ad me ex Francofordia Doct. *Joannes Fichardus* (1) conſtituiſſe ſe Cæſaris aulam accedere, &, ut eum mea commendatione apud te adjuvarem, petiit. Quod equidem officium, clariſſime *D. Mathia*, non potui ei denegare. Quanquam enim ille ſcribat: *Quem cui commendes etiam atque etiam aſpice*; id tamen aliorum apud me de ipſo eulogium anteceſſit, ut de eruditione & probitate certe eum tibi laudare poſſim. Ad eas autem dotes accedit quædam animi alacritas, ut, quantum ingenio ac literis præſtat, tantum ſe rebus agendis accommodare connitatur. Quippe, ea qua vides ætate præditus, ad aliquod tempus Spiræ procuratorio munere functus eſt, deinde verò Francofordiæ non contemnendam habuit conditionem. Sed ingenium, majoribus ſplendidioribuſ-

(1) *Joannes Fichardus*] Is Francofurti ad Mœnum natus anno 1511. Juri operam dedit ſub *Zaſio*, a quo unà cum *Joanne Sichardo* J. U. lauream conſecutus, Cameræ Spirenſis aſſeſſor primùm, tum Juris profeſſor Patavii ac Bononiæ, obiit Francofurti anno 1581. *V. Paul. Ficher. in theat. p.* 884. „ Re„ centiorum Juriſconſultorum, qui poſt reſtauratam primùm „ Juriſprudentiam vixerunt, vitas deſcripſit *Joannes Fichardus*, „ ab *Irnerio* uſque ad *Zaſium*, Patavii 1565. 4. Hunc ſecutus „ eſt *Marcus Mantua*, aliàs *Benavidius* in epitome virorum il„ luſtrium cum *Fichardo* edita. Sed utrique nimium ſunt bre„ ves; " inquit *Struvius Introd. ad not. rei litterar. edit.* 1715. *p.* 366.

ribuſque rebus natum, in his gradibus conſiſtere nequit. Et dignus profecto eſt, qui te Mæcenatem habeat, quemque tuo favore ſubleves, adjuveſque. Magnam illi de te ſpem fecit obvia illa tua bonitas, & in promovendam ſtudioſorum fortunam propenſio, cujus in me tuo favore ad hunc locum evecto luculentum ſpecimen vidit. Quamobrem, Clariſſime *D. Mathia*, ſi modò mihi, tot propriis tibi obſtricto nominibus, pro alio apud te intercedere liceat, etiam atque etiam te rogo, ut tua humanitate eum tibi obliges: ac cùm plurimorum aliorum commendationibus apud te nitatur, propter eam tamen quæ mihi cum eo eſt, amicitiam, gratiorem eum tibi fore oſtendas. De negotio (2) quod inter nos agitur, omnino proximis literis & ad conſtitutum tempus certi aliquid ad te reſcribam. Quod equidem ſperabam ut dudum mihi licuiſſet, nam mora mihi perquam gravis eſt. Sed ſi parentum reſponſum cum animi mei deſiderio convenerit: hæc expectatio non modico gaudio penſabitur. Bene vale. Dñe & patrone incomparabilis. Spiræ. 7. Aprilis anno 1536.

EPISTOLA LXXXI.

Ex Tomo II. fol. 363.

FLORENTIO GREBOUALLIO.

Laudat ejus eloquentiam ſtyli. Inſtitutiones Græcas Lovanii denuo a Rutgero Reſcio excuſas improbat. Quis Claudius Peutingerus? 1536.

INjuſte quereris, *Florenti* ornatiſſime, orationis facultatem, qua antea polluiſti, tibi exaruiſſe; cùm noviſſima tua epiſtola ſatis mihi oſtenderit (id quod ego valde gaviſus ſum) non

(2) *De negotio quod* &c. *Matthias* obtulit *Viglio* affinitatem ſuam, offerendo, & inſtantiſſime dein urgendo, filiam ut ſuam nothan, uxorem acciperet. Cunctatus diu *Viglius*, tandem hominem deluſit, nolens uxorem ab illa manu. *V. Not. ad Vitam. N.* XXV.

non modò cum ætate veterem illum tuum in literas amorem increſcere, ſed etiam eloquentiam, cujus naturali quadam bonitate ſemper mihi præditus eſſe viſus fuiſti, non mediocre ſtylo uti ego arbitror, & quotidiana legendi ſcribendique exercitatione incrementum accipere. Sed facis tuo more, ut diſſimulatione duplicatam laudem merearis & doctrinæ & modeſtiæ. Quamobrem etſi alias nihil non lubens tibi donem, quo magis tamen hæc ultima tua epiſtola mihi placuit, eo me rariores abs te literas accipere gravius fero. Merito autem tuo viciſſim te amo, & id me non civiliter, ſed ex animo dicere tu quando voles experiere. Non dedignatum te eſſe nomen tuum in noſtris profiteri numeris, eo magis laudo, quò tu rectius judicas quomodo ſapientiæ titulus tuendus ſit. Eam verò ſententiam tuam, doctiſſimi clariſſimique viri *D. Franciſci Craneveldii* confirmabit conſuetudo. Multum enim refert cum quibus verſeris. Ideoque *Cicero* ſcribit *P. Rutilii* adoleſcentiam Juriſprudentiæ opinionem *P. Mutii* domum commendaſſe. De Inſtitutionum græcarum verſione olim ille ad me in Weſtphalia ſcripſit, ac tum ego illi emendatum exemplar communicaturum me obtuli, ſed ille hactenus nihil reſpondit. Et audio eas denuo ab *Reſcio* excuſas, quod ab eo prætermiſſum maluiſſem, non tam *Frobenii* cauſa, cui ea re incommodavit, quàm quod ego cupierim, ipſas emendatiores rurſus edere. De *Mulardi* humanitate nihil novi ſcribis. Et cùm præter illum neminem habeam patronum in inferiore Germania, ille tamen unus multorum mihi eſt inſtar. *Stephanum Montanum* mei adhuc meminiſſe gaudeo. Etenim Biturigibus cum illo arcta mihi familiaritas interceſſit. Et ei omnia læta fauſtaque precor. *Claudius Peutingerus* dudum Auguſtæ uxorem duxit perquam opulentam, atque ibidem habet ab ſuis civibus non contemnendum honorarium, quod vos illic penſionem vocatis. Hujus pater *Conradus* (1) vocatur, ſed non arbitror eum nu-

(1) *Conradus*] *Niceronium* ſi conſulas tom. 13. non reperies, eum *Maximiliano* Imp. adfuiſſe in Belgio, uti *Viglius* aſſerit, ſed illo e vivis erepto, miſſum fuiſſe Brugas ad gratulandum novo Imperatori *Carolo* V. Iuſtruxerat numeroſam bibliothecam, in ejus familia conſervatam uſque ad an. 1715. quæ

nuper Bruxellæ fuiſſe: cùm jam ſenium eum domi contineat. Olim verò cum *Maximiliano* Cæſare, cujus erat conſiliarius, ſæpe iſthic fuit. Quæ in Italia geruntur non gravarer ad te ſcribere, ſi ſpes mihi eſſet, ut celeriter meæ literæ ad te deferrentur, nunc quid eſt opus ea ſignificare, quæ tu ex vulgo multo citius iſthic cognoſcere poteris? Vale. Spiræ xv. Junii 1536.

EPISTOLA LXXXII.

Ex Tomo II. fol. 373.

GEORGIO HERMANNO.

De Eraſmi morte ſe inaudiviſſe ſcribit, ejuſque breve eulogium addit. Suadet munus mitti Doct. Ludovico Ziegler, cui Georgii filius cohabitabat praxeos ediſcendæ cauſa. 1536.

EX Friburgo mihi ſignificatum eſt, *Eraſmum* Roterodamum in fata conceſſiſſe. Utinam falſum hoc ſit nuncium. Scio eum proxima hyeme, ac verno quoque tempore graviter decubuiſſe, ſed menſe Junio *Frobenius* ad me ſcripſit, virum eum convaluiſſe, & totum eſſe in Origine caſtigando, cui præclaro operi immortuus eſt (ſi tamen verum eſt, mortuum eſſe) Hoc viro extincto, magnum literarum lumen Germania noſtra amiſit, quod ipſo ævo, & poſito ſæculi noſtri livore, apud poſteritatem magis atque magis ſplendeſcet. Haud fuit quidem immatura illius mors, ſi communem naturæ legem inſpiciamus; ſeptuageſimum enim annum exceſſerat. Sed ſi quid hominum in hac re vota poſſent, optandum a Deo fuiſſet, ut talis vir perpetuò vixiſſet. Quanquam ſane ita ejus memoria literarum monumentis conſtabilita eſt, ut per gloriam in doctorum virorum ore perpetuis flo-

quæ ceſſit Jeſuitis in Auguſtâ Vindelicorum, dum morte *Deſiderii Ignatii, Peutingerorum* extinctum eſt nomen. *Niceron. ibid.* Obiit *Conradus* 28. Dec. 1547. ætat 82. Videri meretur *Niceron. tom.* 20. *p.* 66.

floritura sit seculis. De genere mortis, ultimaque ejus voluntate ac rerum dispositione, nondum quicquam mihi explorare licuit, arbitror tamen *Bonifacium Amerbachium*, virum optimum & eruditissimum, ac *Hieronymum Frobenium* in aliquot unciis hæredes esse scriptos. Doctori *Ludovico Ziegler* tuum silentium excusavi, sed tamen id tuæ literæ aptius efficient. Est vir cum primis honestus & praxis bene expertus, apud quem filio discendi occasio minime deerit. Eoque nomine ei agenda est gratia, quam si tu aliquando referre volueris, mea opinione, appositum munus erit magis poculum, quàm cathena. Ea enim ut sit spectabilis, plusculum auri requirit. Poculum verò ex argento factum, plus habet in specie & minus in pretio, jucundamque mensis memoriam excitat eorum, qui donaverunt. Et licet quoque aliquid insculpere quod memoriam donatoris refricet. Bene vale. Datum Spiræ ultima Julii anno 1536.

Ex Tomo II. fol. 374.

EPISTOLA LXXXIII.

JOANNI CHOLERO.

1536. *Scribendi occasionem arripit à morte Erasmi pie, Christianèque, uti acceperat, defuncti. Breve rursus ejus elogium addit, & ultimam voluntatem in pias causas narrat, ac illius & Uldarici Zasii jacturam non reparandam dolet.*

NOn tulit hactenus opportunitas, *Cholere* charissime, ut ad te aliquid literarum darem, nam ego aliquamdiu, nescio qua conditione, ita occupatus fui, ut neque luberet neque liceret ad amicos scribere. Ubi verò ad hoc forense otium me contuli, novæ rursus occupationes obortæ sunt, quæ me tamen haud ita remoratæ fuissent, ut ad te scribere omisissem, si modò ejus idonea aliqua occasio oblata fuisset. Nam a te ab anno triceſimo tertio nullas literas accepi, atque ego post tantum silentium, aptum aliquid scribendi argumentum captabam, quod nunc minime deesset, si id stili mei

mei tenuitas ferre posset. Nam illud totius eruditionis ac omnium bonarum artium unicum decus, *Erasmus* inquam Roterodamus, qui mutuæ inter vos benevolentiæ ac familiaritatis præcipuus autor fuit, in fata concessit. Cujus acerbum fatum luctuosumque desiderium, materiæ quidem satis ad scribendum suppeditaret, si & noster calamus tanti viri Næniam digne concinere posset, & nisi ego magis lætum ad te scribendi argumentum post tantum intervallum quærerem. Piè autem Christianèque quinto Idus Julii mortuus esse fertur, ac in majori Ecclesia Basileensi sepultus. Testamento * hæredem scripsit in certa parte *Bonifacium Amerbachium* reliquum amicis pauperibusque Scholaribus & virginibus in studia ac dotes legavit. Ab longa ægritudine ubi aliquantum convaluerat, totus erat in *Origine*, cujus vitam conscripserat, & commentaria in eum ceperat, ac etiam coronidem contra *Originis* calumniatores parabat: sed tam præclaro operi immortuus est. Hæc ego de ejus extremo vitæ actu intellexi. Sed *Bonifacium Amerbachium*, virum optimum ac eruditissimum, non dubito ejus mortem digna oratione prosecuturum. Junxit ille nos, mi *Cholere*, dum viveret, ac alterum alteri conciliavit. Quamobrem luctum etiam nostrum communicandum arbitratus sum. Hic certe annus studiis valde pernicioſus fuit? Sustulit primo *Zasium*, ac nunc *Erasmum*, duo solidissima Germaniæ nostræ ingenia, qualia nec habuimus antea, nec habemus, ac (ut nunc sunt tempora) ne spes quidem ulla (est) ut posteritas similia producat. De meis rebus puto te ex amicis communibus certiorem factum: de tuis longo tempore nihil audivi. Quæso autem te, ut si per valetudinem liceat, aliquod tuum epistolium videam. Nam tui, me Hercle, minime sum oblitus, cujus in me animum ac humanitatem tot epistolis olim testatam habeo. Bene vale Domine & amice optime. Ex Spira pridie Calendas Augusti anno 1536.

* *V. Erasmi vitam in nova edit. Operum ejus. Et annal. typogr. tom. 2. part 1. pag.* 371.

Ex Tomo II. fol. 376.

EPISTOLA LXXXIV.

HAYONI HERMANNO.

1536. *Primum dialogorum ſuorum librum de Inſtitutione Juriſconſulti, mittit ſoli interlocutori Rupilio communicandum, de quo Hayonis judicium exquirit. Addit de rebus Friſicis nonnulla.*

EX Italia, clariſſime *Hayo*, unicas tantum literas abs te accepi. Ad quas poſtridie nonarum Novembris reſpondi: ac dialogorum meorum *de Inſtitutione Jureconſulti* primum librum, dudum a me tibi promiſſum, cùm primum idoneum nuncium nactus eſſem, miſſurum me ad te eſſe ſcripſi. Cùm verò nemo diu offerretur cui eum committere poſſem: & vererer, ne te mea mora offenderet: non aliam invenire rationem potui, quàm ut *Rupilio* inſcriptum per Dominum *Joannem Paungartnerum* Auguſtenſem, Patavium tranſmitti curarem. Reddet itaque tibi eum *Rupilius*, vir doctiſſimus ac mihi conjunctiſſimus, quem in eo ipſo dialogo mecum colloquentem introduxi, ut hac occaſione illum non modo ex meis iſtis nugis, ſed præſenti alloquio notum habeas. Permiſi autem ut ille aperiret, videretque num ſatis fideliter ejus ſententias retuliſſem. Præter hunc unum, mi *Hermanne*, nulli mortalium iſtas meas nugas communicare te velim. Imperfectas enim & impolitas ex ſchedis meis ipſe indiligentius deſcripſi: cùm nec elimandi otium haberem, nec tuam expectationem longius ſuſtinere auderem. Quamobrem ut fructum aliquem obſequii mei a te conſequar, te etiam atque etiam, eruditiſſime *Hayo*, rogo: ut de iis rebus, quas primo hoc dialogo comprehendi, judicium tuum mihi impartiri non graveris, eaque quæ te vel in rebus vel in verbis offendent, fideliter atque amicè, quò tempeſtive corrigere queam, indices. Scis enim hoc antiquiſſimum eſſe verorum amicorum officium, eo magis in hoc argumenti genere neceſſarium, quò ad plurium utilitatem ipſum a me ſedulo ſuſceptum eſt. Ex Friſia noſtra ſatis proſpera

prospera nuntiantur. Dominus a Tautenborg * Covordiam superiore mense vi occupavit. Arx Lingen ad Amasim, & alia aliquot castella ultro se dediderunt: ac nunc Diepenhem obsidere dicitur. Utinam ei hæc perpetua sit victoria. Bene vale clarissime *Hermanne*. Et fac ut ex literis tuis intelligam, libellum meum redditum tibi esse. Spiræ 16. Septembris 1536.

* *Georgius Schenck.*

EPISTOLA LXXXV.

BONIFACIO AMERBACHIO.

Ex Tomo II. fol. 381. vso.

Erasmi hæredem eum scriptum esse probat, dolet verò famam ejus odiosis quibusdam carminibus gravari. Alciati parerga, ut a Frobenio excudantur, commendat. 1536.

AB *Hieronymo Frobenio* de *Erasmi* nostri morte & ultima ejus voluntate plenius edoctus, hoc minus viri doctissimi factum doleo, quò mihi rebus suis post mortem sapientius consuluisse videtur. Nam omnium, qui te noscunt, mi *Amerbachi*, judicio, dignus haberis, qui talis viri, hæreditat[illegible] cernas, non modò quia tua virtus vel eruditio vel majoribus digna est præmiis, verum etiam quod fidem & integritatem tuam exequendæ doctissimi viri piissimæ voluntati maximè omnes idoneam censeant. Illud verò mihi valde dolet, quod *Hieronimus* retulit, famam ejus odiosis quibusdam, carminibus gravari, quæ cujus sint *Hieronymo* ostendi, neque ipsi eorum authori id summè displicuisse, cùm ejus frater ex Mechlinia 21. Augusti datis ad me literis, idipsum carmen (1) miserit, quem tunc ignorasse in lucem id edi-

Idipsum carmen] Quod quale fuerit, ex *Viglii* ad *Hadrianum Marium* epistola accipe: „ Gaudeo id tandem me importuni„ tate mea tibi extorsisse, ut literis tuis crebrius fruar. Bi„ nas enim nuper accepi, quarum posterioribus fratris car„ men in mortem *Mori* conjunctum erat, quod paulò post „ sub *Erasmi* nomine Haganoæ cum ineptis quibusdam *Hiero„ nymi Gebuilleri* glossematis excusum est. Qua de re apud

editum esse, certò affirmare ausim. Ex Francfordia nihil adhuc allatum est. *Alciatus* noster *parerga* edere constituit, eaque cuidam Baroni, mihi perquam familiari nuncupavit, & missurum se scripsit, ut is in Germania excudi curet. Ego autem suasi, ut *Frobenio* committat, quod se facturum promisit. Si quid ad te *Alciatus* ea de re scripserit, da unà operam, mi *Amerbachi*, pro veteri tuo erga *Frobenianam* officinam favore, ut nullus alius id præripiat. Bene vale, *Amerbachi* clarissime. Datum Spiræ 21. Septembris anno 1536.

Ex Tomo II. fol. 383.

EPISTOLA LXXXVI.

JOANNI CHOLERO PRÆPOSITO CURIENSI.

1536. *De Erasmi morte ut referat, remittit ad Beati Rhenani præfationem in Originem: de ultima autem ejus voluntate refert ex Frobenii relatione.*

HEri literas tuas mihi reddidit, *Cholere* clarissime, *Daniel Mauchius* * homo non ineruditus & per[illegible]manus. Quamobrem gratias tibi ago, quod mutuæ inter illum & me amicitiæ proxenetam te obtuleris. Neque opus fuit, mi *Cholere*, tua illa tam accurata commendatione, cùm ipse in se philtrum habeat ad conciliandas amicitias præsentissimum. De *Erasmi* rebus non alia de causa ad te scribere distuli, quàm quod *Frobenius* ipsam testamenti formulam, ad me missurum se esse promisit. Ac quoniam mihi cum illo non datum fuit pluribus colloqui, quod ille, (qui negotiatorum mos est) abire festinaret, recepit tamen vel se de omnibus copio-

* *Episcopi Brixinensis Secretarius.*

„ me questus est *Frobenius*, metuens ne quid inde invidiæ *Eras-*
„ *miano* nomini, ejusdemque operibus apud Anglicanam gen-
„ tem confletur, quod sibi quoque detrimento sit. Non du-
„ bito autem fratri hoc æque displicere, & unde ille littera-
„ tor nactus sit miror." *Tom. 2. p. 384. vso.*

pioſius ſcripturum, vel effecturum ut id ipſe *Bonifacius Amerbachius*, *Eraſmi* hæres faciat. Quoniam autem nihil adhuc ex Baſilea accepi, ac tu longiorem moram non ſuſtines, ea lubens communicabo quæ ex *Frobenio* coràm mihi expiſcari licuit. De morte ac extrema ejus opera quam *Origini* inſudabat, *Beati Rhenani* † præfatio in *Origenem*, in *Frobeniana* officina excuſum, ſatis diſerte exponit. Teſtamenta tria reliquit, ſed prioribus duobus ultimo derogavit. Primum continebat mille aureorum (ſi bene memini) *Frobenio*, aut ſi ille recuſaret, alii typographo, factum, ut omnia ipſius opera luculenta forma ederet. Sed de eo in poſteriore voluntate tacuit, in qua *Bonifacium Amerbachium* fiduciarium hæredem fecit, videlicet, ut retento hæreditatis quadrante, quod reliquum eſſet una cum *Frobenio* in dotes pauperculârum virginum, & ſtudia inopum ſcholarium diſpenſaret. Suppellectilem *Frobenio* legavit. Bibliothecam ex contractu *Joanni a Laſco* ‡ cedet, ſi numeratis antea ducentis florenis alteros ducentos addideris. Amiculis quibuſdam pocula quædam donavit. Legatum pecuniarium non excedit ſexcentos florenos, niſi quod *Conrado Goclenio* latinarum linguarum profeſſori apud Lovanium, mille aureos diſpenſandos commiſerit. Detractis autem legatis & portione hæredi debita, tantum audio ſupereſſe, ut trecentorum aureorum annuus cenſus conſtitui poſſit. Quod & facere executores decreverunt, quo hoc ejus beneficium in poſteros magis perpetuum fiat. Ex cenſu autem duas quotannis puellas dotare, reliquum ſtudioſis expendere decreverunt. Ex his autem tibi facile licebit aſſem hæreditatis ſupputare. Hæc habui quæ de ejus teſtamento ac fortunis impræſentiarum tibi communicarem. Quod ſi quid *Frobenius* indicarit, ejus quoque te participem reddam. Vale *Cholere* clariſſime, & *Viglio* tuo, ſi quid aliud voles, imperato. Spiræ 18. Octobris anno 1536.

† *Seleſtadienſis. V. Eraſmi epiſtolas. Et Spond. ad an.* 1547. *quando hanc vitam liquit* 20. *Maii. Argentinæ æt.* 63.

‡ *Poloniæ Baro, præpoſitus Gnesnenſis. V. Eraſmi epiſtolas. Et Du Pin Biblioth. des auteurs du* 17. *ſiecle tom.* 1. *part.* 2. *p.* 586. *in* 8. *Spond. ad an.* 1560. *n.* 31. eum inſignem Sacramentarium & magnam Poloniæ peſtem appellat. Obiit an. cit. *V. ad an.* 1558. *n.* 7.

Ex Tomo II. fol. 387. vſo.

EPISTOLA LXXXVII.

MATHIÆ HELDT.

1536. *Gratulatur ei reditum ab expeditione Gallica. Statum Cameræ Imp. commendat, & ſignificat obitum Collegæ unius, De Eraſmi morte & ultima voluntate. De Anguſtiis Aſſeſſorum Cameræ Imp. Ut in inferiore Germania obtineat ſenatoris locum, Matthiæ ſe commendat.*

SI tu Magnifice Procancellarie ab expeditione Gallica ſalvus ac incolumis rediiſti, eſt quod vehementer gaudeamus. Noſtræ res (de quibus ob occupationes, quas te iſto bello maximas ſuſtinere ſcio, privatis meis literis D. tuam diſtinere nolo) quemadmodum ex omnibus collegii noſtri literis percipies, in eo ſunt ſtatu, ut niſi tuo patrocinio ſuſtineantur, longius ſtare vix queant. Nos ex Collegis noſtris rurſus nuper unum extulimus virum bene eruditum *Chriſtophorum Backenbuſchium* Lubecenſem qui erat Doctoris *Franciſci* Ingolſtadienſis profeſſoris gener. *Eraſmi* Roterodami mortem etſi antea tibi cognitam eſſe nihil dubitem, te tamen percelebris doctrinæ virum, doctorumque omnium patronum, haud illubenter lecturum arbitror, ſi de illius extremo vitæ actu aliquid ad te ſcripſero. Proximo vere longa ægritudine prope exhauſtus, vix tandem convaluerat, ac in *Originem* Commentaria moliebatur, jamque ejus vitam deſcripſerat, & plraque ad eundem authorem annotarat, cùm ſub Calendas Julias in morbum recidit, qui eum Baſileæ apud *Hieronymum Frobenium* decumbentem XI ejuſdem menſis die extinxit. Senatus ei Baſilienſis honorificentius, quam ejus ſectæ novus mos eſt, in primaria æde ſepulchrum aſſignavit. Multa teſtamenta ſcripſit, ſed ultimum eodem anno, impetratis ne quiſquam contra tabulas agere poſſet, Pontificis, Cæſaris, ac Baſileenſis Reipub. diplomatis. Hæredem inſtituit Doctorem *Bonifacium Amerbachium* adjecto fideicommiſſo, ut retenta parte ex ſenatuſconſulto Trebelliano debita,

debita, reliqua omnia in usus pauperum potissimum verò εἰς τὰ σπουδαιοτροφεῖον distribuerat, quo ex studiis proventia ad studiosos redirent. Amicis charioribus pocula quædam atque annulos, tenuioribus aliquid pecuniæ nominatim legavit. Porro assem hæreditatis octo florenorum plus minus milibus censeri intelligo. Operis vero post mortem edendi nihil compertum est, nisi imperfectæ lucubrationes in *Originem*, quibus est immortuus. Sic superiore anno *Udalricum Zasium*: isthoc, *Erasmum* Roterodamum, duo maxima Germaniæ decora amisimus. De salario judicii nostri apud Regiam Majestatem frustra egimus. Et nisi Regia M. huic rei clementius provideat, eam video Judicis ac Collegarum esse deliberationem, ut ista nobis provincia deferenda sit. Cum te autem ego, propitio Deo, fortunæ meæ authorem patronumque nactus sim, hoc te obtestor, ne tuo me favore consilioque destituas. Fuere mihi, interea dum hic ago, oblatæ occasiones quædam, si hoc Judicium dissolveretur, non contemnendæ: sive in Academia aliqua Juris professionem suscipere, sive Principi operam meam forte impendere vellem. Sed parentum meumque votum eo magis tendit, ut ad inferiorem Germaniam aliquando cum honore redire possim. Nam in eum etiam usum Gallicam linguam olim didici. Etsi Bruxellæ aut Mechliniæ locum aliquem obtinere possem, non solum eum omnibus aliis conditionibus lubens præferrem, sed nullam quidem splendidiorem fortunam optarem. Quia igitur tu optime videre potes, quid de hoc nostro Judicio futurum sit, tuaque commendatio plurimum etiam in illo juvare me potest: obsecro te ut quid facere me debere censeas, tuum consilium fideliter impertias. Et si forsitan eo perveniendi nullam mihi spem esse putaveris, hoc ipsum saltem indices, quo rebus meis alibi in tempore consulam. Cùm nihil verò sit honestius, clarissime Procancellarie, quàm de plurimis bene mereri, cùm id possis: tum eos quos semel in tuam susceperis tutelam & clientelam, quique de tuo patrocinio penitus pendent, te sustinere, multo piissimum laudatissimumque habetur. Deus te nobis diu incolumem conservet, Patrone incomparabilis. Spiræ pridie Calend. Novembr. 1536.

Ex Tomo II. fol. 390.

EPISTOLA LXXXVIII.

HENRICO RECHLINGER.

1536. *Varia cum Henrico amicitiæ officia implet. Narrat ridiculum modum quo vini dolium in Spiram oppidum invexit sagittariorum ibi collegium.*

HEri tuæ mihi sunt redditæ literæ, *Henrice* charissime, quibus te huc non esse rediturum significasti. Etsi autem mihi nihil possit accidere gratius, quàm te præsente coram frui, cùm tamen simul fortunæ tuæ cumprimis semper faverim, minus mihi absentia tua molesta erit, si recte te valere prosperoque rerum successu uti intellexero. Amorem tuum nihil opus est te mihi verbis testari, cùm mihi jam dudum persuasum habeam, te mihi non amicum sed fratrem esse. Ac me viciſſim, si quando usus tuus tulerit, non aliter utitor ac fratre, neque enim me patiar unquam a te in mutuo amicitiæ officio vinci. Cum Hospita rationem nomine tuo confeci, ac ita se ea habet, ut a te perscriptum est. Famulus meus res tuas conscribit ac componit, easque cum primo Auriga Augustam mittemus, qua in re operam *D. Conradi Regii* requisivi, isque se obtulit indicaturum cum primum aliquis auriga oblatus fuerit. Quidquid fuerit impendendum in libris tuis compingendis, id ego lubens exolvam, cum tu Patavii multo plus in meis expenderis: ac id solum quod Hospitæ pro te exolvere me jussisti, non alias quàm cùm tibi oportunum erit ad me mittes. Tantum de rebus tuis, de quibus ego ac famulus meus latius ad te scribemus, cum eo per quem eas ad te mittemus. In *Packenhuschis* locum fama est *Langemantellum* aliquem successurum. Utinam is sit *Ulrichus* noster quem pridem in expeditione Gallica gravi morbo correptum esse dolenter accepi. Cæsar Hispaniam trajecisse fertur. Doctor *Mathias* Held ad Regiam M. ac Principes Germaniæ legatus proficiscitur. Nos hic præterea nihil novi habemus, nisi quod nuper nobilis quidam, vini dolium sagittariorum collegio ea conditione donavit, ut id

id ab ipsis nescio ex quo vico Spiram traheretur. Placuit conditio maxime persuadente id cæteris sagittariis Illmo Duce &c. Exceptis autem pauciſſimis cæteri coacti ſunt jugum ſubire, quibus quidem currum jumentorum more aperto die in urbem maximo totius populi concurſu trahentibus, Dux aurigatus eſt. Fuit id ridiculum omnino ſpectaculum, quali Bacchanalia veteres celebrare conſueverunt. Vale & parentibus tuis me plurimum commenda, ſalutemque meo nomine dicito. Spiræ XVI. Novembris anno 1536.

EPISTOLA LXXXIX.

Ex Tomo II. fol. 393.

HADRIANO MARIO.

Eſt conſolatoria de morte Joannis Secundi, Nicolaii, Marii fratris. 1535.

CONſolationis officium, *Hadriane* doctiſſime, proprius dolor intercipit: nam *Secundi* fratris tui immaturum fatum, tanto ipſe animi mœrore accepi, ut ſi fratrem amiſiſſem, ejus obitum acerbius ferre non potuerim. In fratre unica ſanguinis eſt neceſſitudo: at cum illo ab teneris unguiculis, & ex ſtudiorum contubernio contracta familiaritas, eò meum animum quotidie magis devinciebat, inflammabatque, quò literarum fundamenta, quæ eodem in ludo, ſub eodem tecto, eiſdemque præceptoribus jeceramus, majore gloria ab eo exædificari, & in pulcherrimum conſurgere faſtigium cernebam. Cujus quidem rei præclara monumenta reliquit, quæ mea opinione perpetuum victura ſunt. Unde etiam qui nunc noſter privatus eſt luctus, publicus fiet. Nam ſi hi ipſius luſus, quibus venam ad majus graviuſque aliquod argumentum præparabat, tantam præ ſe ferunt indolem: anne juſtus ſtudioſos omnes dolor afficiat, ita repente illum, quaſi ſpectabilis & eximiæ pulchritudinis florem, calamitoſa tempeſtate perculſum, & antea ereptum nobis eſſe, quàm legitimos ex divino illius ingenio fructus carperemus? Tuam vero, ornatiſſime *Mari*, pietatem laudo, qui doctiſſimi fratris memoriam ab interitu vindicare ſu-

deas, ac Carmina, quæ ille juvenis plurima elegantiſſimaque luſit, in unum volumen colligas typiſque excudenda committere ſtatueris. Scripſit ad me ex Biturigibus, in clariſſimi parentis veſtri mortem multo doctiſſimum carmen: id ſi inter ejus ſchedas non repereris, perlubenter ad te mittam, nolim enim ejus quicquam perire. De Epitaphio *Mori* antea ad te ſcripſi. Næniam tuam rogo ut communices. Utinam verò ſimile aliquid ejus manibus per me præſtari poſſet. Quod cùm illa noſtra familiaritas, quæ mihi cum vivo fuit, requirit, tum mortui amici minus mihi triſte deſiderium redderet, ſi eo videlicet modo debitæ erga defunctum pietati ſatisfeciſſe, juſtaque me ei perſolviſſe perſuadere mihi poſſem. Bene vale *Mari* chariſſime. Spiræ 20. Novembris 1536.

Ex Tomo II. fol. 399. vſo.

EPISTOLA XC.

LUDOVICO CARINO (1).

1536. *Pauci bonarum literarum profeſſores Lovanii. Conradi Goclenii docendi rationem probat. Pro inſtituendo Matthæo Hermanno conſilium ſuum aperit.*

BInas abs te, *Carine* doctiſſime, literas accepi eodem tempore, & quanquam non opus erat apud me iſta tam anxia ſilentii tui excuſatione? cùm tamen pro unis literis iiſque

(1) *Ludovico Carino*] Erat „ Helvetius natione, ac patria „ Lucernas, ubi olim obtinuit canonicatum. Sed quoniam „ viſus eſt novis ſectis, quas illa Reſp. non admittit, addictior „ eſſe, audivi hoc beneficio eum fuiſſe privatum. *Eraſmo* olim „ fuit charus, ſed ſex ſunt anni, quod graviſſima interceſſit „ inimicitia. Cauſam eam eſſe intellexi, quod *Carinus*, *Neſeno*, „ cujus ipſe fuerat diſcipulus, graviter ferebat ab *Eraſmo* non„ nihil culpæ aſſcribi circa *Senecæ* emendationem, quam *Ne„ ſenus* ab *Eraſmo* commiſſam indiligentius præſtitiſſe diceba„ tur.

iiſque brevibus, binas & bene prolixas reddideris, non modò non habeo quod de te conquerar, ſed gratias etiam tibi pro iſto fœnore ago. Cœli te Lovanienſis inclementia vexari doleo: ſed tamen puto te iſta febricula quæ advenientem excepit, cum morbo te decidiſſe: qua cùm ſis jam defunctus, futuræ ſanitatis non leve argumentum habes, quando cœli malignitas naturæ tuæ tamquam victrici ceſſiſſe videtur. Profeſſores iſthic bonarum literarum tam paucos eſſe miror. Judicio tuo de *Goclenio* cæteriſque fere ætatis noſtræ Lectoribus, haud multum, mi *Carine*, diſſentirem, ſi auditorium ex ſolis doctis conſtaret, apud quos neque eadem ſemper, neque trita illa & vulgata toties inculcanda ſunt. Pueris tamen

„ tur. Tantula autem res ita *Carinum* commovit, ut ubique „ *Eraſmo* obloqueretur. Ac ego aliquando Dolæ nonnullam „ habens cum *Carino* conſuetudinem, hanc ejus obtrectationem non ſatis ſanè æquis auribus audivi. Poſtea verò inimicitia ea ſive ſimultas in apertum erupit odium. Audi, „ ſi lubet, rem ridiculam. Erat Baſileæ in officina *Frobeniana* „ quidam, cui *Eraſmus* nomen indidit *Polyphemus*. Hic aliquando perferre libros ſolet iis, quibus erant ab illo dedicati. „ Ac poſtea, neſcio an ex *Eraſmi* commendatione, an quo „ fretus ſuffragio, factus eſt regius ſatelles. Arbitror te " „ (*ſcribit ad Georgium Hermannum*) „ illum in *Ferdinandi* aula „ vidiſſe. Erat homo prælongus, loquax, mendax, bibax, „ pugnax, & quem ipſe *Eraſmus* in *Colloquiis* elegantur depingit. Audio, eum tandem laqueo vitam finiiſſe in Moravia, „ neſcio an Polonia in epiſcopi cujuſdam aula. Ut redeam „ ad rem: Hoc propter negotium aliquod ab *Eraſmo* Dolam „ dimiſſo, fortè tum *Carinus* in vicina civitate Veſontione „ moram trahebat. Compotatum eſt uti ſolet fieri ab conteraneis ſi quando occurrunt in aliena & peregrina regione. „ Fortè ubi *Carinus* cœpiſſet neſcio quæ adverſus *Eraſmum* „ dicere, ac *Polyphemus* quaſi quidam hyperaſpiſtes *Eraſmi*, „ mero incaleſcens indignè id ferret, cœpit *Carino* cingulum „ ſuum pro laqueo minari. *Carinus* ad prætorem urbis accurrit; *Polyphemus* fugit Baſileam; inſecutuſque eum *Carinus* „ cœpit nonnullam velle adverſus *Eraſmum* litem intendere: „ ſed *Polyphemo* ablegato res fuit ſopita. Sed tamen nondum „ eum rediiſſe in *Eraſmi* gratiam ſcio. Eſt tamen ipſe *Ludo-* „ *vicus Carinus* non indoctus utriuſque literaturæ &c." *Ita Vigilius in tomo mſ.* VII. *a p.* 151.

men & indoctioribus, quorum multo maxima eſt pars, minuta illa nonnunquam explicanda ſunt, & difficiliora repetenda ſæpius, quo & melius percipiant, & fidelius retineant. Illa ſane ecphraſi, qua *Goclenius* eorum quæ prælegebat, ſenſum apertioribus verbis ante ipſam expoſitionem ſingularum partium reddere ſolet, multum ſæpe delectatus ſum. Et quanquam pluſculum in eo temporis abſumitur, multum tamen momenti ad intellectum eorum quæ prælegantur adfert. Nam aliis verbis eadem res explicata, exhibet etiam quoddam copiæ exemplum auditoribus, ad quam quotidiana aſſuefacti conſuetudine, neceſſe eſt ut & ipſi profectûs quædam incrementa ſentiant. Cùm verò potiſſimum officium literas docentis in explicanda verborum proprietate conſiſtat, neminem ſanè ego uſquam audivi, qui ea id faciat diligentia atque doctrina, qua *Goclenius*. Quem cùm quadriennium audiverim, vix ullum fuit tam obſcurum verbum, cujus non illum originem, etymon, proprietatemque intra id tempus explicaviſſe meminerim. Quamobrem adoleſcentibus tuis tanti viri audiendi occaſio neutiquam negligenda eſſe videtur. Privata tua inſtitutio non poteſt mihi diſplicere, mi *Carine*, tantùm illud velim interdum cogites, cùm *Georgius Hermannus* nondum ſecum conſtituerit, ſitne ſemper filium * apud ſtudia relicturus, atque ut poſt latinæ linguæ rudimenta didicita graviorem aliquam diſciplinam, Juris ſcilicet, aut alterius artis, perſequatur: illud mihi maxime adoleſcentis ſtudiis conducere in omnem eventum videri, ut grammatices rudimentis perfectè imbuatur. Quo illam ſaltem ex ſcholis utilitatem adferat, quod latinam linguam ita didicerit, ut in omni fortuna, ac in omnem ætatem & hæreat uſuique exiſtat. Quamobrem ſuaſerim, ut id tempus quod Aſtronomiæ cæteriſque artibus deputaſti, in grammatica legendiſque latinis authoribus, & audiendis, impendere eum ſinas: unde pure loquendi & ſcribendi latine uſum ſibi comparet. Hæc ita tamen, mi *Carine*, ſcribo, non quod tuis conſiliis rationibuſque modum præſcribere velim, ſed ut meam ad te perſcribendo ſententiam, honeſtiſſimi mihique amiciſſimi *Georgii Hermanni* voluntati obſequar. *Joannes Georgius* priſtinæ ſanitati reſtitutus, a parente revocatus eſt, nec cum arbitror huc rediturum eſſe. Ad hilaria ſe adfe-

turum

* *Matthæum Hermannum.*

eorum Doctor *Erisus* Medicus scripsit. Dabimus autem una operam ut aliquam ei puellam invenianus, cœlibatum enim diutius ferre nequit. Salutat te matrona mea & tota familia. Bene vale, *Carine* doctissime. Ex Spira 17. Decembris anno 1536.

EPISTOLA XCI.

Ex Tomo III. fol. 1.

PETRO BAUSANO.

De Jacobi Curtii Versione Institutionum græcarum, a Frobenio inemendatiùs excusarum. In ea Viglii nusquam meminit. 1537.

EPistola tua, *Bausane* ornatissime, post longam scribendi intermissionem gratissima mihi fuit. Valdè enim gavisus sum post tantum intervallum te nostræ adhuc consuetudinis meminisse, & amicam erga me voluntatem gerere. Quamobrem tu frustra solicitus es, ne isto jucundissimo officio tuo quicquam offendar. Neque ullas profecto tam graves occupationes sustineo, quæ me ab rescribendo impediant. De *Institutionibus Theophili* ad me missis multum te amo, nec possum non probare * *Curtii* tui operam in illis transferendis, non infeliciter, quantum mihi de prima facie judicare licuit, insudatam. Nam totum opus relegere, & ad Græcum exemplar conferre ob quotidianas occupationes Assessorii muneris, quo hic fungor, nondum potui. Quod si ego illum id molire tempestivè cognovissem, haud mediocre auxilium adferre potuissem. *Frobenius* enim edendi ejus operis festinatione in causa fuit, ut inemendatiùs exiret, quod ego postea ad Græcum exemplar diligenter rursus contuli, mendaque accuratè expunxi. Nec dubito si *Curtius* recognitum a nobis exemplar habuisset, quin iste labor multo ei levior fuisset, quanquam sanè ille non infeliciter multa divinavit. Ceperam & ego id opus aliquando transferre, sed postea ab Clarissimo viro *D. Francisco Craneveldio* admonitus, idem illum conari, incepto destiti, doctissimoque viro eam provinciam haud illubenter cessi. Qui tamen, uti ego existimo, haud

* *Jacobi.*

haud indigne feret eam gloriam a *Curtio* ſibi præreptam eſſe, & ſe impedito maturius illum id opus ſtudioſis communicaſſe. Quidam meus amicus, non ſat candidè ab illo factum putat, quod mei nuſquam meminerit. Sed ego interpretor illum mendis fortaſſis primæ editionis offenſum, de mea opera, quam laudare non potuit, tacere maluiſſe. Me ſanè ejus ſilentium nihil offendit, ſed publico potius nomine gratias ago, qui Græcæ Linguæ ignaris inventum a me opus commune fecerit, & a me prædicatas ejus dotes confirmaverit. Bene vale. Ex Spira 10. Januarii anno 1537.

Ex Tomo III. fol. 4.

EPISTOLA XCII.

GEORGIO HERMANNO.

1537. *De Proteſtantium decretis adverſus Clerum Auguſtanum, deque diverſis opinionibus ac cenſuris.*

QUæ Auguſtæ proximis diebus adverſus Clerum decreta (1) atque acta ſunt, ex aliorum litteris ac libellis ſatis comperta habui. Mirum verò iſtos homines adeo im-

(1) *Adverſus Clerum decreta*] Explicatius hæc ſcripſit ad filium *Joannem Georgium*: „ Auguſtenſes veſtri, quantum fama „ eſt, ſub pietatis & religionis prætextu, in clerum & imagines valde ferociunt. Non difficilis verò illis defenſio, „ quando communem cum tam multis Principibus & civitatibus cauſam ſuſtinent. Multis tamen bonis viris id factum „ diſplicet, qui Senatum illum prudentius modeſtiùſque fatali iſti Germaniæ malo in ſua Republica conſulturum fuiſſe „ arbitrabantur. Et eſt ſanè illa non minima, multoque peſſima hujus mali pars, quod qui id negotium promovent, „ conſilium non admittunt, ac præcipites eò tantum tendunt, „ ut quod ſemel conceperunt, ſive jure, ſive injuria, exequi ſtudeant. *D. Matthiam* arbitror ad conventum Smalkaldenſem profectum eſſe. Inde forte ad nos venturus eſt, „ utinam tam nobis gratus ejus adventus fiat, quàm eſt expectatus. Quod ſi ille Proteſtantibus ſufflamen queat injicere, ne tanto impetu in veteris religionis exitium ruant, „ rem non parvam fecerit, ſed ego valde vereor, ne actum „ agat.".

imperioſè municipalis poteſtatis prætextu ſuam exercere jurisdictionem in non ſubditos, idque in cauſâ quæ ſemper ab ipſorum officio naturâ ſuâ diſcreta fuit, cùm ipſimet legitimæ & Cæſareæ poteſtatis in ſe, a quâ ipſorum quoque omnis functio atque authoritas, ſi rectè rem perpendere libet, dependet, adeo parum meminerint, rationemve habeant. Sed ad hoc illos ſcilicet Euangelicæ conſcientiæ ſpiritus compellit. Verùm mihi non tam pernicioſus videtur error mortalium, in opinionibus ſemel de Religione aliiſve rebus ſuſceptus, quam ſtulta & arrogans temeritas, ita videlicet animum obfirmare ſuum, ut niſi quod ipſi ſentiunt, nihil rectum putent, ſuaque dicta & facta ſola recta, pia, & divina ſint, cæterorum verò non ſine magna ratione & authoritate conceptæ opiniones, nihil niſi meri errores, blaſphemiæ, & abominationes habeantur. Unde mihi videtur, quod vitium illud, quo vetus laborabat Theologorum Monachorum, & Magiſtrorum noſtrorum Schola, ut quicquid illis diſpliceret, ſcandaloſum, hæreticum, offenſivum piarum aurium &c. eſſet: nunc majore prope temeritate ac tyrannide ab iſtis uſurpetur. Ac ſi adeo illis certum eſt, non poſſe ſe errare, quid inclamant Concilii determinationem, cui æque non ſint obtemperaturi, cùm etiam nunc tacitè Concilium deteſtari videantur, ejuſque provocatione ad quandam honeſtatis ſpeciem utantur? Smalkalda novam rurſus parturit tragædiam, ac Judicio Cameræ dira Proteſtantes minantur, quod ad violenta eorum de Eccleſiaſticis rebus ſpolia connivere hactenus non potuerit. Quorum ita jam increvit conſpiratio, ut hiſce præſertim temporibus Cæſarem ac Regem Francico, Turcicoque bello impeditos, eorum conatibus cedere prope ſit neceſſe. Quâ in cauſâ quid efficere valeat *D. Mathiæ* legatio, tu ipſe facile conjectare potes. Vale. Spiræ 11. Februarii 1537.

„ agat." Ex Spira 12. Februarii 1537. *Tom.* 3. *p.* 6. *&* 7. V. inf. Epiſtolam ad Georgium Hermannum datam 14. Maii 1537. Et *Achillis Firminii Gaſſari annales Augſtburgenſes apud Menkenium Rer. Germ. ſcrip. tom.* 1. *col.* 1804.

Ex Tomo III. fol. 10.

EPISTOLA XCIII.

JOANNI GEORGIO HERMANNO.

1537. *Instruit Juris studiosum circa praxim addiscendam. Mores componendos monet. Quis Doctoris nomen mereatur? Qui auctores deligendi.*

EX novissimis tuis litteris, Ornatissime *Joannes Georgi*, parentis tui de te consilium intellexi; quod an ad tuam suggestionem petitionemque, aut quânam de causâ ab ipso institutum sit, haud satis indè colligere potui, cùm tu breviter admodum ad me scribas, petasque ut meum tibi consilium in studiorum tuorum institutionem, præsertim circa praxim, impertiam. Quod si tu addidisses quânam de causâ in Italiam tibi redeundum parens statuisset, jam ego fortassis magis accommodè de tuis studiis meam tibi sententiam exponere potuissem. Ducor tamen conjecturâ, cùm Senas te profecturum scribas, illi placere, ut post degustatam forensem praxim, ad Academiam aliquam reversus, extremum illic studiorum tuorum actum feliciter absolvas, Doctoralisque Laureæ insignia suscipias, quod etiam D. *Claudium Peutinger*, D. *Leonardum Langemantel*, aliosque tuos cives fecisse scio. Nec mihi ab re videtur, cùm non minima juris scientiæ pars, in usu ac causarum forensium experientiâ consistat, non antea Doctoralem suscipere titulum, qui decurso studiorum spatio concedi solet, quàm huic quoque parti aliquatenus satisfactum sit. Quod si tu hoc consiliò in Italiam redibis, pro meo erga te amore hoc te inprimis commonendum puto, ut cogites, istum titulum non modò exactam quandam eruditionem, sed vitæ etiam & morum gravitatem atque maturitatem, quæ externum quoddam doctrinæ symbolum est, unde vulgi ferè æstimatio pendet, requirere. Cùm enim populus de litteris judicare nequeat, eum demum Doctorem nomini suo respondere existimat, in cujus moribus nihil dissolutum, nihil temerarium, nihil arrogans,

rogans, aut ſuperbum animadvertit, ſed cujus interiorem eruditionem, vitæ ſobrietas ac modeſtia, linguæ temperantia ac aptus totius corporis geſtus, habituſque teſtatur. Proinde tu, Mi *Joannes Georgi*, ſi iſtius tituli honorem appetis, fac ut ita te componas, non modò ut apud eruditos huic profeſſioni, verùm etiam vulgi de te exiſtimationi, ſatisfacias. De ſtudiorum porro ratione multa tibi ſæpè præcepi, ad præſens verò exequendum inſtitutum, cùm aliquot tantum menſes in Italiâ te hæſurum intelligam, pauca duntaxat monebo, ſed quæ ſi tu diligenter ſecutus fueris, haud te vel mei conſilii, vel tui obſequii umquam pœnitebit. Illud non arbitror opus eſſe, ut Bibliothecam eo tecum devehas, quid enim tam brevi tempore tot libris opus eſt? ſed eo ubi veneris, conduces (uti fieri in Italiâ ſolet) aut, quia non magno ad id pretio opus eſt, emes, utriuſque Juris, Civilis ſcilicet & Canonici, corpus. Cui *Bartolum* adjungere poteris, & inprimis ſummam *Azonis*, quam etiam ut diligenter ac totum perlegeres, hic ſæpe te monui. Quod verò per alia negotia hic facere impeditus es, id ibi omnibus modis ad implendum puta. Haud ita magnus eſt, uti ſcis, *Azonis* liber, ſed qui ſummam totius Juris Civilis dilucidè ordinatèque continet. Eum igitur ita legito, ut cùm titulum aliquem abſolveris, eum deindè ſemoto libro tecum recenſeas, memoriæque mandes, ac omne privatum Juris ſtudium in eo legendo atque ediſcendo colloces. Scis raras eſſe in Italiâ publicas Lectiones, nec ſcio an aliquem eximium Doctorem *Philippo Decio* Senenſes ſurrogaverint. Non dubito tamen, unum aliquem illic futurum, quî audiri dignus ſit, & cujus te familiaritati inſinues. Quicquid vero ab ejus Lectione vacui temporis habebis, id *Azoni* cæteriſque quæ mox dicam impendito. Nam cùm jam ad metam ſtudiorum tendas, quæ præcipuè Juriſprudentiæ impendiſti, eaque illâ præcipuè de cauſâ excolatur, ut aliquando cum laude & emolumento in forum deducatur, ſive poſtulando, ſive conſulendo, ſive judicando, ea potiſſimè tibi præcipienda putavi, quæ forenſium cauſarum actioni conveniunt. Ad quam maxime mihi idoneus viſus eſt *Azo*, vel teſte veteri (ſi rectè memini) Italorum proverbio, *Qui non há la ſomma de Azo, non va in Palazo.* Ex Germaniâ vero tecum feres Imperialium

Ordinationum integrum volumen, cum poſterioribus omnibus (uti nos loquimur) Receſſibus & Reformationibus, ſicut ipſum meminiſti ſuperiore anno Vormatiæ eſſe excuſum. Erit ejus lectio tibi ad multa utilis, primùm enim indè Linguam Germanicam expolies, deinde plenam totius Imperii Germanici ſtatus cognitionem hauries, utiliſſimam tibi olim futuram, ſive Principi, ſive Civitati, ſive privatis, clientibus, aut amicis operam tuam accommodare volueris. Juris vero Civilis practicam, quæ in hoc Romani Imperii ſupremo tribunali puriſſimè ſervatur, haut aliundè melius quàm ex iſthoc libro percipies. Et quanquam illa non tam lectione quàm ipſo uſu percipitur, tu tamen qui jam aliqua hic vidiſti, ita eam facilius comprehendes, ſi ad iſtum quem præſcribam modum præfatas Imperii Ordinationes legeris. Cùm multa videlicet in illis ad Judicii Imperialis Cameræ proceſſum, cauſarumque diſceptationem diſpoſita ſint, quorum nonnulla temporum ſucceſſu melius perpenſa, mutata, reſtricta, aucta, declaratave ſint: quo eorum omnium pleniorem conſequare cognitionem, haud pœnitendum meo judicio operæ pretium feceris, ſi ejus libri lectionem a capite exordiendo, ipſe tibi locos & certa rerum genera præſcribas, ac ſub ſuis titulis ſuam quamque materiam apte redigas. Ita enim facilius tibi patebit, quid correctum ſit, quidve hodie ſervetur. Exempli gratia quicquid de appellationum formalibus, ſive ſolemnibus, quæ ſuper cauſarum devolutione frequentiſſime diſputantur, ibi diſpoſitum repereris, ſub formalium titulo digeras. Sic de banno & pœnis pecuniariis, vel Regalium privatione: ſic de ſententiis diffinitivis: item de interlocutoriis habentibus vim diffinitivæ, appellabilibus, & non appellabilibus: de ſententiarum executione, & executoribus: de cauſis & caſibus Fiſcalibus: quæ cauſæ ordinariæ, quæ extraordinariæ: quis in contumaciam procedendi ſtylus: de ſubſtantialibus litium terminis: de Aſſeſſorum, Advocatorum, Procuratorumque officio; & cætera quæ diligens & exacta lectio atque animadverſio facile tibi ſuggeret. Hâc autem digeſtione & res ipſas melius percipies, penitiuſque perſpicies, & memoriæ quoque fidelius commendabis. Ad iſtum modum olim ſtatus imperii juſſere aliquot Aſſeſſores Imperii Ordinationes digerere,

uti

uti in Reformatione Spirenſi anno 1531. legitur; ſed nihil effectum eſt. Quod ſi iſtis Latinos aliquos practicos addere volueris, nemo eſt *Speculatori* præponendus. Poſt hunc Forenſi uſui maximè convenit *Papienſis*. Illud præterea in præſcriptâ Ordinationum digeſtione moneo, ut quicquid alibi legeris, quod ad earum confirmationem declarationemve pertinere ſenſeris, id iſthic annotes, & quoſdam velut commentarios ad Ordinationes colliges, ad quos quandocunque uſus tulerit, recurras. Si quid vero inciderit obſcurius, aut undè tu te extricare nequeas, licebit tibi inde ſcribendi ad me argumentum arripere, me verò candidiſſime, quicquid deſideraveris, quod quidem ego ſciam, communicaturum reſoluturumque eſſe cognoſces. Latinas ad hæc litteras nolim te negligere; ſed ſemper aliquem authorem manibus verſes, unde orationem dictionemque confirmare & expolire valeas. Poſtremùm illud te oro, Chariſſime *Joannes Georgi*, pro veteri noſtrâ familiaritate, ut ætatis tuæ maturitatem, & ſanctiſſimum piiſſimumque parentum votum animo tecum revolvas, ac in iſto virilis ætatis ingreſſu, Doctoralique jam baltheo cingendus, ita vitam, mores, ſtudiaque tua inſtituas, ut *Viglium* tuum, tuum, inquam, *Viglium*, qui pluſquam paternâ te ſemper ſolicitudine proſecutus eſt, ac honorum & fortunæ tuæ incrementa vel proprio ſanguine redimere optet, tandem aliquando deſiderii ſui compotem efficias, atque iſtam arctiſſimam neceſſitudinem, quæ mihi cum parente tuo viro integerrimo, tuâ potiſſimum de cauſâ cœpta, feliciter perdurat, diligentiæ & virtutum tuarum merito ſtabiliorem reddas. Vale. Spiræ 8. Martii 1537.

EPISTOLA XCIV.

Ex Tomo III. fol. 21. vſo.

PETRO BAUSANO.

De Nannii & Curtii ſimultatibus ob verſionem Inſtitutionum Græcarum, quæ, quo modo conſopiri poſſint, oſtendit. 1537.

NAnnii in *Curtium* (1) Apologiam legi non ſine animi dolore, nihil enim ægrius fero, quàm homines doctos adeò

(1) *Nannii in Curtium*] De *Petro Nannio & Rutgero Reſcio*, Vide

adeò teneris esse animis, ut potius, quàm dissimulare aliquid velint, odia dissidiaque sua non modo publica sed etiam perpetua faciant. Nam privatæ offensæ, quamdiu latent, amicorum interceſſionibus sæpenumero ita abolentur, ut ex inimicis amicissimi fiant. At litteris ac typis evulgatæ vix solent esse reconciliabiles. Quod si *Reſcius* editione Institutionum Græcarum abstinuisset, jam ipse eas rursum prælo dedissem, omnibus mendis quibus illi torquentur expurgatas. Nunc verò *Frobenius* sua nequit distrahere exemplaria, postquam *Reſcius* eas imitatus est. Et ego si iterum prælo ipsas commisero, videbor fortassis *Reſcio* dispendium adferre, quem virum uti præceptorem colere me par est. Quod verò attinet ad septem loca marginibus ab *Curtio* annotata, nihil est ille conjectura falsus. Nam *Egnatii* exemplar, quod ego posterius nactus sum, quodque priore multis locis emendatius est, habet τὸ τρίπον, item κάλυσιν: illa autem verba, χωρὶς τῦ ἢ διαξευπκόν, omnino desunt, superfluoque inserta, nec posterioribus etiam adglutinari debent. Utrumque autem exemplar meum habet ἀκαὸν, legendum est καυὸν, & de sportulis nostra editio utrique exemplari scripto conformis est. Legendum item γέγονεν. De his multisque aliis digladiandi ansam secunda mea editio facile præcidisset, si eam expectare voluissent. Quoniam verò *Curtium* scribis versionem suam elimare, poteris homini tibi amico & mihi ignoto, meam offerre operam, ut si quid eum alibi in Græcis exemplaribus offenderit, id mihi indicet: neque enim gravabor rem studiosis utilem pro meâ virili unà promovere, eâ tamen lege, ut ab *Nannio* abstineat. Nam is mihi non indoctus vir esse videtur, & ejus causæ *Reſcius* noster, qui de Græcis studiis optimè meritus est, adhæret, & quem omnes fere nostri æquales, quique post nos Græcas Litteras didicerunt, præceptorem habuerunt. Loca ab *Nannio* notata, etsi

Vide *Bibl. Belg. Val. Andr.* ad illorum nomina, & *Viglii Zuichemi.* Scripsit *Nannius, Annotationes in Institutiones Juris Civilis, Græcè a Theophilo versas. Lovanii* 1536. *in* 4. Item: *Apologiam pro Annotationibus in Institutiones juris Civilis, contra Jacobum Curtium. Lovanii in* 4. Item: in 1. vol. thesauri Critici *Gruteri.* Vide *Niceron. tom.* 37.

etsi sint haud ita magni momenti, tamen quoniam ingenui est animi non despicere si quis meliora suggesserit, mutare *Curtium* pudere non debet. Ac tribus in præfatione additis verbis, totam istam tragœdiam fortassis non malè consopiet, si dicat non fuisse sibi animum, *Nannium* suggiliandi, eumque adeò se non contemnere, ut ab eo melius suggesta sequi non fuerit gravatus: idem se rogare ut faciat *Nannius*, atque ἀπολογεῖν deinceps desinat, quando quod factum est, revocari nequit. Bene vale. 25. Aprilis 1537.

EPISTOLA XCV.

Ex Tomo III. fol. 23.

STEPHANO MONTANO (1).

De amicitia servanda præclare sentit, & Montanum jubet esse securum. 1537.

AManter quidem tu, Ornatissime *Montane*, nostræ consuetudinis memoriam refricas, sed tamen non possum non reprehendere, quod adeo sis anxius ne meo animo excideris, neve (quod in amicitiâ durius est verbum) te ego ex amicorum meorum albo rejecerim. Ut nunquam verò erga amicos morosus fui, ita fidem, candorem, & constantiam non sum passus quenquam in me requirere; cùmque mihi cum pluribus familiaritas intercesserit, eadem cum omnibus inviolata in hunc usque diem perdurat. Quamobrem non satis me novisti, si rem omnium maxime pretiosam atque adeo inæstimabilem, hoc est amicitiam, inter nos non levi usu sed sincero affectu fundatam, adeò me temerè abjicere existimes. Litteras abs te aliquas accepisse atque etiam vicissim ad te dedisse memini cùm adhuc in Galliâ agerem, atque in hoc genere obligationis haud soleo malum præstare nomen, de pecuniâ creditâ ne cogitavi quidem unquam, neque in crediti genere ponendum puto, quod amico impenditur,

(1) *Stephano Montano*] Quis, qualis, cujas fuerit, non reperi. Fuit *Viglio* cum Biturigibus degeret, familiaris. *Tom.* 2. *p.* 365.

ditur, cùm vetus illa lex, *amicorum omnia debere esse communia*, obligationem istam non admittat. Quæso te igitur, ne posthac tantillæ rei memineris, sed majus aliquid indica in quo tibi ostendere queam, te non ex amicorum meorum albo remotum esse. Opinor illam solicitudinem malevolorum susurro auribus tuis instillatam esse, sed tu mihi plus crede quàm talibus, qui cùm ipsi nullas servent amicitias, ex aliorum quoque dissidiis voluptatem percipiunt maximam. Jamdudum audivi te isthic apud Illustrem Comitem *à Nassaw* honesto loco agere, ac secundis fortunæ ventis navigare, de quo majorem in modum gaudeo. Ego qui in Patriâ amicos non habeo, quorum me favor sublevet, apud exteros conditiones non omnino infeliciter hactenus secutus sum, quarum non est quod me adhuc omnino pœniteat, aut tædeat. Bene vale, *Montane* Chariſſime. 25. Aprilis. Spiræ anno 1537.

Ex Tomo III. fol. 27.

EPISTOLA CXVI.

GEORGIO HERMANNO.

1537. *De senatus Augustensis decretis adversus Clerum quid sentiat, exponit. Apologiam censet necessariam fuisse. De iis quæ Pro-Cancellarius apud Smalkaldam egit.*

LEgi Apologiam Episcopi & Capituli Augustensis adversus Libellum ab senatu Augustensi emissum, nam ad nos ab eisdem aliquot pridem exemplaria missa fuerunt. Quid verò est opus, ut meum de eâ judicium (uti requiris) tibi exponam? cum quid de reipsâ sentiam, ex prioribus meis litteris satis colligere potueris. Irreligiosa religio est, ne quid dicam gravius, sub Euangelicæ doctrinæ prætextu, ab veteri Ecclesiæ usu ad nova dogmata subditos compellere. Illud verò jura humanæ societatis prohibent, ne quis concessæ sibi potestatis jurisdictionisque metam egrediatur, & in alienam (quod dicitur) messem falcem mittat; in eos videlicet

videlicet illicite jus usurpando, in quos legitimum sibi imperium non competit. Quamobrem non modò mihi ista res non potest probari, sed quantum ex nonnullorum, qui novæ religionis Antistites habentur, scriptis, hactenus intelligere potui: ne illis quidem, quos isti suæ doctrinæ istarumque rerum novandarum authores prætendunt, usurpata in non subditos potestas, tyrannidis speciem præferens, vel placere vel excusari potest. Conturbat enim publicam tranquillitatem, & in vulgum seditionis jacit seminaria, olim magno malo proruptura, resque politicas miserandum in modum dissipat. Haud igitur valde mihi opus fuisse videtur aliqua Apologia. Nam illi qui album album vocant, & nigrum nigrum, rem ex se æstimant, & verborum lenocinio non capiuntur. Alii vero, quos idem fermentum corrupit, ora habent non aures, & sua tantum fortiter declamant: quæ verò respondentur aut retorquentur, surdis auribus obaudiunt. Quanquam tamen ejusmodi libelli mendaciis plerumque consarciantur, quibus bonorum vita ac mores proscinduntur, omnino necesse est, eos apud bonos viros refellere, ne silentium eorum, qui insimulantur, aliquam eorum conscientiam arguat. In quibus mihi certe isti quoque Apologiæ dentes haud defuisse videntur. Vicissim enim satis acriter mordet, sed provocato facilius, si se ulcisci voluit, veniam jura tribuunt. De iis quæ Cæsaris Vice-cancellarius Smalkaldæ tractavit, ex ipso nonnulla cognovimus, quatenus scilicet aut ad nos pertinuerunt, aut ab ipso publico nomine acta sunt. Multa autem arbitror, re ita ferente, cum illis privatim, hoc est, non legati nomine eum disputasse, a quibus Cæsareæ Majestatis authoritatem prudenter separaverit. Et cùm nostrum Collegium ex variis constet capitibus, relationem ejus negotii ita temperavit, ut omnimodo Cæsareæ Majestati publicam Germaniæ tranquillitatem cordi esse ostenderet, salvâ tamen (sine quâ illa diu consistere nequit) liberâ justitiæ administratione, quâ in re quæ de nobis Protestantes fuerint conquesti, & quæ sit Cæsaris voluntas, clare expositi. Cùm verò sponte communicare ea acta offeras, haud possum refutare * præsertim ut inde cognoscam, si quid amplius in iis contineatur, quàm ad nos pervenerit. Quamobrem quæso ut ubi opportunum tibi

* *Legendum videtur*: recusare, *aut* abnuere &c.

tibi fuerit, ea ad me mittas. Cumprimum legero, curabo ut ad te ea redeant. Vale 14. Maii anno 1537.

Ex Tomo III. fol. 29.

EPISTOLA XCVII.

JOANNI GEORGIO HERMANNO.

1537. *Rationem instituendi adolescentem præclarissimam præscribit.*

LItteras quas tu 10. Aprilis ad me dedisti, *Jo. Georgi* Charissime, Calendis Maii primùm accepi, cùm aliæ, quas itineri accinctus scripsisti, multo ante mihi fuerint redditæ, quibus & ego quoque pridem respondi. Quoniam verò ex me cupis scire rationem instituendi adolescentem ipsum * tuæ disciplinæ concreditum, quem indolis bonæ esse scribis, undecimum tamen primùm egressum annum, & qui Latinè adhuc loqui nesciat: haud gravate tuo desiderio obsequar, non modo quoniam me par est, propter nostram necessitudinem, tuæ petitioni morem gerere, verumetiam quòd *Fuggericæ* familiæ multo majora debeam. Quanquam jam proximis meis literis (1) quædam ab eâ re non aliena suggesserim. Quibus tamen quando ita postulas aliquid adjiciam. Inprimis itaque consulo, ut primum librum *Fabii Quintiliani* semel atque iterum, & accurrate legas, qui tibi ad istud munus felicius auspicandum, non minimum adferet auxilium, neque etiam pœnitendum ostendet consilium. Cùm verò iste adolescens in eâ adhuc sit ætate quâ tu scribis, non est quod verear, ne tu non satis doctus sis, ut ille a te disce-

* *Ulricum Fuggerum.*

(1) *Proximis meis literis*] Suggesserat hæc inter alia: „ Quoniam recta institutio non tantum in literarum, verumetiam „ in morum disciplina consistit, illud in primis tibi curandum „ est, ut ne quid ille in vita tua videat, quod eum imitari indecorum sit. Sis erga adolescentem mitis magis quàm blandus, „ & comitati adsit aliqua severitas gravitasque. Sæpe laudes „ quæ recta sunt & virtutis nomine laudeque censentur. Vitia verò & peccata execrare. Sic enim a puero, & amare optima & fugere mala assuescet facilius." *Tom. 3. p. 24. vsa.*

discere queat, quantum adhuc ei necesse erit. Sed in eo tuas maximè partes consistere arbitror, ut diligentem te præbeas Magistrum. Pueri enim propter ætatem parùm ipsi de suis studiis soliciti esse solent. Itaque præceptorem oportet quotidie certa quædam præscribere pensa, quibus absolutis, ferias sibi contigisse gaudeant. Sic discunt alacrius, & certa profectûs incrementa melius apparent. Pensa autem ista diurnarum operarum in tres partes distribuenda tibi esse censeo: primum arti dabitur, secundum locutioni, tertium scriptioni. Id est, ante omnia Grammatices præceptis diligenter tibi imbuendus erit, quæ deinde loquendo scribendoque exerceat. Grammaticas autem non convenit novas te ascisscere, ne & prius didicita obliviscatur, & de novo tibi atque ipsi ista tela retexenda sit. Si quam igitur antea discere cœperit, eam cura ut exactissime perdiscat. Ut lapis sæpe revolutus situm non obducit, sic puerorum tenera ingenia diversis obruta Grammaticis, raro ad fructum perducuntur. Suadeo itaque ut priorum præceptorum vestigiis inhæreas, atque id modò des operam, ut quàm perfectissime, quæcumque ea erit Grammatica quam discere cœpit, eandem teneat calleatque: nec contentus esse debes, ut præcepta ordine tibi recitet, sed in authoribus, quos ei tu alterve prælecturus est, eadem applicare atque examinare necesse erit, ut usum illorum inde percipiat. Authores verò (2) nuper tibi designavi. *Terentius* inter omnes propter familiarem sermonem primas tenet. Ei si adjeceris vel *Virgilii* Bucolica, vel aliquid ex *Cæsare* aut *Cicerone*, satis pro eâ ætate

(2) *Authores verò nuper tibi designavi*] his nempe verbis: „Quotidianum sermonem optimè formabit *Terentius*. Nec „tibi curæ sit, quod jam antea ille ab prioribus præceptoribus unam alteramve ejus comœdiam audierit. *Terentii* „lectio decies repetita juvabit. Convenitque eam toties repetere, ut totum authorem in nostrum transformemus sermonem. Stilum verò ejus, maximè scribendi exercitatio instruet. Exemplar autem ad quod se exerceat, familiares *Ciceronis* epistolas ei propone, & *Julii Cæsaris* „commentarios, quo non melior mihi magister videtur, si „quis quascumque res brevi puroque sermone perscribere, „quo possit discere, docereve, voluerit." *Ibid p.* 25.

ætate facere mihi videberis. Sed præcipuè *Terentium* tibi commendo, optimum atque amœniſſimum loquendi magiſtrum. Tertio loco ſcribendi uſum atque exercitationem deſideravi, unde maximum profectus ſpecimen accipitur. Itaque ea pars inſtitutionis haud tibi negligenda erit. Principio verò, quò unâ eademque operâ Latinam & Italicam Linguam diſcat, cura ei Italicum aliquem libellum ad ejus idiomatis intellectum prælegi, atque ex eodem eum jube aliquot quotidie verſus Latinè tibi reddere. Id quoniam initiò illi erit difficile, tu per unum menſem eum adjuva, & quaſi natare adhuc neſcienti ſuber & corticem ſubjice. Verba Latina quæ ignorabit ſuppedita, ea ipſa in congruum ordinem ſecundùm Grammatices præcepta componere jube, &, ſi id ignorabit, lubenter præmonſtra, quò non detereatur ab inſolito & difficili labore, & ſimul ſcribendi uſui aſſueſcat. Muneri certè tuo non omnino male ſatisfeceris, ſi per ſingulos dies præſcriptis modis ſtudia ejus formaveris. Tantùm ergo in te ſitum eſt, ut ſuſceptam provinciam graviter obeas. Si unum duoſve dies remiſeris, quibus adoleſcentem tibi commiſſum feriari ſiveris: haud ita facile deinceps rurſus in viam eum reduxeris. Quamobrem ſine intermiſſione hæc opera tibi continuanda erit. Quod eò facito, mi *Joannes Georgi*, diligentius, quo tibi iſte adoleſcens arctius junctus, atque fidelius commendatus eſt. Et hic certè labor haud diu tibi incumbet. Quamobrem moleſtiam injuncti oneris, temporis brevitate ipſe apud tuum animum mitiga, eâque de cauſâ idipſum alacrius diligentiuſque ſuſtine & perfice. Quæ de tuis rationibus antea ad te ſcripſi, nihil opus eſſe exiſtimo hic repetere. Tantum te hortor atque oro, ut meas interdum literas relegas, eaque facias quæ & te digna ſunt, & quæ me ſummis votis exoptare non ignoras. Senties me non vulgarem tibi amicum eſſe, & me aliquid apud parentem tuum atque alios poſſe, ſi modo talem te præſtiteris, qualem ego deſidero & ſpero. Valetudinem atque ſtudia tua cura diligenter, & quod ſancte pollicitus es præſta, id eſt frequenter ad me ſcribe. Saluta *Ulrichum* tuum. Spiræ 14. Maii anno 1537.

EPI-

EPISTOLA XCVIII.

ANDREÆ ALCIATO.

Excuſat ſilentium & rude epiſtolium ſuum. Hortatur ut reliquas lucubrationes ſuas edat, ne eas alii ſuffurentur. Libellis alienis Alciati nomine publicatis quomodo occurri poſſit. 1537.

MUlta ad te cupienti mihi ſcribere, Excellentiſſime præceptor, tempus deeſt. Quanquam enim diuturni ſilentii mei veniam deprecari ſtatueram, eamque ita me facilius abs te impetraturum arbitrabar, ſi quod jam dudum me facere decuit, nunc tandem plenius prolixiuſque præſtarem: *Rogerii* tamen feſtinatio accuratè ea quæ volebam ad te ſcribendi facultatem intercepit. Nec parum me pudet rudi te interpellare jam epiſtolio, qui aliquando literas meas ſacro illo tuo Larario (1) dignatus fueris. Quanquam ego non illis hoc deberi agnovi, ſed tuæ humanitati, quâ me ſemper amplexus es, meritò adſcripſi. Quam equidem ſi integram ſervare queam, non modò voluptati mihi maximæ, ſed etiam ornamento ea fuerit. Tali enim ego præceptori non diſplicuiſſe, in bonâ felicitatis meæ parte pono, meam verò erga te obſervantiam nolim te ex ſilentio meo æſtimare, cùm ſciam tibi occupatiſſimo doctiſſimoque otioſas ac indoctas literas faſtidium plerumque adferre. Quales ſane meas tibi videri neceſſe eſt, qui jam præter forenſium Rabularum clamores nihil audio, qui libellis, articulis, teſtiumquæ dictis legendis, examinandiſque omne tempus conſumo. Quibus Germanica fere lingua conſcriptis Latinæ dictionis quantulacunque facultas facile extinguitur. De *Parergis* nobis generoſus adoleſcens *Otho a Valtpurg* ſpem non parvam fecerat, deque excellentiſſimo illo tuo ingenio nimis humiliter teipſum ſentire. Times ne obſcuro alicui Antiſophiſtæ tela adverſus te præbeas? Et tam multorum judicium unius livo-

(1) *Larario*] Lararium, *genit.* lararii n. *Lamprid.* Oratoire (Lieu dans la maiſon ou les Payens adoroient leurs faux Dieux domeſtiques, & leur faiſoient des offrandes) *Pet. Danetius in Dict. Latino Gallico.*

livori poſtponis, unumque malegratum diſcipulum, tantæ multitudini te adorantium, expectatum lucubrationum tuarum fructum intercipere ſinis? Tam multa a te antea in publicum edita ſunt, nec ego tamen animadverti unquam inexhauſtum illum eruditionis tuæ fontem inareſcere, ſed quo plura inde depromeres, eo mihi benignius uberiuſque fluere ſemper viſus fuit. Tu itaque noli expectare, ut ad ſuas aliquando ciſternas aquas tuas alii deducant, quæque tu pro tuis aſſervas ſibi uſurpent, proque iis viciſſim tibi neſcio quas alias nugas aſſcribant. Puto enim te non ignorare quid hic ſuperiore anno libelli ſub tuo nomine exierit, ejus author tuus olim fuit Biturigibus diſcipulus, qui mihi ſancte confeſſus eſt, ſe inſcio editum illum eſſe. Nomen verò tuum hoc errore acceſſit, quod illo eodem libro aliquot orationes tuas deſcripſerat, unde chalcographus homo avarus & indoctus lubenter ſibi ab quodam ejus libri fure perſuaderi paſſus eſt, tuum eſſe opus. Huic verò errori, etſi apud doctos nihil opus eſt, hoc tamen modo optimè occurreris, ſi tuum tandem aliquod opus prodire patiaris, ſive *Parergorum*, ſive de *verb. oblig.* in cujus præfatione eam deteſtêre improbitatem. Minus autem putavero in publica peccatum eſſe commoda, ſi ſub falſi & non boni libri editione genuinum & inſigne aliquod opus abs te extorqueatur. Deus te nobis ſtudioſiſque omnibus diu tueatur incolumem. Spiræ 23. Auguſti 1537. (2).

Ex epiſtolis Clarorum Virorum editis a S. A. Gabbema an. 1663. p. 525.

EPISTOLA XCIX.

ANDREAS ALCIATUS VIGLIO ZUICHEMO.

Dicit ſe tumultuariè ſcribere, ac Parerga ſua prelo data. De alieno fetu ſuo ſub nomine vulgato queritur.

1537. REpentinus *Falconis* Sileſii, qui has literas tibi reddet, diſceſſus effecit, ut tumultuariè ad te ſcribam, jocandique

(2) Hæc epiſtola reſpondet *Alciati* literis ad *Viglium*, datis V. Kal. Februar. 1536. quæ ſup. eſt ordine LXX.

que materiam tibi præbeam, tamquam gallinæ manu ſcriptas literas ad te exararim. Sed tamen exiſtimavi ſatius eſſe quomodocumque deſcriptas ad te mittere, quàm prorſus ſilere, & juſtam tibi cauſam conquerendi, quod tuis non reſponderim, præſertim tam mihi caris atque jucundis, ut vel decies eas legerim atque ſim exoſculatus. Hortaris ut lucubrationes aliquas edam, & præſertim *Parerga*. At ego jam feci. *Otho* enim *Wiltpurgius* (1) ſua humanitate atque literis extudit, ut ad ſe mitterem: quod quidem eram omnino facturus, ſed dilationem petebam, ut perfectius conſummatiuſque opus ederetur. At ille omnis moræ impatiens repræſentari ſibi librum voluit; dedi itaque manus, & ad eum miſi arbitratu ſuo edendum. Ego quidem natura ceſſator καὶ ἀναβαλλόμενος ſum, nec lubenter crabrones irrito; at alii etiam non mea pro meis edunt, ut iſte, quiſquis fuerit librarius, qui & nomini meo inuſſit notam, fecitque uti *Spiculatoris* (2) Epitomator viderer, & optimo viro *Hendrico Falcomontano* fecit injuriam. Sed ut ſcribis nemo eſt ſcriptorum meorum ſtudioſus, quin impoſturam ſtatim non deprehendat: quod ut verum ſit, plerique alii decipiuntur, vel potius occaſionem calumniandi inde ſibi præripiunt, meque lancinant: fero tamen æquo animo, quod indicabit tibi Parergōn præfatio, in qua de re nullum verbum. *Falconem* ipſum, qui has tibi reddet, obſecro vel mea cauſa commendatum habe. Et ſi quid eſt, quod opera mea præſtare tibi poſſim, impera. Habebis *Alciatum* obſequentiſſimum. Vale. Ticini. Tertio Non. Septembr. 1537.

(1) *Otho Wiltpurgius*] Eſt hic vitium amanuenſis. Legendum *Waltpurchius* vel *Waltburgius*. Id non correxit *Gabbema*, quia hominem non novit: qui magnus vir effectus, & in purpuratorum patrum ordinem dein relatus, Cardinalis *Auguſtanus* dictus eſt, de quo ſæpius. *Vide Ciaccon. tom.* 3. *col.* 692.

(2) *Spiculatoris*] Et hic eſt mendum. *Speculator* eſt nomen unius interpretis juris, cujus epitomator *Alciatus* dici noluit.

EPI-

Ex Tomo III. fol. 51.

EPISTOLA C.

PETRO BAUSANO.

1537. *Nimias a se laudes serio repellit, ac modestiæ exemplum edit.*

NOn aliâ ratione, Ornatissime *D. Petre*, ab scribendo me magis deterrere poteras: quàm quâ nuper usus es. Tot enim in me laudes accumulas, ut neque frontem neque calamum tenere queam. Nimiumque mihi ipse displiceo cùm meipsum intueor, ac video quantum ab illis tuis hyperbolis, quibus nimium me extollis, absum, & pudet me adeò ejus dissimilem esse, quem tu me in illis literis facis. Certè cùm tu eo nomine literas meas te desiderare scribas, quod inde quandam haurire te posse doctrinam autumes: non modò tibi ipsi imponis, cùm tale nihil a me præstari queat, verùm etiam me solicitudine quâdam gravas. Nam cùm te ea expectare ex literis meis sciam quæ præstare non possum: silere deinde tutissimum esse puto. Aut tu igitur posthac istis laudationibus abstine, aut meas litteras ne expecta. Res autem ista postulabat, ut pluribus judicium istud tuum, vel affectum potius refellerem, sed habet & hoc ambitionis speciem. Quum verò nos antiquâ juncti simus amicitiâ, mi *Petre*, quid opus erat, te tale quærere argumentum? Priores sanè litteræ tuæ, quibus veterum amicorum ac sodalium memoriam refricuisti, multo mihi gratiores fuere istis. Proinde de istis multo malim te aliquid posthac scribere, quàm de me. De fœdere isto (1) in medio rerum successu pacto valde sumus admirati. Sed vulgus plerumque ignorat. Faxit Deus istas inducias tanto nostris esse utiliores quanto minus honestæ videntur. Ex Italiâ satis læta nunciantur. Turcam in

(1) *De fœdere isto*] Intellige de induciis decennalibus inter *Carolum* V. & *Franciscum* I. pactis apud Niceam, urbem Provinciæ, quæ Duci Sabaudiæ paret. *V. Pont. Heut. rer austr. lib.* 11. *cap.* 9.

in Apuliam videlicet appuliſſe, ſed deſtitutum commeatu & ſpe victoriæ, in propria rediiſſe, Cæſareoſque Præfectos Turcicæ claſſi non levia damna intuliſſe. Florentia quoque captis cæſiſque exulibus ac rebellibus pacata eſt, & in Lombardiâ Cæſareus exercitus hactenus victor extitit. Hyems autem propinqua ferias belli indicet. Interea forte aliquis nos reſpiciet Deus, qui iſtos mortalium tumultus ſuo numine compeſcat. Bene vale, Petre ornatiſſime. Ex Spirâ 11. Septembris 1537.

EPISTOLA CI.

Ex Tomo III. fol. 53.

GEORGIO SIGISMUNDO SELDIO(1).

Seldii Commentariolum laudat, ejuſque præceptorem Chriſtophorum Hagerum. Offert officia ſua. 1537.

ITa me affecit, *Seldi* ornatiſſime, tuus iſte *de Legatis Commentariolus*, ut lectione ejus ſatiari non potuerim. I bone quo virtus tua te vocat, i pede fauſto, grandia laturus meritorum præmia. Nam quid aliud tibi meum de ipſo judicium requirenti potius reſpondeam? Cùm præſens iſtud ſtudiorum tuorum ſpecimen ita mihi omnibus numeris placuerit, ut te etiam, quo ſimilia multa in poſterum elabores, cohortan-

(1) *Georgio Sigiſmundo Seldio*] Is Auguſtæ natus 21. Jan. 1516. cum *Raymundi Fuggeri* filiis Ingolſtadii ac Patavii literis operam dedit. Doctor juris effectus, *Henrico* Comiti Palatino, Epiſcopo tum Friſingenſi primùm, dein *Ludovico* Bavariæ Duci, tandem anno 1546. poſt mortem *Joannis Navii*, *Carolo* V. a conſiliis. Anno 1550. ejuſdem Imperatoris Vice-Cancellarius, a quo & ad Imperii reſignationem Electoribus offerendam Ratisbonam ad Comitia miſſus eſt. Anno 1559. Vice-Cancellarius *Ferdinandi* Imperatoris fuit: cui muneri cum renuntiaſſet privatam vitam duxit, & 26. Maii 1565. nondum quinquagenarius, e curru citatis equis abrepto exiliens obiit. *V. Paul. Freh. Theatr. pag.* 850. Inter Conſilliarios Caroli V. Imp. qui eum peregrinantem comitabantur, legitur: *George-Sigiſmond Seldus, Docteur ès Loix.* Apud *Butkens in Suppl. Tom.* 1. *p.* 108. *col.* 2.

tandum duxerim: quando tua etiam ista exacta cura ita hoc opus absolutum sit, ut quod in melius mutare vel corrigere possim, nihil abs te relictum invenerim. Quid igitur, *Seldi* ornatissime, cùm me magno abs te beneficio affectum cognoscam, qui egregias istas studiorum tuorum primitias mihi impertiveris, quid, inquam, ista tua proëpiplexi opus erat? Inter istas sane molestas fori judiciique occupationes, quo ipsarum fastidium levarem, obvenire mihi nihil gratius potuit. Gratulor verò *Hageri* * nostri manibus, qui te tali superstite discipulo feliciores mihi esse videntur. Nec scio, an te magis illo præceptore, an ille te discipulo, gaudere debuerit. Amicitiæ vero ejus, quæ mihi cum illo intercessit, non minimus fructus esse videtur tua ista erga me affectio: cui si vicissim unquam respondere potero, senties non te falsum omnino tuâ opinione, quam de me tibi feciſti. Cùm vero jam instet id tempus, ut tibi ex scholis in forum propediem progrediendum sit, tu ipse cogita, si quid erit in quo mea opera, consiliumve tibi prodesse queat. *Fuggerorum* verò interea erga te favorem quâcumque occasione auctiorem facere non desino. Vale. 21. Septembris 1537.

* Christophori, *de quo Sup.*

Ex Tomo III. fol. 54.

EPISTOLA CII.

KEMPONI A MARTENA.

1537. *Quare relicto Assessoratu Cameræ Spirensis, Ingolstadium ad Jus Civile profitendum divertat, candide exponit.*

ITa se rerum mearum tulit conditio, Magnifice Clarissimeque Domine, ut relictâ Spirâ aliò mihi migrandum sit. Optaveram autem magnopere propius ad vos accedere: sed nescio quæ mea fata illam mihi felicitatem hactenus inviderint. Parentes non lubenter gravo: (1) & tenuitas patrimonii

(1) *Parentes non lubenter gravo* &c.] Alibi anxiè queritur de parentibus: „ Est mihi animus revisere Frisiam, tenet „ enim

monii ipsorum non potest sustinere sumptus quos ego facere assuevi: nisi aliunde succesſerit subsidium. Quod fortassis etiam isthic si ambiviſſem non defuiſſet. Sed ita mea est fortuna ac ingenium, ut oblata suscipere semper maluerim, quàm cum metu repulsæ dubiam subire ambitionem. Ea verò adhuc ætas esse mea videtur, ut fortasse nondum sit tempus, quo me ad quietem componam: sed cum experientia hominum ac rerum, atque in studiorum continuatione disciplinis ac litteris ingenium excolere pergam. Ad quod mihi isthic nec otium, nec æqualis futura esset opportunitas. Amplum ac splendidum in Germaniâ Assessoris munus habetur, sed Cæsare tot bellis turbisque implicito, salarium tarde solvitur: ac religionis interea dissidium magnam huic muneri recte administrando difficultatem adfert. Quapropter cùm Illustrissimus Princeps *Guilielmus* Dux Bavariæ conditionem obtuliſſet, ut in Academiâ Ingolstadiensi jus civile profiterer, promisso salario, quale non puto Germano antea in Germaniâ professionis causâ datum esse, haud difficulter illius voluntati assensum præbui. Itaque propediem hinc in Bavariam abire constitui: quod T. Mag. celare nolui. Vale. Spiræ 22. Novembris. 1537.

„ enim me ipsius patriæ & parentum non leve desiderium, „ a quibus decimum tertium annum absum. Nec differre longius reditum possum, ne tanquam *Ulysses* tandem meorum „ neminem cognoscam, neve ipse non agnoscar. Absens sanè non magnam parentum vel patriæ benevolentiam expertus sum, & fortassis quod omissum est, in reducem con„ gerere studebunt. Nam si præsentem etiam vel negligent vel „ contemnent, tum animo meo faciliùs persuasero, ut illic „ patriam esse mihi fingam, ubi obviam expositamque humanitatem & liberalitatem erga me quotidie experior." Ita „ ad *Hectorem Hexvirium* e Patavio 26. Sept. 1532. *tom.* 2. *p.* 146. *vsa.* Et anno statim sequente ad hujus fratrem *Ausonium*, „ Ego nec obolum, nec literam proximis hisce duobus mensibus ex patria accepi. Tanta est & meis de me cura. Vix „ quod ipse ex privatis publicisque salariis accipio, ad muneris mei dignitatem tuendam sufficit." *Ibid p.* 169. *vsa.* 170.

Ex Tomo III. fol. 83. vſo.

EPISTOLA CIII.

JACOBO OMPHALIO (1).

1538. *Jacobum adverſùs adverſariorum ferociam eleganter ſolatur. De miſſo ad ſe libro gratias agit.*

NUnquam vera virtus improborum hominum inſidiis calumniiſque vacua fuit, verùm quo magis illa premitur, eo etiam celſior exurgere, ſtabilioremque ſibi in bonorum virorum animis laudem atque gloriam fundare ſolet. Proinde nihil eſt quod vos iſtorum hominum audacia atque libido dejiciat, qui nuper religione proconculcatâ, excuſſiſque omnibus honeſtatis ſtudiis, nunc etiam in juſtitiæ oppreſſionem impotenter feruntur. Neque enim felicius ipſis hi conatus cedent, quàm aliis antea, quorum temporalem momentaneamque ferociam irritus fere, interdum etiam turpis, exitus ſecutus eſt. Adverſus autem hæc mala, ipſa virtus atque innocentia ſatis magno præſidio ſolatioque eſt. Tibi verò etiam eorum moleſtiam non modò egregia tua erga Rempublicam voluntas, ſed optimarum etiam litterarum, artiumque excellens ſcientia facile lenire poteſt. Quum me quoque tuus iſte ad Reverendiſſimum Archiepiſcopum Colonienſem conſcriptus liber, (2) plenus non modò Philoſophiæ & Juriſprudentiæ, verumetiam eloquentiæ ornamentis ele-

(1) *Jacobo Omphalio*] Andernaci ad Rhenum oppido, honeſto loco natus, cùm varias Academias perluſtraſſet, J. U. D. renuntiatus, *Guilielmo* Clivenſium Duci a conſiliis fuit. Poſt Coloniæ Agrippinæ docuit, & obiit an. 1570. *P. Freh. in theatr. pag.* 859.

(2) *Conſcriptus liber*] Scripſit librum de ſuſcipienda Chriſtianæ Reipublicæ propugnatione, & officiis eorum qui urbium gubernacula tenent, Coloniæ 1538. editum. Item libros duos de officio Principis 1550. in fol. Baſileæ publicatos. *Miræus de ſcript. ſec. XVI. pag.* 154. *edit. Fabricii.* Porro archiepiſcopus Elector ad quem *Omphalius* librum ſuum direxit, eſt *Hermannus Comes de Weda*, de quo nos *ad vitam Viglii N. XXXII.*

eleganter excultus non vulgariter affecerit, allevaritque. Nec facile dixerim, plusne ex eo voluptatis hauserim, an admirationis de te conceperim, cui in tam assiduâ negotiorum forensium occupatione, tam insignes fœtus elucubrare vacet. Quanquam autem nihil habeam quod pro isthoc, quo me etiam privatim devincire tibi voluisti, referam: hoc tamen abs te rogo, ut in ejusmodi Philologiæ studia incumbere pergas talibusque muneribus, quibus nihil gratius mihi queat contingere, persæpe me bees. Vale. Ingolstadii 10. Junii 1538.

EPISTOLA CIV.

Ex Tomo III. fol. 84. vso.

JOANNI JACOBO FUGGERO.

Cum aquæ potore jocatur.

1538.

OMnino oportet te sub *Aquario* (1) natum esse cui tanta cum aquis res sit. Bibis frigidam, lavaris calidis, & *Aponi* etiam fontes (2) ad dolorum remedia sectaris, est morbi causa aqua, eadem rursus in medicinam adhibetur. Opinor tibi *Lycum* (3) patrem, *Vindam* (4) matrem fuisse. Verùm illud etiam tibi curæ fuisse non dubito ut Venetos invisens, in celeberrimâ illâ Neptuni regiâ, aquarum ranarumque patriâ, Lymphæam aliquam *Galateam* tibi conciliares, ex quâ æquoreis aliquot *Nereïdibus*, Aquariorum augeres prosapiam. Quod sororem brevi matrimonio elocandam significasti,

(1) *Sub Aquario*] Undecimo Zodiaci signo, cujus exortu (qui est XV. Kal. Febr.) imbres plurimi fiunt.

(2) *Aponi etiam fontes*] Aponus, vicus ad Euganeos colles in Italia prope Patavium, ubi & aquæ calidæ variis morbis aptæ. Nomen ei, quia contra morbos est, vel quia citra dolorem medetur. *Car. Steph. in dict. hist.*

(3) *Lycus*] fluvius in Germania Rhætos a Vindelicis dirimens, qui in Danubium defluit. Hodie *Lech* nominatur. *Car. Steph. ibid.*

(4) *Vinda*] alterius fluvii nomen: mihi non repertum.

ficasti, gaudeo. Atqui ut juxta proverbium, lis litem serit, sic & plerumque nuptiæ nuptias generant. Itaque te conciliando huic sororis matrimonio, eidemque peragendo intentum, de propriâ conditione cogitare quoque subinde arbitror. Et fortassis quoniam vereris, ne te ἀδρομίτης merobiba quæpiam amare valeat puella: Venetias & *Apenum* nuper revisisti: verùm hoc scito, neminem poëtam bonum tibi scripturum esse Epithalamium: cùm in altero bicipitis Parnassi vertice *Bacchus* habitet. Apage autem cum istis tuis aquis, aqueisque, pallidulis, exanguibus, & male gratis amoribus, dignis quos omnium poëtarum carmina exagitent, sterileque tibi imprecentur matrimonium, ne aquæ potorum familia, *Apollini*, *Bacchoque* invisa adolescat. Lubet enim in nuptiis cùm agas hoc tempore, cùmque aliud scribendi argumentum, aut saltem non magis oportunum habeam, liberius tecum jocari. Sed hi joci forsitan seria ducent, & aliquando bonis avibus ipse maritus paterquefamilias fies. Sphæricus annulus ubi ab authore ad me venerit, confestim a me mittetur. Augustam si veneris, nec habebis canicularibus æstivisque diebus quod agas, quæso ne gravêre Ingolstadium excurrere. Iter tutissimum est & breve, & turpe est te, qui Gallicas Italicasque Academias adieris, vicinum Patriæ Gymnasium non incelebre, nunquam vidisse. Invenies & hic quos te vidisse ac novisse juvabit. *Wigilæus Hundt* (5) Doctor & Institutionum Professor, Bononiæ tibi quondam familiariter junctus meditatur quoque matrimonium. Doctor *Wolfgangus Bosch*, quem Biturigibus novisti, Illustrissimi Principis *Alberti* Præceptor, nupur uxorem duxit. Huc si venire libuerit, veterum amicorum exempla te quoque ad matrimonium propensiorem efficient. Quamobrem si quando vacabit, tantuli itineris quæso te ne pigeat. Bene vale. Ingolstadii 20. Junii anno 1538.

(5) *Wigilæus Hundt*] V. Notas ad vitam N. XXXVII.

EPI-

EPISTOLA CV.

Ex Tomo II. fol. 86.

GEORGIO HERMANNO.

De male morato filio, patris dolorem lenire ſtudet, & conſilia ſua aperit. 1538.

QUod tu antea de *Joanne Georgio* ſuſpicatus es, id nimis verum eſſe doleo, neque amplius habeo quo illum excuſem, vel tuam indignationem prohibeam. Mirum verò quæ hominem agitet ſtultitia, ut deprehenſus antea, in eodem rurſus genere peccet. Ego quod in meas litteras commiſit, nullam umquam ei ſignificationem dedi quod reſciviſſem, ita enim tu voluiſti. Sed ſi me cum eo expoſtulare paſſus fuiſſes, timuiſſet fortaſſis deinceps celare ſe id non poſſe, neque facile idem rurſus committere auſus fuiſſet. Ego ferè amplius quid dicam, aut conſulam, aut conſoler, non habeo; ita dolor ac indignatio animum meum commovent. Citius olim credidiſſem cœlum ruiturum, quàm illum eo venturum. Verùm horum omnium mater eſt ebrietas, quæ mentis cæcitatem adducere ſolet, & oblivionem litterarum ac bonarum rerum omnium, quæ corpus debilitat, & redundantem in eo choleram, tamquam oleum igni injectum, incendit. Non fuit ille talis dum ſub meâ fuit curâ, nec tanto tempore, quo unà egimus, ullum ejuſmodi mentis ſignum deprehendi. Verùm quod in arboribus, pratiſque copioſo fructu luxuriantibus ſubinde accidit, ut vel uredo, vel grando, vel (ut Jureconſulti vocant) vis major, omnes agricolarum ſpes enervet, id in hominibus nimis quoque verè evenire aliquando animadvertimus: ut de quibus in flore bonam ſpem concepimus, eos repente vel improborum conſuetudo, vel amorum intemperantia, quaſi quædam tempeſtas conquaſſet, ut nullis unquam monitis erigi poſſint. Nam iſte certe noſter hæc vitia * abs te hauſit, non a me didicit, ſed nuper admodum aſſumpſit. Quid igitur, inquis, faciam? Dum omnia, mi *Georgi*, mecum excutio, in illud ſemper relabor, filius eſt, quem tibi ſecundum Jus Civile

* *Supple*: non. *Ita enim videtur, ut patri amico convitium faciat.*

vile abdicare, neque ex hâc causâ exhæredare licet. Patris autem omne officium ac jus in filiorum correctione eò tendere debet, ut meliores efficiantur, ne severitate pœnæ in filium, seipsum affligat, ac majorem sibi dolorem accersat. Etenim cùm filius secundùm nostros Jureconsultos eadem cum patre persona esse censeatur: quos tam arcta naturæ copula conjunxit, eos pœna alterutri illata non separat, sed mutuo cruciatu afficit. Deus tibi quinque filios largitus est, in hoc fortassis tamquam primogenito, nimium gavisus es aliquando. Ille autem rerum humanarum moderator, secundùm *Homerum* duo habet dolia, unum tristium, alterum lætarum rerum, ex quibus variè miscet mortalium fortunas. Cæteri filii obsequuntur, ac voluptatem tibi magnam adferunt. Sed ille nullum mel sine felle esse sinit, ut meminerimus, nos in humanis non in cœlestibus agere. Hoc igitur incommodum hujus filii tibi quoquomodo ferendum est. Consilium de uxore illi dandâ mihi non displicuit, ut ipse sui juris propriique foci (uti dicimus) factus, te hisce curis exoneret. Cùm tam multas illi rursus vias proposueris, vereor ne & ille non queat eligere, ac certi quicquam constituere, neve conetur aliquò elabi. Si ad unam aliquam viam eum urgeres, minus resistere posset. Verùm avidè expecto quidnam ille tibi responsurus sit. Ut Bononiam aut Paduam eum ire cum *Carino* * sinas, non suadeo. Reperturus est utrobique quorum consuetudine fiat deterior. Ut fiat sacerdos non suadeo. Invitum autem ad hoc isto tempore urgere, non est tutum, præsertim quia hoc sæculo, & præsertim Augustæ inde ei quandocunque resilire licet. Quam verò sit idoneus, ut ipse se suâ arte alat, satis intelligis. Itaque ex quatuor duæ viæ restant. Si negotiis applicabitur, vereor ne hosce mores secum adferat. Ego nuper ad eum amicissime scripsi, idem rursus facio. Quod *Carinus* sibi de eo metuit, idem ne mihi acciderit vereor, & ne qui patronus semper illi apud te fuerim, accusator, & tuæ indignationis instigator esse credar. Sed tu ex omnibus meis epistolis animum & amorem meum erga eum cognovisti, quem perpetuò retinebo etiamsi ille meæ voluntati non respondeat. Quod si ipse secum cogitaret, quantum ex illo dolorem accipiam, & me tantum redamaret quantum a me amatur, aliter

* *Ludovico. Præceptore.*

aliter forte ſentiret, faceretque. Vale. Ingolſtadii 25. Junii anno 1538.

EPISTOLA CVI.

Ex Tomo III. fol. 94. vſo.

JO. JACOBO FUGGERO.

Vini laudes uſumque apud aquæ potorem eleganter deprædicat. 1538.

NOndum, uti video, *Jo. Jacobe* Ornatiſſime, cum *Baccho* & Poëtis vis redire in gratiam. Atqui ego proximis iſtis ſororis tuæ nuptiis, illud veteris legis convitium: *aut bibe aut abi*, vini tibi tandem excuſſurum eſſe faſtidium ſperabam. Vinum antiqui ſacrificiis adhibebant, neque noſtræ religionis myſteria ſunt ἄοινα. Sine vino nec carmina ſcribuntur, nec nuptiæ celebrantur. Et ipſa Italia in vinorum bonitate præcipue gloriatur. Quid igitur habes quo tuam ὑδρομανίαν exornes? Medici vinum potanti certam prædixerunt Podagram. At quanta tibi contrà morborum moles ex iſtis tuis aquis impendet? Adferunt ſecum aliquam ſolicitudinem divitiæ, ſed quot contrà malis obnoxia paupertas? Proinde communi ſenſu carere creditur, qui propter cuſtodiæ curam, opibus egeſtatem anteponit. Jam rurſus quod majus humanæ mentis delectamentum eſt, quàm amor? Et hic tamen ſine *Baccho* friget. Quapropter qui aquam potitant, tanti ferè boni dulcedine carent. Denique & ipſa convivia inventa in hoc, ut triſtitiam ex negotiis contractam mortalibus diſcutiant, tuo etiam judicio, niſi merum acceſſerit, ſunt melancholica & plane canina, (ut in proverbio eſt) prandia. Verùm ceſſo tibi vini laudes recitare, ne magis etiam ſortem tuam dolere incipias, ubi tanta tibi bona naturam invidiſſe perpendas. Habes pro aquaticâ epiſtolâ vinaceam, meraciorem tamen futuram, niſi ante prandium ſcripta fuiſſet. Bene igitur vale, *Fuggere* Chariſſime, ſi modo ſine vino bene valere potes. Ex Ingolſtadio 4. Auguſti anno 1538.

Ex Tomo III. fol. 108.

EPISTOLA CVII.

ANDREÆ ALCIATO.

1538. *Alciatum honorat & extollit, ipse de consule rhetor factus. Parerga illius expetit. Hieronymus Aleander in Germaniam missus.*

DIu quæsitam ad te scribendi oportunitatem, Præceptor incomparabilis, obtulit tandem *Andreas a Kebitz* hujus nostræ scholæ alumnus. Qui cùm ad metam pene Juris Civilis studium non infeliciter duxisset, haud alibi magis speciosum Colophonem imponere se ei posse credidit, quàm in Italiâ, idque Bononiæ sub te Doctore omnium, quos hæc ætas nostra habet, facile præstantissimo. Dici autem non potest quanto simus gaudio cumulati, quod non modò te ex fatali illâ bellorum procellâ καὶ ἐξω βελῶν tibi studiisque ac Musis restitutum, verum etiam ad summum litterariæ professionis honorem Pontificis Maximi judicio omniumque consensu & applausu evectum esse intelleximus. Et quanquam Bononia omnium Gymnasiorum nostri temporis facile Regina habeatur, visa est tamen pleriſque ejus Majestas nonnihil decrescere, donec nunc per te pristinum honorem ac famam recuperavit, dum videlicet non tantum ex ejus celebritate tua augeri existimatio, quantum ex tuâ illustri gloriâ viciſſim ornamenti ac decoris ipsa recipere videtur. Ego autem Illustrissimorum Principum Bavariæ postulatione ad docendi quoque functionem redii, factus (ut mecum ipse jocer) de Consule Rhetor. Et haud illubenter oblatam studiorum quietem, in tantâ apud nos mortalium dissensione, quæ Respublicas non mediocriter labefactat, splendidiori fortunæ & dignitati consulari antepofui. *Parerga* tua hisce nundinis Francfordiensibus expectamus, Basileæ enim excudi, ab *Claudio Cantiuncula* accepimus. Gratissimum autem studiosis omnibus feciſti, qui ipsis tandem lucem concesseris: mihi verò eorum lectio hoc erit jucundior, quòd cùm ex eis pleraque vel publice vel privatim incredibili voluptate abs te coram

coram audiverim, nunc eadem ſcriptis, vivam nobis vocem repræſentantibus explicantibuſque, plenius mihi percipere licebit. Nihil fuit adhuc ex præſentibus nundinis Francfordienſibus allatum, alioqui haud eram commiſſurus ut vacuus hic ad te veniret. Si quid tamen erit librorum in Germania excuſum, quod ad te mitti deſideres, gaudebo gratificandi occaſionem abs te mihi præberi, Venetiaſque & inde Bononiam ad te perferri haud difficulter curabo. Germanicarum rerum vetus eſt ſtatus: Dogmatiſtæ omni ſtudio ſectæ ſuæ pomeria proferre conantur. Venit autem hiſce diebus in Germaniam *Hieronymus Aleander* (1) Cardinalis Brunduſius, forte ut Epiſcopos noſtros alto adhuc ſomno oppreſſos & de componendo Religionis diſſidio minimum ſollicitos, Pontificalibus mandatis excitet, ac Concilium quod tamdiu vanè vocavimus, ne nunc oblatum recuſemus, perſuadeat. Bene vale Jureconſultorum incomparabile decus, & *Viglium* tui nominis ſtudioſiſſimum in tuorum numero permanere permitte. Ac iſtum, quæſo, qui haſce meas tibi litteras reddit, tuâque excitatus famâ iſthuc profectus eſt, meâ cauſâ commendatum habere non graveris. Ex Ingolſtadio 10. Septembris anno 1538.

EPISTOLA CVIII.

Ex A. Scburio in Epiſtolarum faſciculo pag. 332.

ANDREAS ALCIATUS.

Clariſſimo Jureconſulto, domino Viglio Zuichemo, amico optimo.

Ingolſtadii.

Significat litteras Viglii ſibi redditas: laudatque ejus con- 1538.

(1) *Hieronymus Aleander*] a Paulo III. Cardinalis creatus eſt die 20. Decembris 1536. declaratus, ſeu evulgatus 13. Martii 1538. Dictus eſt *Brunduſinus*, quod ejus urbis Archiepiſcopus eſſet. Obiit Romæ an. 1542. ætatis fere 62. annor. Curioſa, & quæ operæ pretium habent, adfert *Ciaconius tom.* 3. *col.* 623. *& ſeqq.*

consilium, quòd foro relicto ad docendi munus redierit. Ipse ex Ticino Bononiam migravit. Laudes a Viglio sibi scriptas modeste declinat.

SI non aliud *Andreas* hic *à Kobis* promeritus de me esset, vel hoc tamen nomine pluribus me nexibus alligavit, quod tuas literas mihi reddidit: quæ mihi tam jucundæ gratæque fuerunt, ut nec *Petrus* quidem tantam ex machæra illa sua alacritatem conceperit. Optabam scire, an Spiræ adhuc esses, an consulari munere fungereris: tùm ecce in tempore *Andreas* tuus cum literis. Legi itaque illas avidissimè, idque ter & quater: nec tamen ulla iteratio tædium peperit. Laudo consilium tuum, quod forensibus scribliginibus, illitteratisque litteris omissis, ad docendum te transtuleris, atque id in orthodoxa academia; atque etiam luculento, ut accepi, honorario, & quale nemo ante te in Germania accepit. Volvimus sursum deorsum & nos eundem lapidem, & in eundem scopum collimamus: ut necessariò consilium meum probem, dum tuum laudo. Exegit me urbe Ticino belli metus, & in istam academiam transtulit, in qua omnia sunt quietissima. Sequuti sunt me discedentem quâmplurimi auditores, qui non solùm theatrum augent, sed & cæteros conciliant, inter quos Germani tui vel primas partes tenent. Aggrediemur proximis auspiciis sol. mat. & quæ deinceps. Quod fortè & tu es facturus: si tamen Ingolstadiensis academiæ leges & mores cum nostratibus conveniunt. Quòd gratularis mihi exiisse in publicum *Parerga*, more tuo facis, qui semper plurimùm amicitiæ nostræ tribuisti. Ego certè tantam laudem non agnosco: nec adeò aut illum librum, aut studia mea probo ut sponte essem editurus. Sed Domini *Othonis* humanitati candorique quicquam denegare neque volui, neque potui. Alioquin eram penes me habiturus, quotidieque aliquid addidissem: est enim argumentum illud, ut scis, latissimum, & quod subindè in dies & horas posset subolescere. Proxima erit aliqua alia fœtura, postquam non sinunt me chalcotypi otiosum esse: qui non solùm mea me invito edunt, sed alienis quoque plumis velant. Fero tamen æquo animo, & omnia boni consulo. Quòd si aliquos

quos parum æquos mihi experior, non tamen animum defpondeo: ſed ad aliorum candorem reſpiciens, me exhilaro. Vetus eſt; (1) *Mimnermi* opinor Πρὸ κακοῦ φρίκα πάρα, ἀνυπερβάρητα γολιτᾶν: ἄλγος δὲ τὸ τε κακῶς, ἄλγος ἀμείνων ἔρι. Quod non dubito quin & tu facias, ſicque antiſophiſtas omnes ulciſcaris. Si tu vales, ego bene valeo. Bononiæ XI. kal. Novembres. M. D. XXXVIII.

Tui amantiſſimus ANDREAS ALCIATUS.

EPISTOLA CIX.

Ex Tomo III. fol. 148.

JOANNI GEORGIO HERMANNO.

Gratulatur Joanni de filiolo ſibi nato; Baptiſmum ritu Catholico collatum probat. 1539.

BInæ tuæ litteræ, *Jo. Georgi* Chariſſime, gratiſſimum mihi de filio tibi nato nuncium attulerunt. Deus autem tibi ac nobis diu illum ſuperſtitem eſſe velit, ac in rectiſſimâ fide optimiſque moribus ac litteris ſic adoleſcere faciat, ut non modò perpetuum iſtud noſtrum ſit gaudium, verùm quotidie

(1) Μιμνερμος. *Mimnermus*, ſcribendum arbitror. Fuit hic Elegiarum ſcriptor, quem nonnulli ſeptem illis ſapientibus æqualem, alii etiam antiquiorem faciunt. *Suidam* conſule, ſi quidem rem tanti eſſe putes. *A. Scburius p.* 334. Conſonat *Car. Steph. in dict. hiſtor.* Horum verborum ſenſus eſſe videtur: *Priùs tui ipſius mentem afflictorumque civium oblecta: mœror cur tibi nocet*, aut, *te affligit*? *Mœror melius* (id eſt: levamen) *quæris.* Sed tunc pro τίς lego τί, & pro κακῶς, κακοῖ; aut κακῶς, (*Malè*) retento, ſuppleo verbum v g. *aggreditur, tractat* &c. ut ſenſus ſit: *cur te malè* tractat? Demùm pro ἔρι, quod hic nullam ſignificationem habere poteſt, lego ἔρῃ quo Doricè utimur pro ἔρᾳ tertia perſona Præſentis Indicativi ab ἔραω, *amo, quæro*: Ego certe nihil præterea elicere valeo. *Scburius* impreſſit prout in textu, & nihil ſibi ſumpſit examinandum. *Obſervatio P. Wilhelmi Smits Ord. FF. Minor. Recoll. Sac. Script. Profeſſoris.*

die, novâ acceſſione auctius fiat. Optabam filiolum iſtum, mecum mihi communem, propriis manibus ſuſcipere, nec ulla itineris temporiſve difficultas mihi obſtitiſſet, ſi vos tantum, ubi hoc officium præſtare potuiſſem, indicaſſetis. Quando autem hoc non licuit, quicquid nomine meo geſtum eſt, in meliore formâ ratum habeo. Eoque lubentius ſuſceptoris (1) officium ſubeo, quod vos veteribus ritibus hoc ſacroſanctum myſterium peragi malueritis, quàm novâ iſthâc quorundam rei ſanctiſſimæ prophanatione, quum ab ipſis uſque Apoſtolorum temporibus, ubique gentium receptis Eccleſiæ ceremoniis Baptiſmum adminiſtrari, ſanctiſſimorum virorum authoritas (2) comprobet. Quos & eo nomine hîc te ſecutum fuiſſe perplacet, quòd hæc noſtra cognatio ſpiritualis (3) illorum maxime nitatur authoritate, qui hos ritus nobis tradiderunt. Vulgus autem ſolet ſuſceptoris officium pretio redimere. Id ego nullo pacto facere poſſum, cupiens jus quod mihi in tuum competit filiolum, cùm per ætatem licebit, exequi, atque unà operam

(1) *Suſceptoris officium*] Id eſt patrini. *Conc. Trid. Seſſ.* 24. *de Reform. matr. cap.* 2. ſtatuit, ut unus tantum, ſive vir ſive mulier, juxta ſacrorum canonum inſtituta, vel ad ſummum unus & una baptizatum de baptiſmo ſuſcipiant. Hodie vocantur *patrinus & matrina:* quia dum vigebat mos baptizandi per immerſionem, horum officium erat baptizatos *ſuſcipere* & levare de fonte baptiſmatis.

(2) *Sanctiſſimorum virorum authoritas*] V. Tertull. de bap. cap. 18. Paſſ. SS. Victor. & Alex. apud Ruinart in actis mart. ſelec. p. 303. S. Auguſt. ep. 98. aliàs 23. ad Bonif. n. 7. S. Dionys. de Eccl. hierarch. cap. 2. S. Joan. Chryſoſt. in cap. 4. Gen. homil. 21. &c. Singularia porro & accurata de baptiſmi ritibus ſuppeditabit *Franc. Amat. Pouget in Inſt. Catbol. tom.* 1. *a pag.* 208. ex quo hæ citationes.

(3) *Cognatio ſpiritualis*] Contrahitur inter ſuſceptores ac baptizatum ipſum & illius patrem ac matrem, nec non inter baptizantem ac baptizatum, baptizatique patrem ac matrem tantùm. *Conc. Trid. Sup.* Cujus cognationis effectus eſt, ut qui baptizavit, conjungi non poſſit cum perſona baptizata, ejuſque parentibus. Si parentes ipſi ſuum infantem baptizent, quid juris *V. apud S. Thom. in ſupplem. quæſt.* 56. *art.* 1. *in corp.*

ram tecum dare, ut fidem, quam meo nomine pro illo præstari voluistis, omni religione adimpleat. Quo autem ille me agnoscere aliquando lubentius incipiat, ac susceptoris recordetur: exiguum mitto munusculum, marsupium videlicet sericum cum Rosâ nobili & Angelo Anglico. Adjeci & baptisticum numisma, orthodoxas quidem præferens sententias, sed ab authore eo procusum, cujus infelix exitus commonere omnes debet, ne sacrosanctas Ecclesiæ traditiones humanâ temeritate violent. Id filiolo meo *Hieronymo* dono do, ac matris custodiæ committo, quam meo nomine etiam atque etiam salutabis: Adderem aliud nisi adhuc infra Purificationis festum esset. Quod semel autem Deo auspice bene feliciterque cessit, precor ut sæpe sæpiusque reiterans, numerosâ prole vestram familiam fecundet. Fistulas accepi unà cum cerâ, tibique pro sedulo officio gratias ago. Expecto ut *Henricus* noster aliquando huc expatietur. Idem ut tu faceres rogarem, nisi domestico officio obstrictus esses. Bene vale, Compater charissime. Ex Rainâ 3. Decembris 1539.

EPISTOLA CX.

Ex Tomo III. fol. 149. vso.

JOANNI HERVAGIO (1).

Consilium suum depromit super meditata per Hervagium editione librorum Juris Civilis. 1539.

LItteras tuas, *Hervagi* optime, quibus te librorum Juris Civilis editionem meditari scribis, meamque ad id operam

(1) *Joanni Hervagio*] Hic typographus Basileensis, qui *Joannis Frobenii* viduam uxorem habuit, ut nomen sibi aliquod faceret, non cessavit quotidianis *Vigilium* urgere epistolis, antea quidem de *Ciceronе*, postea de Juris Civilis corpore emendando, ac tandem anno 1540. etiam prætermissa ab *Holoandro* in Novellis restitui ab eo desideravit. *tom.* 3, *pag.* 223. Porro Corpus Juris Civilis excudit cum aliqua accessione, in qua tamen præcipuum est, quod titulum *de excusationibus tutorum* græcè,

ram rogas, ante aliquot dies ex Frisiâ meâ reversus, & ob pestem apud Ingolstadium grassantem, abitionem rursus moliens, in mediis occupationibus accepi. Quod tu autem de Juris Corpore edendo constituisti, idem & alios nonnullos haud ita dudum moliri quoque memini, qui meum quoque in eo consilium operamque requisiverunt. Verùm ego operis laborisque magnitudinem animo mecum complectens, tanti impendii autor ipsis esse non potui. Sunt fortassis nonnulli, qui glossas fastidientes, textum tantùm desiderant. Sed si in illorum tantùm gratiam tot volumina excudere volueris,

græcè, ab *Alciato* sibi communicatum, ediderit. *Ibid. fol.* 219. *vso.* & 220. *vso.* Cùm non desineret ille cruda quæque & imperfecta corradere, & a *Viglio* ad *Agninos* remissus esset, tandem ab eo responsum tulit ex Reina pridie *D. Mathaei* anno 1540. „ Literas tuas e Francfordia, vir ornatissime, ac„ cepi, ac gaudeo *Agninos* benigne tibi quæ a me deside„ rabas obtulisse. Quod autem illi indicarunt me multo „ plura habere, id forte ita est, sed quæ ad νεαρὰς non perti„ nent. In quibus quicquid omnino requiratur, puto apud „ *Agninos* esse, cùm & ipsi ea quæ ego in eo argumento pos„ sideo, descripserint. Quamobrem per hunc grammatopho„ rum indicare potes, quæ *Agnini* communicaverint, ut si „ quid plus habuero quod eodem pertineat, ad te mittam. „ Ego tamen valde dubito, consultone facias, qui ista nostra „ fragmenta adjicere editioni tuæ constituisti. Primò enim „ illa sunt inemendata, nec justo judicio satis trutinata, nec „ ego ullo pacto velim, ut meum ipsis nomen prætexas, nam „ reprehensionem magis doctorum ex ea publicatione ve„ reor, quàm laudem aliquam sperem. Deinde verò si sic „ edideris, aliquis mox existet, qui abs te separata in suum „ ordinem rediget, & forte in latinum sermonem convertet, „ novamque ac commendabiliorem editionem molietur, non „ sine luculento aliquo damno tuo. Ex me verò nullum erit „ tibi periculum, ne cui videlicet communicem, qui tuos „ labores & sumptus gravet. Itaque si me audires, vel quic„ quid est hujus rei omitteres, vel eruditi alicujus jurecon„ sulti operam conduceres, qui ex his nostris fragmentis novam „ & integram Novellarum editionem pararet, atque hæc quæ „ accedunt latinitati donaret. Mihi autem & scholastico mune„ re & consiliis advocationibusque occupatissimo minime va„ cat, ex ejusmodi opere vel laudem vel gratiam studiosorum „ mereri. Tu tamen facies, quod videbitur &c. *Ibid. p.* 224.

rix; ipſe cogita, an divendere exemplaria queas. Ego ſine gloſſis jus civile recte diſci poſſe non puto, nec textus nudi editionem Juris ſtudioſis valde utilem fore arbitror. Quod autem varias Lectiones adjicere decreviſti, id quidem non foret aut inutile aut ingratum ſtudioſis, ii tamen authores quos tu præcipue ſequi ſtatuiſti, *Alciatus* videlicet & *Budæus* minimum ad id tibi conferent, cum *Ludovicus Bologninus*, ac alii nonnulli, noviſſime verò etiam *Gregorius Holoander* multis numeris utrumque ſuperarit, & pene infinita mutarit. *Holoandri* verò editionem ſi non retexere, in pleriſque certe examinare accuratius, neceſſe foret, qui meo judicio tantus fuerit labor, ut homini otioſo annus vix ſuffecerit. Ego certe antiquorum exemplarium copiâ deſtitutus, nihil novi in hoc conferre poſſum, cùm in iis quæ a prioribus mutata ſunt, plerumque ipſe hæream & ſubſiſtam. Itaque, mi *Hervagi*, haud magna dos talium annotationę operi tuo per me acceſſura eſſet. Quod ſi verò *Florentini* exemplar ſuum communicare vellent, aut aliud quippiam venerandæ vetuſtatis in lucem prodiret, nec ex iſtis lacunis, unde quidam antea ſua hauſerunt, ſed ex vero fonte Lectio emendari poſſet: jam magno cum plauſu procul dubio hoc opus emiſſurus eſſes. Ex vulgaribus autem, ut dixi, annotationibus haud magnam ferem laudem, niſi forte textum ipſum juxta vulgatam Lectionem communis Scholæ Juriſconſultorum edere velles, & ſingulis deinde capitibus legibuſve ea, quæ ab *Holoandro* aliiſve mutata ſunt, minori charactere ſubjicere. Sic enim magis ad manum erunt, cùm faſtidioſum ſit ex acervo quæcunque repetere ac quærere. Margini quoque non ſatis mihi convenire videntur, non ſolùm quod operis majeſtas illis notis meo judicio deformetur, verùm etiam quod plerumque annotationis prolixitatem marginis ſpacium non capiat. Ad optima autem ſeligenda non modo diligentis ac fidelis, verum etiam in Jure non vulgariter eruditi hominis opera requiritur. Quam ego etſi pleno otio fruerer, atque in id proprie conductus eſſem, intra annum tamen me præſtare poſſe minime confiderem. Eſt enim res non levis momenti, & mei ingenii tenuitatem, ut ingenue fatear, excedit. Itaque ſuadeo etiam atque etiam cogites, mi *Hervagi*, quid facias, priuſquam rem tantam aggrediaris. Illud

etiam non potui non mirari, te a me consilium petere, cum *Bonifacius Amerbachius*, vir Doctissimus, multo meliora impertiri valeat, & mihi otii quàm minimum concedatur. Ad id quod de Græcis constitutionibus Codicis denuo a me rogas, jamdudum tibi respondi, nec recusarem profecto tibi, imo studiosis omnibus in ipsis inquirendis operam meam impendere, nisi jam antea coram ipse repulsam passus fuissem, etsi viri cumprimis clari ac celebris *Petri Bembi* patrocinio suffragioque niterer. Bene vale, *Hervagi* Optime. Ex Raina 8. die Decembris anno 1539.

Ex Tomo III. fol. 157.

EPISTOLA CXI.

LEONARDO AB EGKH.

1539. *De his quæ ad Academiam Ingolstadiensem, in oppidum Reinam ob grassantem pestem, translatam, requisita sunt.*

ACcepi fasciculum cum litteris *D. Mathiæ Held*, Cæsarei Procancellarii, abs te transmissum, eoque nomine magnas tibi gratias ago. Nos hîc apud Rainam, non solùm cum magno incommodo, verum etiam multo graviore sumptu quàm Ingolstadii consueverimus, cum nostro, tum scholarium, agimus. Ac ea nisi causa obsisteret, scholam haberemus fortassis cum tempore non paulò frequentiorem. Advenit & *Caspar Churrerius*, quem nonnulli autorem aliquem Latinum prælegere flagitant, cùm cæterorum professorum nemo unus hic adsit. Mihi autem maxime arridet *Horatius*. Proinde cùm ille tuæ Magnificentiæ authoritate commonitus, minime id recusare audebit, si ita tibi quoque videbitur, aut ipsimet mandare id potes, aut Rectori injungere, ut tuo nomine ipsum de eo compellet. De *Glareano* * velim te meminisse, & hoc quod coram constituisse videbaris exequi. Magnum quippe scholæ nostræ ornamentum per eum accedet. Est enim non modò eximiâ quâdam eruditione, hâc tempestate cumprimis celebris, verum etiam in instituendis adolescentiæ studiis, omnium quos ego unquam

* *Hensico.*

quam vidi aut novi φιλοπονώτατον. De alio quoque in locum Doct. *Franciſci* (1) ſufficiendo, tuam voluntatem cognovi.

(1) *Doct. Franciſci*] Burckhardi, primarii juris Pontificii profeſſoris, de cujus repentino obitu, ante decem dies ad *Antonium Fuggerum* ita ſcripſerat: „ Quarto hujus menſis die, cum „ filio, filiaque vidua, atque ex ea nepote, Doctor *Franciſcus* „ *Burckhardus* nos ſecutus eſt, qui non modò ſalvus ac incolumis verùm etiam ſolito (uti videbatur) lætior, quaſi, „ ſarcina quotidiani periculi apud Ingolſtadium * levatus, huc „ advenit. Cui ſic novum hoſpitium mox adlubuit, ut uxorem cum reliqua familia eodem advocaret, proprio remiſſo „ ad eam famulo, illo ipſo die, quo nos deinde triſtiſſimum „ eidem de inopinato mariti fato nuntium perſcribere evênit. „ Ecce enim cùm heri † nihil prius conqueſtus, ſed valens „ alacriſque hora nona domum ſenatoriam, quæ hîc ad lectionum uſum nobis conceſſa eſt, docendi cauſa primum conſcendiſſet, paulo poſt, cùm verba aliqua feciſſet, id ſe ægre „ habere dixit, quod non aſſueviſſet ex menſa & de plano, „ ſed ex cathedra, ſublimioreque aliquo loco docere. Deinde verò capitis dolore prægravatus, ſolito maturius finem „ primæ lectioni impoſuit. In via tamen adhuc veteri more „ cum auditoribus familiariter colloquutus fuit, obvioſque ſalutavit. Domum reverſus prandio abſtinuit, ac lecto in „ vaporarium ‡ tranſlato, in eum ſe repoſuit. Ibi verò pauca cum filia locutus, morbum ſe intendere animadvertit, „ ac vix ſibi capitis ſenſum conſtare dixit. Inde continuò in „ lethalem ſoporem incidit, a quo dum eum morienti ſimilem „ filia lachrymans excitare conatur, nihil effecit. Rector atque „ ego continuò accurrimus, ſacerdotem atque alios advocamus. Illo autem ſacra verba inclamante, nullo edito ſigno, „ nihilque nobiſcum locutus, aut morti reluctatus leviſſime „ tandem ſub horam ſecundam expiravit. Apoplexiam fuiſſe „ credimus, nam mortua corporis dimidia pars toto livida „ ſubnigraque apparuit. Diſcedens autem Ingolſtadio in medio foro, currus cui inſidebat, ejecta rota, fractoque temone, diffugientibus equis ſubverſus eſt. Ad quem caſum „ populus illic frequens accurrit, amici etiam monuerunt, „ ne omen contemneret, eoque die illic maneret. Verùm „ ille refecto mox curru, itineri ſe rurſus commiſit, ac apud „ nos non ſine lætitia quadam caſum eum recenſuit, ridens „ præſagium, quod tamen non omnino vanum fuiſſe, evenſtus docuit. Nos omni officio ac pietate ut vivum, ſic defunctum proſecuti ſumus, Ingolſtadium deduci curavimus, „ ut

* *Ubi peſtis graſſabatur.*

† 9. *Dec.*

‡ *Hypocauſtum ſignificatum opinor quamvis vaporarium proprie locus ſit qui hypocauſti fumum recipit.*

gnovi. Verùm de *Simone Piſtorio* (2) vereor ne ſerò agamus, cùm illum Lipſiæ rurſus profiteri audiverim. Mihi verò cum illo levis admodum nuper familiaritas interceſſit, & quum ſplendido officio apud Ducem *Georgium* per aliquot (uti fortaſſe non ignoras) annos, functus ſit, meis forte litteris leviter movebitur. Tua verò illum authoritas multo magis excitaret. Forte etiam *Eckius* * commodius cum eo agere poſſet, cui antea ſubindicavit, ſe in noſtrâ Academiâ conditionem aliquam minime recuſaturum. Scripſi tamen ad eum uti ex litterarum mearum exemplo cognoſces. Cujus ſententia ſi tuæ Magnificentiæ non diſplicebit, conſignatas litteras ad eum perferendas curare poteris. Quod ſi tamen ille aſſenſerit, teipſum cum illo omnia tranſigere malim, non modò propter tuam authoritatem, verum etiam quod timeam, ne quid tale accidat, quale de Doctore *Nicolao* (3) con-

* *Joannes, theologus.*

„ ut illic in præparato a ſe monumento quieſcat. Magnum „ ex ejus morte Univerſitas noſtra dolorem accepit &c." *Ex tom.* 3. *a pag.* 152. *uſa.*

(2) *De Simone Piſtorio*] Qui Lipſiæ ex nobili familia anno 1489. natus, in Italia juris ſtudio vacavit & docuit in patria. Anno 1523. a *Georgio* Saxoniæ Duce ad Cancellarii munus vocatus, illud uſque ad obitum principis adminiſtravit. Hoc igitur anno *Viglii* literis Ingolſtadium invitatus in locum *Franciſci Burckbardi*, patriam exteræ conditioni prætulit, & obiit anno 1562. ætat. 73. *V. Freber. theatr. pag.* 846.

(3) *Doctore Nicolao*] Everhardo, Amſtelodamenſi ut vult *Miræus in bibl. Belg.* ubi ſcribit, jurisconſultum eum fuiſſe celeberrimum, qui totam fere ætatem in Germania atque apud Bavaros tranſegit, qui Aſſeſſor Cameræ Imperialis ex parte Ducis Bavariæ anno 1535. conſtitutus fuit, & inde anno 1542. in Ingolſtadienſi Academia Anteceſſor, ſumma ibidem conſtantia per annos quinque & triginta jura publice interpretatus eſt. De ejus operibus vide *Miræum*. Porro *Viglius* eum ubique dixit, *Friſium*, hîc *conterraneum*. Ed ad *Nicolaum Ruckerum* Moguntinum his verbis ſcripſit: „ Noſtra ſchola ut „ cumque refloruit, quanquam Canoniſtam hactenus diſidera„ vimus, quem propediem ex Imperiali Judicio expectamus, „ *Nicolaum* videlicet *Everhardum* cognomento Friſium, qui & „ antea hîc Jus Civile non ſine laude profeſſus fuit. Ingolſtadii 25. Febr. an. 1542." *Ex tom.* 4. *f.* 339. *vſq.* Hic duo no-

conterraneo meo, *Fabius* (4) & de aliis quibuſdam *Chaimus* (5) conqueri ſolebat. Ex illius porro viri celebritate ſperarem Academiam noſtram non leve incrementum accepturam, atque apud eum bene profiteri, minori invidiæ fore, quàm apud alios antea mihi fuiſſe videtur, & ne iterum altero illo redeunte accidat nonnihil, ſubinde vereor. Doctor *Wigilæus Hundt* (6) non modicâ gratiâ apud auditores pollet, & profecto non modò eruditione ac diligentiâ, verùm etiam judicio præcellit. Qualem virum hujus Academiæ proprium alumnum præmio aliquo obſtringere conveniret, ne de aliâ conditione cogitaret, ſed publicis ſtudiis inſervire pergeret. Quapropter, niſi eximius aliquis Doctor aliunde nobis obtingere poſſet, ipſum *Wigilæum* ad aliam quampiam lectionem promovendum cenſerem, videlicet uti *Fabio* Doctoris *Franciſci* Lectio in jure Pontificio aſſignaretur, ſic enim non illubenter primarium ipſi locum relinquerem juxta ſtatuta, de quo aliàs ambobus in Jure Civili profitentibus contentio forte ſuborietur: *Wigilæus* autem poſt meridiem Jus Civile prælegeret. Ad Inſtitutionum deinde Lectionem, ſi quis deſideraretur, noſtra ſchola exhibere aliquem poſſet. Habeo enim apud me *Seldium* quendam Auguſtenſem, juvenem cumprimis eruditum, qui *Zaſium* antea, deinde Bononiæ Italicos Profeſſores præſtantiſſimos auſcultavit, & diſputando, orando, cæteraque ſcholaſtica munia obeundo, lauream omnium ſuffragiis eſt promeritus: quam illi etiam tribuere decrevimus cùm Ingolſtadium redire licebit. Niſi autem illi in noſtrâ ſcholâ aliqua conditio obrigerit, alteri cuipiam Academiæ eum commendare decrevi, nam mihi ad ejuſ-

notanda veniunt, unum: quod *Viglius* nec ſolus fuit, nec ultimus, qui e Conſule ſponte fieri voluit Rhetor. Alterum, quod *Nicolaus* noſter, alius ſit a *Nicolao Everardo* præſide Parlamenti Mechlinienſis. Vide *Miræum in. d. bibl.*

(4) *Fabius*] Romanus. De quo V. ad vitam Viglii N. XXXVII.

(5) *Chaimus*] Marcus Antonius, de quo ibid. Erat nobilis Mediolanenſis, qui publicam legum cathedram Ticini conſecutus, ab Imp. *Carolo* V. inter Senatores Mediolanenſes cooptatus, obiit ibid. anno 1560. *V. P. Freb. theatr.*

(6) *Doctor Wigilæus Hundt*] V. Not. ad Vitam. N. XXXVII.

ejuſmodi aliquod munus cumprimis idoneus eſſe videtur. Omnino autem ſuadeo, ut tempeſtive Magnificentia tua ſcholæ noſtræ provideat, ne quando Doct. quoque *Wigilæo* aliam amplectente conditionem, omne docendi onus in me reſideat. Cùm nec ego quidem ſatis adhuc apud me conſtituerim, ſim-ne ultra conditionis meæ tempus huic provinciæ ſcholaſticæ deſerviturus. Me enim multis ex cauſis tædere jam ejus cœpit, & ne in poſterum magis magiſque tædeat, vereor: præſertim cùm alibi non deſint mihi conditiones, & magis ex parentum, propinquorumque voluntate & ex re ac utilitate meâ. Huic tamen noſtræ Ingolſtadienſi Academiæ ſic faveo, ut quam ipſe florentem videre, efficereque maxime cupivi, multò florentiorem relinquere deſiderem, quò aliquod inde mihi aliquando decus adſcribere queam, quod in tali Academiâ & ipſe olim fuerim profeſſus. Hæc ego, Magnifice Domine, pro meo erga te officio obſequioque, ac erga ſcholam noſtram pietate, ad te ſcribenda putavi, etiam atque etiam te rogans, ut Academiæ noſtræ quàm optime conſulere, & me in tuorum numero habere non deſinas. Bene vale, Domine & Patrone Incomparabilis. Datum Rainæ 20. Decembris anno 1539.

Ex Tomo III. fol. 160. vſo.

EPISTOLA CXII.

GEORGIO HERMANNO.

1539. *Rationes ob quas ab uxore ducenda deterreatur, prolixè exponit.*

MUltum equidem te tuo plurimo merito amo, Amice præſtantiſſime, qui paterno me ſemper complexus affectu, meis commodis, meipſo pene magis favere ac providere non deſinis. Unde etiam nuper de certo vitæ genere inſtituendo cogitationes meas excitaſti. De quo per proximos aliquot annos haud multum equidem fui ſolicitus, quia parentibus ſcilicet promiſeram, abſque ipſorum conſilio aç conſenſu nihil incipere aut ſtatuere. Fuit autem mihi hæç libertas, curarum, quas certa vitæ ratio ſecum adfert, ex-

pers,

pers; non ingrata hactenus, non modò quod mihi interea minus ſeneſcere ſim viſus, dum in adoleſcentum cælibumque numero manerem, verum etiam quod jucundiſſimum eſſe ſoleat, adhærere aſſuetis, præſertim cùm perſuaſum haberem ſtudiis quoque litterarum, quibus ab teneris annis deditus fui, ſic mihi commodius vacare licere. Ut & hodie, dum in futuram ætatem, ſequenteſque annos intueor, & de eo quod tu requiſiviſti certi aliquid tibi reſpondere cogito, multæ ſe mihi non levis momenti cauſæ offerant, præſentiumque temporum conditio inprimis permoveat, ut non modò ſuaviſſimum verum etiam tuſſiſſimum fore credam, in eadem vitæ libertate priſtinorumque ſtudiorum curſu perſeverare. Nam quod plerique vel ob rem domeſticam melius dirigendam, vel opes accumulandas, ad certum vitæ ordinem feſtinant, id me non valde movet. Quum iis quæ Dei benignitas quotidie mihi largitur, non modò facile ſim contentus, verùm etiam ea ſpem votumque meum longe vincant atque excedant. Libidinem autem, quæ in multis dominatur, atque ad rem uxoriam maturius amplexandam impellit, quotidiana ſtudia mea, ſi non omnino in me extinxerunt, ita tamen temperant ac moderantur, ut etſi caſtitatem tueri ſupra humanas pene ſit vires, ab omni tamen turpitudine, dedecore, ac pravo exemplo incontaminatam hactenus famam Deo propitio conſervaverim. Deinde verò præſens hoc profitendi munus, nec eſt injucundum mihi nec etiam infrugiferum. Honeſtæ quoque apud poſteritatem comparandæ memoriæ, quâ nihil mortalibus dulcius eſſe ſolet, ſatis amplam materiam ſubminiſtrat. Scribo enim interea & compono quæ mox (ut ille ait) depromere poſſim. Quod quidem in alio vitæ genere non æque profecto aut liceat aut vacet. Adeo verò hæc vivendi conſuetudo animo meo adlubuit, ut prope in naturam converſa ſit, ſentiamque in meipſo quandam inclinationem propenſionemque animi, a quâ difficulter me queam expedire. Tentavi tamen id nuper, & quando non proprium ſemper ſequi ſenſum, ſed alienis & præſertim amicorum fidelibus conſiliis, obſequi decet, & ad quod tu hortaria idem mihi ab aliis nonnullis ſuaderetur: illud primum apud parentes effeci, ut priſtinam mihi obligationem remiſerint, neque emancipaverint, addito etiam prædiolo, ut haberem

berem quod uxori pro dote reponerem. Jam verò & unus tantum mihi supereſt annus, quo ad præſentem conditionem ſim obligatus. Solutis autem duobus hiſce potiſſimis vinculis, paternæ ſcilicet obligationis, præſentiſque conditionis, ad aliud vitæ inſtitutum migrandi, atque illud quod tu ſuades, capeſſendi, liberior mihi facultas parata eſſe videtur. Nec enim naturâ valde ab re quoque uxoriâ abhorreo. Sed tamen illa, quæ ſupra expoſui, remoram faciunt, ad hæc fratres & ſorores liberis abundantes, non deſinunt me precibus ſuis in præſenti cœlibatûs ſtatu confirmare, ut quod ego in meo ſum expertus beneficentiſſimo Patruo, id ipſorum proli viciſſim exhibeam. Nec parum certe illarum petitione moveor, præſertim cùm in ipſis rectæ inſtitutionis pene majorem ſpem, quàm de propriis concipere liceat. Quando in his cœcus ſolet eſſe plerumque affectus, in alienis verò deligere licet. Et video Doctorum liberos, paternæ indoli rariſſime reſpondere, ab matribus autem indulgentia pene omnes corrumpi, interea dum ipſi ſtudia tantum ſua curant. Nec illud etiam omnino vanum eſt, quod vulgo dicitur, Doctorum Uxores Dominas vocari, ac *Socraticæ Xantippæ* exemplo maritis eſſe moleſtas. Utriuſque documentum ſatis luculentum Doctor *Joannes Recblinger* reliquit. Jam verò ego non modò muliebris imperii impatiens fuero, verùm non queam omnino in animum inducere meum, ut rei parandæ ſim intentior quàm ſtudiis litterarum. Quod tamen non ſolùm uxor requiſitura eſſet, ſed etiam liberorum educandorum cura exigeret. Et ut iſta etiam ſimiliaque impedimenta tollantur, ille non minimus ſcrupulus manet, ubi potiſſimum cùm Matrimonii conditionem quærere, tum domicilium mihi tutiſſimum conſtituere queam. Etenim ſi Ingolſtadii aut ex Bavariâ uxorem duxero, jam ad hoc profitendi priſtinum munus in omnem fere ætatem me obſtrinxero. Quod etſi mihi nunc non tantum leve, ſed etiam jucundum ſit, ingraveſcens tamen ætas laboribus profitendi aliquando forſitan ſuffectura non eſſet. Et Principum favor ſolet leviter mutari, nec eadem ſemper illis aut eorum ſucceſſoribus erga Academias & litteratos voluntas manet. Ad ea autem quæ molior in litteris elucubranda, octo mihi annos aliquando propoſui, quorum jam duo effluxerunt. Cu-

perem

perem quippe solennem aliquam (uti nos vocamus) Lecturam adornare in Jus Civile. Quo opere perfecto, ad amœniora Philosophiæ scilicet & bonarum litterarum studia, redirem, Juri non plus operæ deinde impensurus, quàm quotidianæ consultationes exigerent. Itaque animo meo inprimis adlubescit, ut in aliqua Academiâ & potissimum ista Ingolstadiensi propositum opus absque ullâ rei uxoriæ alteriusve inquietudine exequi liceret. Quo tempore exacto obtingeret forte tandem id quod a principio desideravi, ut in Brabantia senatoria aliave non inidonea mihi conditio concederetur. Quo non modò Patriæ, parentibusque & propinquis essem vicinior, sed ipsis etiam optatum aliquem ex me studiisque meis fructum præbere possem. Et si aliquando uxor liberique forent, omnia eo loco essent & magis commoda & jucundiora mihi. Apud Augustam sunt magnæ opes, & amplæ dotes, sed tu maxime scis quantus illic in vestitu, in communi victu, in totâ denique Œconomiâ sit luxus, quantisque opus sit sumptibus ad alendam atque ornandam otiosam Dominam. Si quæ verò etiam plusculum dotis adferunt mei ordinis hominibus, hæ etiam aliquid amplius eo nomine juris sibi præsumunt. Rursus si (quod optimum est in matrimonio contrahendo veterum consilium) æqualem ducam, tenuitas fortunæ utriusque illo loco ad rei familiaris impensas, sumptuosamque uxoris & liberorum educationem minime sufficeret. Deinde ego, ut meum ipse vitium prodam, sic sum affectus, alieno uti ex judicio uxorem ducere nequeam, quantumcunque bona conditio offerretur: cùm proprii animi sententiam maxime in eâ causâ prævalere debere putem. Et si ipse mihi aliquam delecturus essem, non valde spectarem opes, quæ isto tamen loco vel maxime spectantur, & sine quibus vita illic duci nequit. Jam si opulenta aliqua cuipiam obtigerit, patris illa assueta delitiis atque illecebris usu vel necessitate quandocunque exigente maritum sequi nollet. Et quis isto tempore isthic sit rerum status in propatulo est, ut ego haud bene sanus videri possim, si eo loco domicilium quæram, ubi non modo fortunam qualemcunque in gravi periculo reponam, verùm etiam fidei ac religionis libertatem deponam. Ac nisi multorum in me odia excitare voluero, sustinereque potuero, non tan-

tum connivere, ſed etiam publice aſſentire horrendis eorum dogmatis cogar. Et hoc genus Concionatorum, aliis litterarum ignaris, quod ſuæ non acquieſcant ſententiæ, levius indignantur: in me verò qui aliquod in litteris nomen habeo, expugnando omnem operam ſtudiumque collaturi eſſent. Quando etiam proximis annis a multis celebribus viris non levem impetum ſuſtinui: adverſus quos tamen me ſemel munivi, decrevique nulli novæ doctrinæ magiſtro nomen dare, & eam ſemper ſequi Eccleſiam, quæ Antiquiſſimorum, ſanctiſſimorum, & pariter doctiſſimorum hominum Orthodoxis authoritatibus ſuffulta eſt. Ex his animadvertis haud obſcure, mi *Hermanne*, non modò quod meum ſit propoſitum, verùm etiam quid me impediat, quo minus Magnifici Domini & Patroni mei *Antonii Fuggeri* perfrui beneficentiâ queam, aut apud eum aliquam ſperare conditionem audeam. Ille enim id fortaſſis inprimis volet, ut cùm ad ipſius me obſequia obſtringam, apud Auguſtam mihi in reliquam omnem vitam domicilium conſtituam, uxorem ibi ſubinde ducam, & Patriæ renunciem. Quod cur facere adhuc nequeam, ex prædictis animadvertiſti. Monuit me aliquando obiter *D. Antonius* ipſe, ne me temere hîc ad longius tempus obſtringerem, cùm ſe mihi ad meliorem conditionem adjumento fore polliceretur. Sed tamen id quorſum ſpectet non ſatis intelligo. Ipſi certe inſervire minime unquam recuſarim, cùm non ignorem, quid ipſi, quid vobis denique omnibus debeam. Sed illa obſtant quæ ſupra retuli: & ratiò mihi inprimis habenda eſt, ne dum lucrum avidius ſectari videar, exiſtimationis jacturam patiar. Functio Aſſeſſoria cum primis honeſta fuit, & quanquam profitendi quoque publicum munus ſemper fuit laudabile, pleriſque tamen viſus ſum ab equis (quod dicitur) ad aſinos deſcendiſſe. Idem ne deinceps magis magiſque facere videar, providendum mihi eſt. Sed quid multis? Si cætera non obſtarent, & *D Antonius* remiſſâ conditione conſtituendi illic domicilii, Matrimoniique contrahendi, operam meam requireret, & ſalarium honeſtum offerret, facilius quidem in animum meum inducerem, ut de priori propoſito continuandæ profeſſionis aliquid remitterem. Ut eſt porro præſentium temporum conditio, nec ipſi *D. Antonio* ſemper forſitan Auguſta placebit. Et ſi meâ

operâ

operâ uti vellet, haud paulò melius inservire ei possem liber, quàm uxori & familiæ adstrictus, præterquam quod & expeditius quocunque ille secederet, comitari possem. Quod ille autem forsitan maxime spectat, ne ubi semel meâ uti operâ cœperit, quacunque occasione aut momento ipsum destituam, id aliâ ratione facile posset præcaveri. Commodam quippe & liberalem conditionem meâ sponte lubens retinebo, præsertim si obsequium meum gratum ei esse animadverterem. Deindè posset ille mihi tantum in singulos annos promittere, ut ad certum tempus operam meam illi locare recusaturus non essem. Posset & hinc inde pœna conventioni adjici, si alterum alteri conditionem hanc quandocunque renunciare contigeret. Posset quoque cum tempore ita ea mihi adhubescere, eaque exoriri serenitas, ut meâ sponte matrimonii diuturniorisque domicilii animum essem assumpturus. Habes in omnem partem, Domine & Amice Præstantissime, meam sententiam, quam quia sic voluisti, tibi prosixius aperire gravatus non fui, tuo eam judicio consilioque submittens, ac orans ut per occasionem atque otium rescribas ecquid tibi de meo consilio videatur. Bene vale. Ex Rainâ 23. Decembris anno 1539.

EPISTOLA CXIII.

Ex Tomo III. fol. 177. vso.

HECTORI HOXVIRIO.

Frisiæ Chorographiam in gratiam Petri Appiani Mathematici ab Hectore curandam postulat. 1540.

DUm parentum meorum desiderio, *Hector* Clarissime, inservire studio, accidit subindè, ut & ad te inanes, omnisque vel necessarii vel serii argumenti vacuas litteras, adjungam. Quod te tamen æqui atque boni consulere, spero, cum vel sic illam, quàm Græci vocant ἀπραγμοσύνην evitemus. Novissimè autem ad te ex Augustâ scripsi, ubi aliquamdiu Medicorum Chirurgorumque ope sinistram valetudinem curavi. Et jam remittente se apud Ingolstadium pestè, spem redeundi propediem ad vetus Musarum nostra-

rum domicilium, conceptimus. Frisiæ Chorographiam (1) *Petrus Appianus* (2) intigabis apud nos Mathematicus, a me efflagitare non desinit. Instituit enim cùm totius Europæ, tum præcipue Germaniæ situm, novis exactioribusque tabulis in publicum adornare. Frisiæ verò nostræ eo magis diligentem descriptionem requirit, quòd ea non solùm pristinum & cumprimis antiquum nomen retineat, verùm etiam veteribus adhuc inhærere sedibus, & sola fere apud Germanos indigena esse videatur, cùm aliunde aliæ immigraverint, novaque domicilia occuparint. Ego verò non modò quòd huic viro gratificari valde cupio, verùm etiam quòd hanc Patriæ nostræ illustrandæ occasionem lubens promoveo, te iterum atque iterum rogo, ut si quando vel ille, quem hanc vobis condixisse operam coram significabas, aliquid effecerit, vel alius quispiam sit isthic, qui ad hoc *Appiani* institutum conferre aliquid queat, id a te nobis impertiatur. Desiderat autem ille non nostræ tantum moderæ oræ, sed totius tractus, qui Frisiæ gentis nomine censetur, latissimèque se porrigit, plenam descriptionem. Jam non ignoras, non eam tantùm Hollandiæ portionem, quam si recte memini Waterlandiam vocant, in quâ est Enchusa, Horna, & alia nonnulla oppidula, Frisiis ascribi, verùm etiam nonnullos, Trajectum ipsis subjicere, a cujus civitatis Episcopis non minima quoque Frisiæ portio occupata, nomen antiquum cum imperio commutasse videtur. Jam & Gronynga (quam nescio cur Gauronicam aliquando *Rodolphus Agricola* vocet)

Dy-

(1) *Frisiæ chorographiam*] Qui rem hanc illustratam planamque cupit, adhibeat *Ubbonem Emmium*, *Mensonem Altingium*, *Martinum Hamconium*, *Suffridum Petri de Frisiorum antiquitate & origine*, *Heussenium in prolegomenis ad hist. Episcop. Leovardiens.* & notas *Henrici van Ryn* in editione Belgica tomo 5.

(2) *Petrus Appianus*] Benevizius Leisnicensis in Misnia, inquit *Spondanus ad an.* 1552. *n.* 20. astronomus & cosmographus celeberrimus, de scriptis ac novorum instrumentorum inventione illustris; inprimisque Cæsareo illo organo, quod *Carolo V.* Imperatori dicavit, propter quod fuit etiam ab eo dignitate auctus. Obiit Ingolstadii, ubi profitebatur, ex nephritide 21. Aprilis 1552. *Guil. Budæus in Thanatologio* scribit obiisse duodecima die Aprilis.

Dynastia hujus nominis semper fuit. Deinde ea terra, quæ est ultra Amasum amnem, ac partim nuper in titulum Comitatus orientalis cessit, partim *Omkonis* proh! & Dominabus ab *Jeveren*, ac nescio quibus aliis Regulis paret, in cujus tractu est Emeda urbe, Norda, & Elena, & locus antiquis Frisiorum conventibus celebratus, Aurika, * citra controversiam ejusdem est gentis. Quinimo Emeslandiam juris nunc Monasteriensis, quemadmodum antiquissimum Comitatum Oldenburgensem, nonnullos Frisiæ adscribere video, Jam & qui his succedunt ad Visurgi ostia, ac circum habitantes, quos Wurstfrisios vocant, Bremensi Ecclesiæ jus sibi in eos vendicanti non satis parentes, Frisiorum quoque nomine & libertate sese vendicant. Nescio verò an idem sint, qui ad Jaderam fluvium habitant Budiadi atque Rustri, quibus adscribitur Blexen vicus Divi *Willehadi* morte celebris, & Stadlandia. Sunt deinde, qui Strandfrisii vocantur, item ab fluvio Eydorâ Eydorenses, qui Holsatiæ Duci sub Præfecturâ Gottorpii parent. Nec satis scio, an id nomen etiam se in ipsam usque Cymbricam Chersonesum extendat. Minores enim Frisii Jutis finitimi sunt ab Oriente, ab Occidente Dismarsi. Unde constat, Frisiam Danicæ coniguam esse, cujus pars videlicet est Jutia. Porro Frisiam hanc minorem, partem Holsatici Ducatûs, Romani ignoravere, littus, id attingere non ausi. Igitur quò vera gentis nostræ amplitudo splendidius augustiusque innotescat, & in publicas tabulas authore *Appiano* veniat, valde vellem, ni *Hector*, pro communi in Patriam pietate, operam ilthic te dare, quo per aliquem, qui natura terrarum situm, nomina, urbes, flumina, lacusque, & sinus, quibus ipsæ abundare videntur, diligenter perlustraverit, observaveritque, honestissimus hic *Appiani* conatus adjuvetur. Jam & illud idem quærit, ubi fuerit Manarmanis portus, ubi Herculis columnæ, ubi Flevum Castellum, lacus Baduhenna, & villa Cryptoricis, cæteraque ejus generis a *Ptolomæo*, *Cornelio Tacito*, Latinisque Authoribus memoriæ commendata. Item quæ Frisiorum, Frisabonumque differentia, qui olim Majores & qui Minores, & quibus a Chaucis, quorum jam nomen evanuit, limitibus discreti, nec memini hercule omnia quæ hîc explicari desiderat. Sed si quis hanc hujus rei studiosus fuerit, ejus in-

* Epistolæ beem. *Ita ad margi-nem hujus, in tomo V. pag.* 101.

industria facile supplebit, quæ eodem pertinere videbuntur. Quod si autem tabula diligenter singula exprimenet, liceret fortassis aliqua etiam ex veterum Autorum lectione verisimilibus conjecturis consequi. Mirabere fortassis, quod tibi in Republicâ occupato, ejusmodi imponere provinciam audeam, sed huc me *Appiani* amicitia & Patriæ amor compellit. Qui cùm mecum, tibi sit communis, ac non modò ipse, pro summâ tuâ doctrinâ atque peritiâ, plurimum adjumenti ad hanc rem afferre queas, verùm etiam authoritate tuâ alios impellere possis, non modò ignoscere te, huic meæ non satis invereundæ epistolæ, verùm etiam precibus annuere debes. Quod ut lubenti animo facias, & quid spei *Appiano* facere debeam, per occasionem rescribas, etiam atque etiam te rogo. Bene vale, vir Clarissime. Rainæ 12. Februarii 1540.

Ex Tomo V. fol. 108. vso.

EPISTOLA CXIV.

HECTORI HOXVIRIO.

1540. *De Frisiorum origine & regionis topographia variè disserit.*

COmmune id quidem est Frisiæ nostræ, *Hector* Clarissime, cum aliis plerisque non infimi nominis nationibus, fatum, magis ut hactenus illic defuerint, qui res præclarè gestas litteras commendarent, quàm qui eas facerent. Sed tamen ne sic quidem majorum nostrorum virtus latere omnino potuit, quæ exterorum videlicet historiis sese insinuans, antiquissimum honestissimumque inter cæteros Germanos nomen retinuit. Cujus (ut *Hunibaldi*, *Trithemiique* fabulosas origines, qui nescio quem *Grunum*, Frisumque, & alios nobis confinxere conditores, omittam) Romanæ ipsius historiæ testatio, omni exceptione major, plenum nobis præbet suffragium. Ubi verò deinde ad *Aldgili*, *Radbodique* tempora venitur, multa passim nostræ nationis commemoratio se offert, non tantùm in rerum eo tempore gestarum annalibus, verùm & Sanctorum vitis. Et quanquam deinde Danorum incur-

incurſionibus, graviter patria noſtra, finitimique populi vexati fuerunt, vix ulli tamen citius jugum excuſſere, aut priſtinam libertatem ſive defendere fortius, ſive retinuere longius. Nec tantum adverſus vicinos, dominandi ambitione, eorum quietem libertatemque turbantes, plurimis ſæpe prælis ſuperiores extiterunt, verùm etiam exterorum Principum, in aſſerendo ſibi Patriæ noſtræ dominatu, conatus, clariſſimis victoriis irritos fecerunt. Unde ipſo gentium jure fundata eorum libertas, temporumque longævo uſu communita, alio non videtur indiguiſſe privilegio, niſi tandem, internis defatigatos diſcordiis, ipſa rerum temporumque viciſſitudo ſub æquum cæſaris imperium eos reduxiſſet. Si quis autem exiſteret, qui hæc ab aliis autoribus partim delibata, partim privatis Patriæ noſtræ monumentis, quæ & Monaſteria, & Nobilium antiquæ domus, & ſi quæ uſque ſunt publica archiva, exhibere poſſent, comprehenſa atque conſervata, certo ordine in unum corpus concinnaret, ſpeciem ſaltem aliquam Patriæ hiſtoriæ non ingratam nobis exhiberet. Scripſit aliquando ad me tale aliquid ſe moliri *Gerardus Noviomagus*, ſed neſcio quid ab homine extero, & eo expectare debeamus. Porro ſæpius optavi mecum, quo tibi ejus rei ſtudium adlubeſceret, a qua ſpe cum pene exciderim poſtquam ad Rempub. es reverſus, fratrem tamen tuum *Auſonium* rogavi, ut ſi quæ apud noſtrates ejus generis extarent, ea conquirere, ac mihi impartire non gravaretur. Quo hac videlicet occaſione, vel ipſius ſtudium in eam rem incitarem, vel certè materiam, qua me ipſe ſubinde oblectarem, vel unde aliis res noſtras meliore ſtylo memoriæ tradendas ſuggerere poſſem, acciperem. De locis antiquis, quæ abs te notata ſunt, ſumma cum voluptate legi, cognovique quibus non modo *Appiani* conatum adjuviſti, ſed mihi etiam in rerum patriarum deſiderio ſatisfeciſti. De Friſiæ tamen finibus dubito adhuc, an *Ptolomæi* ſententiæ, qui ab Rheno uſque ad Amaſum habitare eos tradidit, ſubſcribere debeamus. Nam *Cornelius Tacitus* duplicem nationem, minorum, majorumque recenſuit, & *Saxo Grammaticus* minorem Freſiam (ſic enim & ipſe & Beda, juxta noſtram pronunciationem Patriam noſtram vocant) ad Eydoram fluvium collocat, inter

inter Jutiam & Thietmarſiam, quam adhuc eodem nomine Holſatiæ Ducibus parere ſub arcis Gottorpæ Præfectura aliquando audivi. Unde videtur ab Rheno in ipſam uſque Cymbricam Cherſoneſum (quæ hodie omnium conſenſu eſt Jutia Danici Regni prima pars) excurrere. Cùmque immenſos lacus habitare Friſios, *Tacitus* referat, de iis tantùm, qui inter Amaſum ac Iſalæ oſtium ſunt, intelligere non poſſum. Eam vero Friſiam, quæ Bremenſi Antiſtiti ſubjicitur, ad Jaderam, ni fallor, & Viſurgum ipſius etiam *Caroli Magni* temporibus, id jam nomen obtinuiſſe compertum habeo, privilegiaque vetuſta oſtendunt, ut ei certè, quæ eſt inter Viſurgum & Amaſum, multo magis id nomen relinquere debeamus. Citerior autem Friſia, in qua Trajectum & aliqua Hollandiæ pars cenſetur, præter alios, *Bedam* ipſum habet autorem, quam & *Radbodo* per *Pipinum* ablatam refert. Itaque *Appiano* & mihi videtur novis tabulis ea omnia Friſio nomini tribuere, tametſi ea certe portio, in qua nos editi ſumus, citra controverſiam Friſium ſibi nomen vendicat, quæ & præcipuæ ſemper dignitatis extitit, & libertatis gloriam quàm diutiſſime tutata eſt. De *Menarmani* portu valdè mihi tua placet ſententia, & *Appianus* etiam autorem oſtendit, qui & ipſe idem innuit, veteris arcis nomen & ruinas extare referens. Flevum tamen, an Phileum Ptolomæo ſit, *Appianus* dubitat, quod quidam Groningam interpretantur. Sed de Flevo, tuæ ſententiæ *Mela* etiam aſtipulatur, qui & ipſe videtur inſulam Fleulandiam agnoviſſe. Ad ſiniſtram, inquiens, amnis etiam tum, & donec effluat Rhenus, ad dextram primò anguſtus & ſui ſimilis, poſt ripis longè ac latè recedentibus, jam non amnis, ſed ingens lacus, ut campus implevit. Flevo dicitur, ejuſdemque nominis inſulam complexus, fit iterum arctior, iterumque fluvius emittitur. Quanquam ſunt, qui hodie dicant, Iſalæ veteribus incognitum fuiſſe oſtium, & *Druſi* adverſus Germanos bellantis juſſu, foſſâ in mare deductâ factum, ſcilicet, ut illud *Virgilii* conſtet, de Rheno bicorni. Porro Iſala fluvius antiquus eſt, in eo tractu ad quem oppidulum Weerda, qui deinde ad Caſtellum Iſelboreh amnes ab Borlca & Bucholdia, Monaſterienſis ditionis oppidis profluentes recipiens,

cipiens, Anholtum oppidum alluit, & apud Doesbergam Rheno ſive Druſianæ foſſæ commixtus, ſi recte obſervavi, retento nomine, Zutphaniam decurrit, atque ibi recepto Berkela, non ignobili quoque amne, & rurſus apud Daventriam navigabili quoque rivo auctus, in ſinum, quem nos Meridionalem vocamus, provolvitur. In quem haud longè quoque Vechta fluvius, quem Aquam ibi nigram vocant, influit. Is autem tribus infra Monaſterium miliaribus uti aliquando obſervavi, apud Schoppingen oritur, ac per Comitatum Benthemenſem labens, Dinckulam (quem *Hegius* olim celebravit ut patrium ſibi amnem) recipit. Hunc Vidrum eſſe Veſtphali etiam tecum volunt. Inter Iſalam autem ſive Rhenum, Amaſumque, nullus fluvius Oceanum influit, præter Lauritiam rivulum qui Groningenſem agrum ab noſtro diſterminat. Verùm hæc, mi *Hector*, tabula ipſa meliùs repræſentabit. In qua ut *Appiani* inſtitutum, quantum ad Friſiam pertinet, adjuves, iterum atque iterum te rogo. Non dubito autem, quin is, de quo ſcripſiſti, aliquid ei collaturus ſit. Tu modo fac ut nobis charta aliqua communicetur. Fortè verò aliquem etiam ibi invenire tibi licebit, qui de cæteris Friſiis, qui in Orientem procurrunt, aliquid tibi ſuggerere poſſit, quo in unum aliquando tabulæ corpus omnes complexæ, auguſtiorem ſpeciem exhibeant. *Appianus* opus inſigne ſub prelo habet, quod *Cæſareum* inſcripſit *Aſtronomicum*, id ſi aliquando videris, dignum eum judicabis, cujus conatum quoque in novis ad *Ptolomæum* tabulis adjuves. Apud nos hactenus omnia tranquilla ſunt. Haganoæ Rex *Ferdinandus*, evocatis nonnullis Germaniæ proceribus, de componendo Religionis diſſidio comitia inſtituit. De Gelrico negotio confecto lætum nuper nuntium accepimus, utinam & verum. Sed id tuæ forte litteræ brevi nobis certius exponent. Bene vale, *Hector* Clariſſime. Ex Raina ultimo Maii 1540.

Ex Tomo VI. fol. 307.

EPISTOLA CXV.

JOANNES IN GARTEN BEDELLUS INGOLSTADIENSIS, DOMINO BERNARDO LACHAMER PASTORI &c.

1540. DIscooperto vertice S. D. Cùm his dierum interluniis, Plebane novelle, Domine & fautor non poſtponende, viri omnigena litteratura ſtrophiati, ac immenſa ſagacitate paradoxotati, inprimis verò ſacræ Deiloquæ Facultatis Magiſtri noſtri ſublimiſſimi, nec non togatiſſimi Juris Maſtrices, unà cum *Galeni* & *Avicennæ* pronepotibus, ac Ariſtoteliſtis, in ſeptifariarum artium Encyclopædia exagitatiſſimis, longo licet locorum intervallo ſequeſtrati, de novo Angelopolitani lycæi Induperatore, ſuis calculis perpendiculando atque exſibulando in *Collimitium* Rainanum conveniſſent, ibidem æthereus altitonans non hirſuta pupilla Phœbei gregis bipedantis collimans ſuper eximium, nec non in Heptatechnica ſophia reſolutiſſimum, & inſuper in Periclea arte ſpectatiſſimum *M. Sebaſtianum Linck*, in præſtantificum ejuſdem lycæi Rectorem inoculavit, concordantibuſque omnium ſcrupis glorioſe ſublimavit. Poſteaquam verò ego *Joannes in hortis*, Almæ Univerſitatis Caduceator, Protoſceptriger, & Archigrammateus, licet indignus, (quia uti ſcitis ex veſtris Proverbiis: quandoque etiam eſt olitor verba oportuna locutus. Et hoc per parentheſim) in imis præcordiis inſinuavi, quàm benè & domeſticè vos ſemper cum præmentionato Magnifico ſtetiſtis: ideo idcirco tanta bona nova vobis intimare cordi habui. Verùmenimvero ne veſtram religioſam devotionem, quam effluxis interluniis in novello ſacrificatu inpectoraviſtis, ſcribligine mea exibilem: eapropter Laconica periodo præſens ſcriptum terminare, & calamum a charta averruncare non omitto. Attamen ut id non ſtiriata nare, ſed obviis (ut trita fertur cicuta) brachiis, ſuſcipere dignemini

mini quæſumus, per omnia ſæcula ſæculorum, amen. Sitis bonarum rerum & valete ſecundum agnomentum veſtrum tamquam urſus robuſtus ex Polonia. Datum Collimitii Lecdanubiani ex Lycoſtomatis ruinis, Rainæ, ſecundum novam Etymologiam vocati. In die Glorioſæ Aſcenſionis Domini. anno 1540.

EPISTOLA CXVI.

Ex Tomo VII. fol. 161.

GEORGIO HERMANNO.

De Eraſmo ac Sadoleto, uter alteri præferendus ſit. 1540.

SCribis, mi *Hermanne*, incidiſſe iſthic Vobis contentionem, *Eraſmuſne*, an *Sadoletus* (1) ſtyli elegantia policieque præcelluerit, eamque litem mea ſententia definiri cupis. Atqui cùm rectè dictum ſit, earum rerum unumquemque judicem eſſe idoneum quarum ſit eruditus, nec *Apelles* ſutoris cenſuram ultra crepidam ſuſtinuerit, de tantis viris Legulejum pronunciare, nefas exiſtimo. Proinde & mihi tutiſſimum videtur, ea uti cautione, qua veteres in dubiis cauſis ſolebant, videlicet, ut mihi non liquere jurem. Si tamen citra ullum præjudicium, quid ego de utroque ſentiam, requiras: id tibi exponere non gravabor. Quamcumque autem in partem idipſum tibi inclinare videbitur: nec meo tamen calculo tuam idcirco damnatam cauſam, nec rurſus eam probatam, exiſtimare debebis: cum quicquid id ſit, de tantis viris nullam rei judicatæ authoritatem obtinere

(1) *Sadoletus*] Jacobus, Mutinenſis, fuit *Leoni X*, accerrimo ingenio & graviſſimo judicio Pontifici, ab epiſtolis, quod munus apud Romanos Pontifices longè honeſtiſſimum eſt. Tum Epiſcopus Carpentoractenſis in Gallia; *Clementi VII.* ab intimis conſiliis fuit per triennium. A *Paulo III.* Romam evocatus, S. R. E. presbyter Cardinalis creatur 20. Decemb. 1536. Obiit 18. Octob. 1547. *Vide Ciacon. tom.* 3. *a col.* 610. Et præclarum, quamvis breve, elogium lege apud *Spondan. ad an.* 1547. *N. XXVII.*

tinere velim. *Eraſmi* me non ignoras ſtudioſum ſemper fuiſſe. *Sadoleti* verò ante annos decem, legi quædam in Pſalmos elucubrata, quæ ita tum mihi placuerunt, ut & in Epiſtolam Divi *Pauli* ad Romanos, ſcriptos deinde ab eo Commentarios deguſtarem, poſteaquam etiàm de Laudibus Philoſophiæ editos libros avidiſſime legerem. Quanquam autem ego ipſo ſtatim dicendi genere ſententiarumque gravitate, ac rerum pondere, plurimum afficerer, *Eraſmi* tamen ipſius de illo multo plus tribuebam judicio, quàm meo, cùm ſcilicet ipſum, *Sadoleti* ingenium, ſapientiam, facundiamque cumulatiſſimè laudare animadverterem. Nec tamen idcirco *Sadoletus* unquam mihi viſus eſt huic velle palmam præripere: ſed ipſe *Eraſmo* ſemper plurimum detulit. Ea porro cùm fuerit alterius de altero ſententia: quid eſt quod nos odioſam moveamus contentionem, quam ipſi modeſte declinaverunt, & in qua invicem ſibi non illubenter ceſſerunt? Nec ignoras, mi *Hermanne*, potiſſimam mortalium partem, affectione in hujusmodi controverſiis magis ſeduci, quàm ex veritate rem perpendere. Germani *Eraſmum* veneramur, quibus certè ille decus atque ornamentum in litteris maximum attulit. Ut verò Itali viciſſim *Sadoletum* ſuum, aut quemlibet alium venerentur, ac Galli defunctum nuper *Budæum* piè deplorent, cur invideamus? Id tamen negari nequit, ſtilo expoliendo majorem curam *Sadoletum* tribuiſſe, quàm *Eraſmum*. Et quod huic ingenii admirabilis vis & facultas ſuggeſſit, idem cur non & alterum, adjuvante ingenii dexteritate, ſtudio aſſequi potuiſſe concedamus? Præſertim in operibus non ita multis aut magnis. At *Eraſmo* quidlibet tractanti, citra ullam ſtili ſolicitudinem aut imitationis anxiam affectationem, ſua ſponte cuncta profluxêre, plane ut divina & inexhauſta in ipſo ingenii vis atque vena reluxerit, ipſaque ejus, ſive ſuavitas, ſive facultas orationis lectorem non minus quàm aliorum expolita atque accurate limata phraſis delectaverit, affeceritque. Ipſum id, ejus plurima, & inſignia monumenta, quæ omnis admirabitur poſteritas, perpetuò teſtabuntur. Qualia certe ſi ab *Sadoleto* aliiſve expectare liceret, mundum quemdam, ut ita dicam, doctrinæ cerneremus. Porro, ſi quid ego judico, ab nullo hujus ætatis quicquam in litteris eſt editum, quod cum unico

Ada-

Adagiorum opere conferri queat, eſt enim quaſi quædam eruditionis opulentiſſima penus. Ut cætera verò taceam, an quid in Theologia ſcripſerit *Sadoletus*, quod parem Eccleſiæ utilitatem attulerit, ac Novi Teſtamenti tranſlatio, alii cenſeant. In Pſalmos uterque quædam ſcripſit, ſed *Eraſmus*, animi ab gravioribus operibus redintegrandi (ut ipſemet dicere ſolebat) gratia, alter verò juſto ſtudio ac negocio: ut quod ille aliquot diebus effunderit, hic annum forte totum cuderit. Et tamen, ſi ſeriò idem *Eraſmus* voluiſſet, paria meliorane an facere ne potuiſſet, divinare facile licet. Quanquam uterque modeſtè ſua ferrea, alterius aurea eſſe, dictitabat. Verùmtamen, jam non de eruditionis excellentia, aut quis meliora, ſed quis elegantius ſcripſerit, quærere te dices. Atqui ſi mea hæc lis eſſet, malim ego opera mea ab utilitate, quàm ab elegantia laudari. Et ſi elegantiæ eſt, verbis numeriſque *Ciceronianis* aſtringere orationem, hoc fecit quidem accuratius *Sadoletus*, nec minus tamen puto potuiſſe *Eraſmum*, niſi eam curam ſolicitudinemque aliis majore cum fructu impendere maluiſſet. In ſumma; uti *Homeruſne*, an *Virgilius* magis excellat judicare difficile eſt, & tamen Latinorum eſt nemo quin *Virgilium* ſe eſſe malit: ita & ego, quantumvis *Sadoleto* elegantiæ prærogativam conceſſerimus, meliorum Germanorum partem, *Eraſmi* tamen nomen longè auguſtius magiſque venerandum habere exiſtimo. Bene vale, *Hermanne* Chariſſime. Ex Ingolſtadio. 5. Decembris 1540.

EPISTOLA CXVII.

HENRICO FALCOMONTANO (1).

Ex Tomo III. fol. 283. vſo.

Henricum ad ſcribendum provocat. Refert gravem Ferdinandi Regis orationem ad fratrem Cæſarem Carolum V. 1541.

FRuſtra ut credo, *Falcomontane* chariſſime, Doctor *Nicolaus* * meo nomine tuum accuſat ſilentium, quamobrem viſum

* Cognomento *Everhardus*.

(1) *Henrico Falcomontano*] qui fuit aſſeſſor Cameræ Spirenſis,

visum est mihi pristinam rursus tentare viam, num videlicet meis litteris tuas tandem aliquando queam extorquere. Haud enim mihi persuadere possum, vel omnino te oblitum mei, vel iratum mihi, cùm nullius mihi sim culpæ conscius, & summum ipse amoris erga te constantiam in hunc usque diem præ me tulerim, & præstiterim. Quid igitur est causæ quod *Falcomontanus* tam arctæ fraternæque amicitiæ jus silentio relaxat? An isthic tibi tanta negotia, tot acta incumbunt? At hoc certè tempore feriæ aguntur. Si rerum publicarum, temporumque nostrorum miseratio te excruciat, jam ejusmodi curas non alio remedio facilius, quàm amicorum mutuis litteris leniri, non ignoras. Nec arbitror hæreseos alicujus nomen meum delatum apud te esse, ideoque religionis gratiâ vitare te mei commercium, & pristinam scribendi consuetudinem remittere, cùm Ingolstadii habitem. Quamobrem cùm ego nullam taciturnitatis tuæ causam conjectare queam, dic aliquem sodes, dic *Falcomontane*, colorem, aut ne te excusandi difficultate onerem, tantum litteras fac abs te ut videam, & rursus mutuæ amicitiæ nostræ sua redierit serenitas. Ego, mi *Henrice*, recte valeo, studiisque ac Musis meis vaco, securus quid Ratisponæ (2) statuatur. Quanquam tamen subinde non potest meum quoque animum non subire indignatio, quam improborum hominum conatus, ac nimium secundi successus excitant. Cæsar jam parat discessum & militem conscribit, sive quia Italis non satis confidit, sive quia ex Galliâ forte aliquid olfacit. Interea Rex queribundus frustra implorat auxilia. Fertur etiam nuper in publico conventu nominatim fratri Cæsari supplicasse, ut misereatur fortunæ germani fratris, & communis

ad quam anno 1548. per pragmaticam sanctionem instauratam, ab Imp. *Carolo V.* suggerente & deligente *Viglio*, iterum assumptus fuit. *Tom.* 4. *pag.* 498.

(2) *Securus quid Ratisponæ statuatur*] Nimirum initio Januarii hujus anni Cæsar e conventu Wormatiano revocato *Granvellano* (disputari enim ibi cœptum erat de Religione inter *Joannem Eckium* ac *Philippum Melanchtonem*) e Belgio Metas, Spiram indeque Ratisbonam, ubi Comitia Imperii indixerat, profectus est, eòdemque mense Martio Principum Civitatumque legati convenire cœpere. *Pont. Heut. Rer. Austr. lib.* 11. *cap.* 15.

munis patriæ: & qui Regem Paganum (3) nullo ſanguinis aut fœderis nexu devinctum, cum ſummo diſcrimine, in propria perſona in ipſa Aphrica ſuis pridem ſedibus reposuerit, idem fratrem Principem Chriſtianum, conſortem imperii, pro communibus aris & focis periclitantem adjuvet. Sed Deo aliquo opus eſt, qui corda dura contundat, & ſurdas aures aperiat. Vale *Falcomontane* amantiſſime, ac *D. Huberto*, cæteriſque Clariſſimis Collegis multam a me ſalutem dicito. Ex Ingolſtadio 16. Julii anno 1541.

EPISTOLA CXVIII.

Ex Tomo III. fol. 291. vſo.

PHILIPPO MELANCHTONI (1).

Humaniſſime reſcribit ad Philippi literas quibus quemdam commendarat. Votum pro pace religionis. 1541.

QUem ego abſentem ſemper colui ac ſuſpexi, & cujus eruditionem in admiratione habui, mi *Philippe*, præſentem quomodo abhorruiſſe queam? Et ſi quid forte fuit, quod in illo tempore culpandum ducam, id extitit inprimis, quod te totum ſibi vendicans, tantiſque te occupationibus obruens, & ſæpius adeundi & plura tecum colloquendi copiam mihi denegaverit. Ego verò ea, quæ ab adoleſcentiâ ingreſſus ſum ſtudia adhuc perſequens, etſi de iis controverſiis quæ hodie in religione agitantur judicare nequeam: eam tamen mihi libertatem nullo loco auferri ſuſtinui, ut erga bonos doctoſque viros venerationem profiteri non auderem. Me verò

(3) *Regem paganum*] Muleaſſem nempe Tuneti Regem. *V. Pont. Heut. Rer. Auſtr. lib.* 10. *cap.* 1.

(1) Hæc eſt unica *Viglii* epiſtola ad *Melanchtonem*, de quo aliquid adferre ſuperracaneum ſit. Conſulendi auctores Catholici & Lutherani. Auctor cùm ſit Confeſſionis Auguſtanæ V. notas ad Epiſt. LV. ad *Hopperum*, ubi quid de autographo factum ſit, reperies, ignoratum hactenus. Unus omnium inſtar eſſe poteſt *Baylius in dict. hiſt. crit.*

verò ea etiam ſpes alit, fore aliquando, ut piis conſiliis in unum conſenſum de religione ad cæteras diſciplinas excolendas promovendaſque doctorum ſententiæ concurrant, iidemque deinde ſtudia ſua conferant. Cujus cùm te animi ſemper eſſe oſtenderis, tum ut porro eſſe pergas, etiam atque etiam oro, atque hortor: ne videlicet tantùm de religione bene merearis, verùm etiam cæteræ honeſtæ diſciplinæ in tuo ære conſtituantur. Quarum quidem cùm ad Rempublicam gubernandam ac hominum formandam vitam Juris prudentia maximum adferat momentum, ſpeciali illa favore digna videtur: quo videlicet plures in ejus ſtudium incumbant, & ipſi magiſtri in eam recte tradendam alacrius annitantur. *Martino* tuis mihi litteris commendato, cùm ſua virtute omnem benevolentiam promerenti, tum propter te maxime, quicquid in me eſt officii cupidè præſtabo: quando tibi in multo etiam majoribus gratum exhibere obſequium inprimis mihi jucundum fuerit. Vale. Ingolſtadii. Calendis Auguſti. anno 1541.

Ex Tomo III. fol. 310. vſo.

EPISTOLA CXIX.

JOANNI JACOBO FUGGERO.

1541. *Mittit commendatque Joannis Secundi baſiorum libellum.*

QUærenti mihi aliquam ad te ſcribendi occaſionem, haud ullum magis gratum argumentum, quo meo erga te officio ſatisfacere poſſem, jamdiu occurrit, quàm ut *Joannis Secundi* (1). veteris ſolalis, quocum mihi ab tenero quod dicitur ungue: ſub iiſdem magiſtris iiſdemque in ædibus permultos annos jucundiſſima conſuetudo, ſtudiorumque fida com-

(1) *Joannis Secundi... monumenta*] ſive baſiorum libellus, de quo breviter aliquid notavi ad epiſt. e Spira datam 12. Martii 1536. ad Hadrianum Marium. *V. Bibl. Belg. novæ edit. & Sweertium in ſel. orb. delic. p.* 215.

communicatio, & ad extremum vitæ ſpiritum perducta amicitia interceſſit, monumenta tibi legenda offerrem in quibus cùm plane divina quædam ingenii vis appareat, tum nihil noſtro ſæculo eo in genere ſuavius editum legi. Quod etſi proprium ſit baſiorum epitheton (unde & ipſa videlicet ſuaviola, ſuaviationeſque dixiſſe veteres videntur) hujus tamen mihi melliflua carmina quædam dulcedinis gratia ipſa cum re certare videntur, dubium uti exiſtat, verbane rei an res verbis ſuavitatem addant? Quid dicam de aliis quæ parem felicitatem præ ſe ferunt? ſiquidem amores, dolores, joci pariter ac ſeria, omnia denique ſummam indolem ac admirabilem ingenii venam præ ſe ferunt. Eum verò cùm tibi quoque Biturigibus innotuiſſe arbitror, vel mea, vel illius, vel tua ipſius cauſa, iſthunc quæſo libellum perlegere non graveris. Ad cujus ubi perveneris calcem, non modò tantulæ operæ oleique minime te pœnitebit, ſed fati etiam iniquitatem mecum accuſabis, quod tantum ingenium adeo præmature e vivis nobis ſuſtulerit. Vale. Ex Ingolſtadio 14. Octobris 1541.

EPISTOLA CXX.

Ex Tomo III. fol. 316.

ANTONIO PERRENOTO EPISCOPO ATREBATENSI.

Granvellano civili ac urbano ſermone commendat ſe admotum jam Reip. Belgicæ. 1541.

QUum te, Reverendiſſime Antiſtes, eas artes per quas parens tuus ad tam illuſtrem honorum gradum evectus eſt, non ſolùm tamquam hæreditarias ſummo ſtudio amplecti atque excolere, verùm etiam earundem ſtudioſos ſingulari benevolentiâ favoreque dignari, laudatiſſimorum hominum prædicatione, teſtatum, atque etiam ipſemet compertum habeam: merito & eo, & *Boiſoti* (1) veteris amici commendatione

(1) *Boiſoti*] Caroli. De quo ad Vitam N. XLI.

tione indignus videar, si talem patronum nullo ipse officio viciſſim obſervem. Præſertim cùm jam illuſtris parentis tui beneficio, ſereniſſimæ Reginæ, proceribuſque inferioris Germaniæ, patriæ meæ, inſinuatus, quam multis ſtudiorum laboribus peregre fortunam quærebam, in patria tandem obtinere (2) licuerit. Quamobrem cùm tu in eadem natione primariam dignitatem ſuſtineas, ac ejuſdem Reipublicæ columen aliquando futurus ſis, eam, quam coram Ratiſponæ mihi benignitatem exhibuiſti, litteris conſervandam duxi. Non alio nunc uſus argumento, quàm ut meum tibi ſtudium obſequiumque offerrem, viamque ad pleniorem hujus operæ exercitationem præſtruerem, cum videlicet in Inferiorem me Germaniam contulero, ac quædam Reipublicæ ſocietas crebriorem ſcribendi materiam ſuggeſſerit. Quando autem ego ſcholis magis quàm foro ac Reipublicæ hactenus aſſuefactus, ipſa principia novæ conditionis nonnihil exhorreſcam, non alia me adverſus ea ratione confirmo, communioque, quàm ipſorum patronorum, qui authores adjutoreſque ad ea mihi extitere, benevolentia. Quam ut & tu continues, ac cùm opus fuerit, in eandem parentem incites, teipſum Reverendiſſime Præſul, obnixiſſime oratum habeo. De rebus verò Germanicis nihil habeo dignum quod ad T. D. ſcribam. Turcarum metus, qui hyemo nonnihil conquievit, cum vere renaſcitur. Auxilia verò contra tantum hoſtem in hac Principum ac populi diſſenſione, non modò ſerò, ſed difficulter etiam coeunt. Utinam vero Deus propitius Cæſarem felici celerique expeditione ab Aphricâ in Europam, ad Patriam ab teterrimo hoſte vindicandam, nobis remittat. Sub ejus enim ſolius auſpiciis melioris ſucceſſus ſpem concipere audemus. Vale. Ingolſtadii 10. Novembris anno 1541.

(2) *In patria tandem obtinere* &c.] Non Friſiam dumtaxat ſuam, ſed totam inferiorem Germaniam, patriam ſuam nominare conſuevit. Obtinuit hoc anno locum in Secreto Conſilio Bruxellis. V. Vitam N. XL.

EPI-

EPISTOLA CXXI.

Ex Tomo IV. fol. 42 r.

NICOLAO PERRENOTO GRANDVELLANO.

Nicolaum multa urbanitate demulcet, ſuumque ſcriptum in negotio Juliacenſi ei mittit. 1543.

ILluſtris Domine, quum ſuperiore anno commendatione quorumdam, præcipuè tamen D. Tuæ, ad Cæſareæ M. ſervitium ab ſereniſſima Regina Maria (1) accitus fuerim, ſæpè aliquam mihi dari occaſionem optavi, qua meum erga te obſequium viciſſim aliquo officio declararem. Nec omiſiſſem certè interea dum eam expecto, litteris ſaltem memorem ejus beneficii animum teſtificari, niſi te graviſſimis occupatum negotiis interpellare erubuiſſem. Verùm cùm nunc collega datus eſſem *Baroni a Chrychingen* (2) ut nonnulla hiſce comitiis imperii Statibus proponeremus, quæ & bella in inferiore Germania excitata, & alia quædam Cæſareæ M. negotia concernerent, ab *Navio* (3). Vicecancellario, perquam idonea ſcibendi materia monſtrata fuit, videlicet ut de eo quod caput eſt noſtræ legationis, ad illuſtrem D. T., quàm non ſine ſingulari lætitia ab Cæſarea M. in Germaniam miſſam intellexi, ut rebus turbatis conſulat, aliquid ſcriberem. Juſſi

(1) *Regina Maria*] Ungariæ vidua, Belgii pro Cæſare *Carolo* V. gubernatrix. V. Notas ad vitam. N. XL.

(2) *Baroni a Chrychingen*] V. ibid ad N. XLVI.

(3) *Navio Vice-Cancellario.*] Joannes ei nomen, de quo apud *Butkens ſuppl. tom.* 1. *p.* 108. hæc habes: „*Jean Navius*, „ de Luxembourg, Vice-Chancelier de l'Empire, envoyé „ d'Ulm à Augsbourg par l'Empereur avec *Antoine Fugger*; „ il fut attaqué de la fievre en chemin, & revint le lende- „ main a Ulm. La maladie augmentant, malgré les ſoins des „ Medecins, il mourut le 20. Fevrier. * Il a rendu de grands * 1547. „ ſervices a l'Empereur dans les affaires epineuſes. & meri- „ toit une plus longue vie."

Jussi autem sumus causas belli Juliacensis (4) Statibus exponere, ejusque cum Rege Francorum conspirationem detegere, ideoque quæ ad eum finem spectant, in orationem Germanica lingua conceptam redegi. Sed quo eadem Illustris D. V. intelligeret, hisce diebus in Latinam ego linguam utcunque transtuli, eamque versionem nunc Illustri D. V. mitto, ut rem istam non parvi momenti plenius cognoscat, & si quid fortè eidem addendum detrahendumve videatur, nos admoneat. Latius autem quædam explicavi, quàm instructio ad eam rem data præmonstrat, cujus copiam unà mitto, quod & respondendum iis quæ Ducis legati proximis Comitiis in ejus excusationem attulerunt, & alia quædam ab ea re non aliena addenda censerem, prout Regina ut facerem injunxit. Quæ rogo ut Illustris D. V. a me, Cæsareæ M. devotissimo famulo, vestræque illustris D. observantissimo cliente, benignè suscipere, ac pro summa sua prudentia & studio, quo res omnes Cæsareæ M. dirigit atque provehit, si quid mutandum videbitur admonere non gravetur. Nondum enim Regia M. (5) advenit, & fortè haud ita citò nobis audientia concedetur. Deus Opt. Max. Illustrem D. V. cui meum in omnibus obsequium offero, diu servet incolumem. Datum Nurembergæ 8. Januarii 1543.

(4) *Causas belli Juliacensis*] De hoc negotio Germanice scripsit & Latine. Germanica typis edita fuere mense Februario 1543. quando ejus exemplar in Hispaniam misit ad *Carolum Boisotum*, ut est in *tom.* 4. *p.* 435. Hoc scriptum vocat abortivum partum, quòd datum sit sibi, & relegendo adversariorum libello & huic concipiendæ confutationi, solum biduum. *Ibid. p.* 445. Scripsit quoque contra Regis Galliæ *Francisci* I. apologeticum.

(5) *Regia M.*] nempe *Ferdinandus* Rom. Rex. *Caroli* Cæsaris frater.

EPI-

EPISTOLA CXXII.

Ex Tomo IV. fol. 423. vſo.

CAROLO BOISOTO.

De libello ſuo contra Ducem Clivenſem. Quis ejus ſucceſſus. Quis ſolus Duci favet. Proteſtantes quare a Comitiis Imperii recedere minentur. De rebus Hungariæ, & Juliacenſis Ducatus. De Principum Imperii conventu apud Aquisgranum. 1543.

QUod tanto tempore nihil ad te ſcripſerim, his rerum perturbationibus continuiſque meis Legationibus, quæ opportunitatem ad te ſcribendi ſuſtulerunt, imputare neceſſe habeo. At ubi ex *D. Grandvellani* ac ornatiſſimi Præſulis Atrebatenſis præſentia, facultas ad te ſcribendi reddita fuit, non modo mea ſponte, ſed tuis etiam jucundiſſimis litteris impulſus, officium hoc longius differre nolui. Quæ hîc agantur ex aliorum litteris plenius cognoſces. Nos contra Ducem Clivenſem ex mandato Reginæ, ejus diſſimulationem conſpirationemque cum Rege Francorum, & neceſſariæ defenſionis recuperationiſque acceptorum damnorum cauſas, Imperii Ordinibus diligenter expoſuimus, ac in libellum redacta prælo commiſimus lingua Germanica, uti propoſita ſunt, deinde in Latinum a me converſa forte ſimiliter excudi curabimus. Res longa eſt, nec potui hoc tempore ſcriptum ad te mittere exemplar, ſed brevi impreſſum accipies. Multorum certe animos hac noſtra oratione ab Duce Cliviæ avertiſſe videmur. Solus Dux Saxoniæ Elector palam illius partes tuetur, & ſuppetias ei miſit. Ab Clivenſi Doctor tantùm unus adeſt, pro cæteris Legatis Dux ab Rege ſalvum conductum antea petiit, itaque illi expectantur, ut reſpondeant a nobis objectis. Jactant grandia, ſed ſpero noſtram ita fundatam cauſam ut haud facile eam ſubverſuri ſint. Status Imperii valde perplexi ſunt. Proteſtantes abitum minantur, niſi impetrent quæ petunt de judicii Cam. Imp. reformatione, & alia quædam. Bavari cum Catholicis illorum poſtu-

postulatis repugnant. Angit autem Protestantes, processus qui super ejectione Brunsvicensis in judicio Cameræ agitatur. Citati autem recusatorium obtulere libellum, sed eo rejecto, in contumaciam proceditur. Rex de continuandis contra Turcas suppetiis sollicitè agit, sed tot quæruntur impedimenta, totque undique nectuntur causæ, ut verear ne facile compos fiat. Interea in Ungaria dubius rerum status est. *Alexius Thurso* ac Agriensis Episcopus *de Frangepanibus*, quem Ratisponæ cognoviſti, vita functi sunt. *Permius Petrus* in nova civitate Austriæ in custodia tenetur, de quo Ungaris Rex judicium permissurus est. Res nostræ in inferiore Germania omnino Cæsareæ M. præsentiam desiderant. Juliacensem Ducatum penè totum nostri uno mense subegerant, sed Dura, Juliacum, ac alia multa in Ducis rediere potestatem. Nostri tamen munitissimum oppidum Heinsbergam adhuc tenent, cum alio oppidulo quod sorores sive Susteren vocant. Heinsberga duobus miliaribus ab Ruremunda abest, ac ex arce in eam urbem prospectus est, magnaque inde oportunitas Geldriam ac Cliviam invadendi. Arenberga arx munitissima Eyffliæ in hostium potestatem venit. Apud Aquisgranum Electorum Principum & Lantgravii Legati agunt de componendo eo bello; si pacis nequeant invenire rationes, inducias sperant se impetraturos. Quas Dux maximè exoptat, quod pecuniæ inopia prematur, nec vires ad bellum continuandum sufficiant. Si Cæsar cum exercitu tempestivè adesset, facile liceret illum ad æquitatem cogere. Quanquam interea Regina militem colligit, omniaque ad bellum reparandum instaurat, ut non putem eam temere in inducias consensuram. *Rossemius* cum milite ex Francia rediit, vicos aliquot in Luxemburgensi agro incendit, sed milite stipendia postulante vix illorum manus effugit. Itaque illius quoque copiæ solutæ feruntur. Plurimum accepi voluptatis, quod in aliquam Cæsareæ Majestatis notitiam vestra commendatione venerim. Ego omni fide ac obsequio illam implere conabor. Dominus *Granduellanus* amanter me quoque hic amplectitur, ac quæ hîc egi probavit. Talis autem patroni benevolentia suffultus æquiore animo hanc inquietudinem, a qua me scis semper abhorruisse, aliquamdiu sustinebo. Hæc ad te hoc tempore habui, scripturus ad te posthac crebrius,

beius, quo præteriti temporis negligentiam aliquo fœnore compensem. Vale. Nuremberge 9. Februarii anno 1543.

EPISTOLA CXXIII.

Ex Tomo IV. fol. 429.

NICOLAO EVERARDO.

Jocatur cum amico super deserto ab hoc Assessorio munere. De indicto Concilio Tridentino, & Episcopis Germaniæ. De bello cum Duce Clivensi. 1543.

NÆ tu bellus Doctor es, qui pro strena, quam pro hujus novi auspicio abs te expectabam, nescio quas mihi tricas moves. Non est autem mihi impræsentiarum otium, ut iis respondeam. Et ut tibi de eadem moneta satisfaciam, en tibi libellum mitto, quo te oblectes sed tamen ne nimium gaudeas, ab illis te tutum ac exemptum conviciis; hæc falso nomine de te fabula narratur. Ii enim qui Spiræ adhuc sunt, veri sunt Assessores: hic libellus contra te tuique similes scriptus est, qui non expectata Ordinum visitatione, indè vos subduxistis, *dat seind die geweſen beiſitzer.* Nec te sanè illa quæ nuper prætexuisti negotia excusabunt, quo minus his comitiis huc venias. Vos enim qui Assessores proximo quadriennio fuistis, qui novas excogitastis contra novos Assessores jurisjurandi formulas, multaque alia novastis, ad causam dicendam vocabimini: ibi vidè ut rectè Calendarium inspicias, ne de te vicissim triumphem. *D. Franciscus* nondum huc rediit, per quem tibi *Henricum a Tuyst* commendavi: rogo ut juxta meam petitionem juvenem eum ad studia persequenda, virtutemque ac modestiam colendam subinde exhorteris. Quæ Cæsaris sit sententia de indicto Concilio, ex ipsius ad Pontificem responsione puto te jam antea cognovisse, quam ad te unà mitto. Inde verò tibi conjecturam fumere licet, quid ad Concilii celebrationem Domini *Grandvellani* adventus allaturus sit. At verò quid isti Cardinales, Germaniæ Episcopos expectant? An tu ullos nosti in Germania? Quis enim vel sic se amplius sustinet appellari?

lari? Principes ſunt, ad ſuffraganeos iſta pertinet nomenclatura: qui nec ipſi videntur venturi, cùm ad iter ſumptus deficiant. Ex inferiore Germania nihil ſcriptu dignum habemus, ac hyems, ne quid geri poſſit, prohibet. Interea & equitum acres delectus Reginà habet, & pecunias colligit. Dux Clivenſis ſatis numeroſum habet exercitum, ſed qui eum hybernò (ut ſperamus) tempore, atteret, quo futura æſtate, ac tum cùm opus maximè erit, pecunia ad belli impendia eo citius deficiat: quanquam Gallum ajunt auxilia polliceri. Vale, Domine & Amice amantiſſime unà cum conjuge ſuaviſſimiſque liberis. Datum Nurembergæ 9. Januarii 1543.

Ex Tomo IV. fol. 430. vſo.

EPISTOLA CXXIV.

SEBASTIANO TRUCHSES

1543. *Academias Italiæ Gallicis ac Burgundicis, Germano Juris ſtudio incumbenti, præferendas.*

BInæ iterum mihi abs te, ornatiſſime *Sebaſtiane*, litteræ ſunt redditæ, eamque tuam diligentiam & probo & amo. De deligendo alio ſtudiorum loco, vix habeo quod tibi conſulam. Ego aliquot annis non ſine fructu Dolæ egi. Sed tunc & prōfeſſores illic erant neutiquam contemnendi, & commilitones ejusmodi, ex quorum conſuetudine quotidianaque collatione, non minus quàm ex publicis Lectionibus, proficere licebat. At poſtea omnia ibi refrixerunt. Quanquam nuper novus illuc ex Italia adveniſſe fertur Profeſſor haud incelebris, ſed una, quod dicitur, hirundo ver non facit, & ejus nationis Doctores quo ſunt excellentiores, eo ſubtiliora ſectantes, tyronum ſtudiis non ſatis conſulunt. Quamobrem, niſi linguæ diſcendæ magis quàm Juris percipiendi ratio, parentem ac te moverit, non habeo quod eam Academiam valde vobis commendem. Et quanquam etiam ibi non levis eſt praxis cognoſcendæ facultas, ob judicium ac tribunal cùm primis clarum; attamen ea ad Gallicum ferè

ferè formata ſtilum, in Germanica poſtea verſari volenti haud magno uſui erit. Adhæc vobis perpendenda eſt præſens belli tempeſtas; & quâ illa quoque regio non omninò immunis eſſe videtur. Quum nulla igitur in Germania ſit Academia, quam Ingolſtadio facile præferas, & Burgundia, Galliaque bellis implicentur, haud poſſum ſuadere ut eo approperes, ſed potius ut, quonam hi tumultus evaſuri ſint, ſpectes. Ut ſi vel in Galliam, vel in Burgundiam proficiſcendi opportunitas denegabitur; uſque ad proximum Autumnum in cœpto Juris ſtudio ſedulò iſthic incumbere pergas: ut deindè plenius inſtructus, & tuæ vitæ modum ipſe tenere ſciens, in Italiam ad Patavinam, Bononienſemque Academiam proficiſcare. Ubi & loco celebriore, & ad perſequenda ſtudia multò commodiore, cum lingua Italica jus plenius exactiuſque diſcas, tibique (ut mihi quidem videtur) mojorem aliquam exiſtimationem compares. Bene vale, juvenis ornatiſſime, & parenti præceptoriique plurimam a me ſalutem renuncia. Nurembergæ 9. Januarii anno 1543.

EPISTOLA CXXV.

Ex Tomo IV. fol. 434.

PHILIPPO NIGRI (1).

De Conventu Ordinum Imperii Nurembergæ habito in Cauſa Clivenſi. Joannis Eckii mors. Qui Cardinales Tridentum convenerint. De Epiſcopis Germaniæ ad Concilium vocatis. 1543.

HIc omnia lentiſſimè procedunt, ac adhuc in ipſis hæremus proœmiis; nam Proteſtantes privata quædam petentes, niſi ea antea impetrent, de publicis conſulere cum aliis

(1) *Philippo Nigri*] de quo dixi ad N. LXXX. Vitæ. Lubet addere ex *Tomb. des hom. illuſtr. p.* 25. ubi inter Conſiliarios Conſilii Privati recenſetur his verbis: „Meſſire Philippe Ni„gri, dit le Noir, natif de Boulogne, Doyen de S. Gudule

aliis recuſant. *D. Grandvellanus* publicæ auditus eſt. Interea tamen & odia quorumdam mitigamus, & favorem quoad poſſumus nobis conciliamus, ac omni ſtudio in hoc incumbimus, ut tempeſtatem eam, quam bellum Clivenſe excitaſſe videtur, apud quosdam Principes ac ordines Imperii confedemus, incitemuſque eos, quò ad æquas conditiones Clivenſem impellant. An quid impetraturi ſimus affirmare non poſſum. Hoc tamen lucri, uti ſpero, ex hac Legatione accipiemus, quod pauciores habituri ſimus hoſtes, & plures fautores. *Jo. Eckius* (2) Theologus 10. die hujus menſis mortuus eſt, celeberrimæ famæ futurus ſi profeſſioni vita, ac dexteritati ingenii diligentia reſpondiſſet. Tridenti tres Cardinales tantùm adſunt Concilii, unus Jureconſultus, qui Patavii ac Bononiæ diu profeſſus eſt, ac ex Repetitionibus editis tibi non incognitus eſt, *Petrus Paulus Pariſius* (3) iſti certè provinciæ quantum ego hominem novi; parum

a Bruxelles, de S. Pharailde a Gand, & de S. Sauveur a „ Harlebeque, Chancelier de l'ordre du Toiſon d'or, & pre- „ mier Eveſque denommé d'Anvers par le Roy Philippe II. „ Il mourut en l'an 1562. au mois de Janvier, enterré en „ l'Egliſe de S. Gudule, ou il a eu cy-devant ſon Epitaphe.

„ Candida de Nigris. Iſaiæ. I.

„ *Extinctum luget tam plebs tum Curia* NIGRUM,
„ *Conſilium hæc ejus, altera ſenſit opem.*
„ *Si quid erat Nigri, tamen amplius omne repoſtum eſt,*
„ *Hoc iſtiboc tumulo, cætera Candor habet.*
„ *Vive precor Summi Candore,* PHILIPPE, *beatus,*
„ *Candida dum fiant, quæ modo Nigra jacent.*

Obiit anno M. D. LXII. ſtylo Brabantiæ IV. Januarii.

(2) *Joannes Eckius*] V. quæ dixi ad Vitam N. XXXVII. Quæ hic prodit *Viglius*, occultarunt ſcriptores alii. *Spondanus* ad an. 1543. eum laudat ab ingenio & a victoriis contra *Lutherum* partis. *Miræus* ejus opera jejunè recenſet. Neuter de vita aut honeſtate morum loquitur.

(3) *Petrus Paulus Pariſius*] De quo pauca dixi ſup. ad Epiſt. e Patavio datam 8. Kal. Jan. 1532. De judicio *Viglii*, an rectum

parum aptus. Deinde *Reginaldus Polus*, (4). Tertius Mutinenſis (5) qui diu Nuntii apud Cæſarem officio functus eſt. Sed illic omnia frigent. Interea Epiſcopi Germaniæ Comitiorum iſtorum excuſatione utuntur, ad quæ tamen præter unum *Hildeſemenſem* (6) civitate ſua ejectum nemo hic adeſt, cui uti antea contra Ducem *Henricum* Brunsvicenſem quæſtio fuit, ita illo ejecto nunc idem contra civitatem, quæ ab veteri religione deſcivit, graves querimonias movet. Vale. Nurembergæ 17. Februarii 1543.

rectum an ſiniſtrum ſit, non habeo quod pronuntiem. Certe *Spondanus* nihil de *Pariſio*. *Ciacconius* ac *Miræus* pauca valde. Ceterum ſuſpenſa mox Concilii Tridentini congregatione, ipſe numquam præſedit. V. *Battaglini Iſtoria Univerſ. di tutti i Concilii tom.* 2. *p.* 374.

(4) *Reginaldus Polus*] Vir princeps & vir magnus, a Catholicis non tantum, ſed & a Proteſtantibus laudatus. Videat, qui eum noſſe cupit, *Ciacconium tom.* 3. *col.* 627. *Miræum in ſcript. ſec. XVI. fol.* 163. *Spondanum ad annum* 1558. quando hac vita defunctus eſt.

(5) *Mutinenſis*] Joannes Moronus, ab Epiſcopatu Mutinenſi ſic dictus, de quo *Ciacconius* citatus col. 689. Obiit an. 1580. Varjam ejus fortunam breviter ſed accuratè *Spondanus* exarrat locis per indicem facilè quærendis.

(6) *Hildeſemenſem*] Hic epiſcopus eſt *Valentinus* a *Totleben* prout *Bertius* ſcribit, vel *Teutleuwen*, ut eſt in *hiſt. Eccleſ. Germaniæ* Gallico ſermone publicata Bruxellis typis *Franciſci Foppens an.* 1724. ubi *tom.* 1. *p.* 152. dicitur, Doctor theologus, Præpoſitus *S. Bartholomæi* Francofurtenſis fuiſſe, ac poſſediſſe Canonicatum Moguntiæ, Magdeburgi & Hildesheimii, ac an. demum 1537. Epiſcopus ac princeps Hildesheimienſis, e cathedra pulſus cùm iſta civitas Confeſſionem Auguſtanam admitteret. Obiit Moguntiæ an. 1551.

EPISTOLA CXXVI.

Ex Tomo IV. fol. 438. vso.

HIERONYMO FROBENIO, ET NICOLAO EPISCOPIO.

1543. *De suis Commentariis a Frobenio editis, Lucubrationes suas alias perficere intendit. Mittit Joannis Secundi opera excudenda cum nænia in Mori mortem.*

POstquam ego rursus, Domini & amici chariſſimi, ab Scholastica quiete ad Reipublicæ negotia retractus sum, ac ad Belgicæ Patriæque meæ servitia redii, non habui oportunitatem ad vos litteras dandi. Et eadem (ni fallor) mutatio conditionis meæ in causa est, quod nec vos ad me quicquam interea scripseritis. Vidi tamen extare apud Bibliopolas Commentarios meos (1) non ineleganter excusos. Quorum fortassis vobis fœlicior fuisset divenditio, si scholas non reliquissem. Constitueram autem aliquid mearum Lucubrationum singulis expolire annis, & vobis imprimendum offerre, nisi muneri celerius opinione mea valedicere coactus fuissem. Quanquam nec sic quidem ab ea voluntate omnino abduci potuissem, nisi Belgicæ nostræ repentinum graviſſimumque bellum incidisset, quod me sanè multis molestissimisque Legationibus distrinxit, atque adhuc hic occupat. Verum fedata hac fatali tempestate, redeunteque serenitate, non sinam interire superiorum annorum labores. (2) Et aliquid uti spero ad eam rem otii con-

(1) *Commentarios meos*] nempe in Titulos X. Libri II. Instit. de Testamentis, Lovanii dein & alibi excusos.

(2) *Superiorum annorum labores*] sivit interire, non obstante hujus suæ voluntatis declaratione, quòd reip. negotiis immersus, & succedentibus belli Belgici calamitatibus, non vacaverit publicare quicquam. Ab ejus tamen morte edita fuere nonnulla: uti *ad tit. ff. de reb. cred. & ad Tit. Cod. de Edicto D. Adriani tollendo.*

concedetur, præsertim cùm Regina, ubi me Aulæ satietas cœperit, locum mihi in Mechlinienſi Senatu deputarit. Atque ibi sanè me studiorum tranquillitati reddere omninò cogito. Mitto autem impræsentiarum ad vos *Jo. Secundi* opera (3) qui Italorum Doctorumque omnium quos ego audivi, judicio, primam aut certè cum primis inter Germanicos Poëtas laudem meruit. Filius is fuit Præsidis ejus (4) cujus extant *Legalia Topica.* (5) Antea autem pauca duntaxat exemplaria, nec satis eleganter excusa fuere, paſſimque nunc a doctis diſiderantur. Communicavere ea mihi fratres emendata, & adjici cupiunt Næniam in *Mori* mortem, quæ simpliciter inter funera omissa epistola locari poterit. Rogo autem si vobis est animus ea excudere, ut quàm elegantissimo charactere id faciatis, optimoque Poëtæ aliquam gratiam ex ipsa littera addatis. Etiamsi verò hoc genus scripti non solet admodum esse venale, tamen tale vobis esse affero, quod ætatem ferat. Nam ut vina sic etiam carmina bona vetustate probari solent. Et hic liber (si quid judicare ipse possum) & genium habet, & victurus est. Nec *Gelenii* (6) a meo dissensurum spero judicium. Si vos omninò suscipere nolueritis, permitte ut alii concedatis, dummodo & eleganter & emendatè imprimantur. Si neutrum placet, facile ut ad me liber redeat, ac e Francofordia, si licebit, rescribite, quid hac in re expectare debeam. Valete feliciter, & *D. Amerbachio* ac *Gelenio* plurimam a me salutem dicite. Nurembergæ postridie Calendas Martias anno 1543.

(3) *Jo. Secundi Opera*] poëtica, a *Frobenio* excusa, nec *Miræus*, nec *Valerius Andreas* loquuntur.

(4) *Præsidis ejus*] nempe *Nicolai Everardi* præsidis Mechlinienſis filius secundo genitus. V. *Miræum & Val. Andr.*

(5) *Legalia Topica*] Topica Juris, seu loci argumentorum legales, Lovanii 1516. fol.

(6) *Gelenii*] Sigismundi, qui typorum apud *Frobenium* corrector erat.

Ex Tomo III. fol. 148.

EPISTOLA CXXVII.

NICOLAO NICOLAI GRUDIO (1).

1543. *Mittit verſionem latinam Scripti ſui contra Ducem Clivenſem. De editione operum Jo. Secundi.*

MItto ad te, *Nicolae* amantiſſime, verſionem ejus actionis (2) quam hic in Clivenſem Germanicè habuimus. Non affectavi autem in ea ullam elegantiam, quam, ſiquando olim præſtare potui, ea tamen jam dudum tota Juris ſtudio exaruit, verùm id ſedulo annixus ſum, ut cauſam probarem. Haud eram verò in publicum editurus, niſi ita *Grandvellanus* voluiſſet. Nec enim ignoro, quantam mihi invidiam iſthac opera ſim concitaturus, quantoque me objecturus periculo. Sed id omne penſabit, uti ſpero, aliquando Cæſareæ, Reginaliſque Majeſtatis clementia, excitante eam Clariſſimi Præſidis (3) aliorumque commendatione. Ducis Clivenſis Legatio adhuc expectatur, reſponſura iis quæ per nos objecta ſunt, & multò (ut quidam jactant) graviora allatura. Quamobrem ſi quid vos iſthic habetis, quod ad eamdem cauſam pertinet, id quæſo ſuggerite, ac vacuam jam mihi pharetram telis rurſus implete. Ex Francofordienſibus nundinis intelligam, quæ ſit Baſilienſis

(1) *Nicolao Nicolai Grudio*] De quo V. Notas ad Vitam Viglii N. XLI. & de illo ac duobus fratribus Joanne Secundo ac Adriano Mario, *Miræum de ſcript. Sec. XVI. p. 142. in edit. Fabricii.*

(2) *Verſionem ejus actionis, quam &c.*] Indicat verſionem latinam Scripti Germanici a ſe editi contra Ducem Clivenſem in cauſa belli Juliacenſis, quod Scriptum, hunc præfert titulum: *Juſtificatio rationum, ob quas Regina Hungariæ, Belgii Gubernatrix contra Ducem Cliviæ arma ſumpſit. Antv.* 1543. 8. V. Val. Andr. biblioth. Belg. novæ edit. an. 1739.

(3) *Clariſſimi præſidis*] Ludovici a Schora, de quo ad N. LVIII. Vitæ.

ſis Typographi (4) voluntas de fratris imprimendis carminibus. Quid Curſor ab Cæſare attulerit, tu Secretiorum conſcius ex *Grandvellani* litteris facile cognoſces. *Camerarius* tuus Lipſiæ profitetur. Si quid novi hæ dabunt nundinæ, mittam ſuo tempore. Vale, ac *Hadriano* (5) plurimam quæſo a me ſalutem nuncia. Nurembergæ. Calendis Martii anno 1543.

EPISTOLA CXXVIII.

Ex Tomo IV. fol. 441.

LUDOVICO A PRATO (1).

De libello ſuo contra Ducem Clivenſem, & de rebus Germanicis. 1543.

ETſi hactenus in his Reipublicæ negotiis, quorum multò maxima pars in tua prudentia virtuteque recumbit, non auſus fuerim litteris te meis interpellare: cùm tamen olim guſtum aliquem ejus, quod adverſus Clivenſem Ducem Imperii Ordinibus exponendum videbatur, exhibuerim, atque id poſtea ex iis quæ per Præſidem præſcripta inſtructaque fuere, accuratius elaboraverim, jubenteque D. *Grandvellano* prælo commiſerim, non potui facere, quin ejus ad te miſſurus exemplar, aliquid litterarum conjungerem, quo ea occaſione tuam humanitatem in aliquam mei commendationem apud Reginam excitarem. Non potui autem hac in re multum adferre eloquentiæ, a cujus videlicet ſtudio jamdudum me Juris profeſſio abduxit, ſed tamen hæc ipſa ſimplicitas, qua hoc argumentum in lingua Germanica principio tractavi, in qua non potui non ſolæciſare, utpote Friſius, multorum animos, ut de cauſa noſtra melius ſentirent, permovit. Ab adverſariis nihil hactenus reſponſum eſt, nec adhuc

(4) *Baſilienſis Typographi*] Hieronymi Frobenii.
(5) *Hadriano*] Mario, fratri Nicolai Grudii. V. ad N. XLI. Vitæ.
(1) *Ludovico a Prato*] de quo fuſe tractavi in Notis ad Vitam N. XLV.

huc advenere ii, pro quibus Dux ſecuritatem petiit. Reliquarum autem rerum, deliberationem hiſce Comitiis Proteſtantium poſtulata remorantur, quibus etſi per Regem (2) ſatis reſponſum videbatur, illi tamen urgere non deſinunt, omnemque lapidem movent, quo judicium Cameræ Imperialis ſubmoveant, id unum quippè conſiliis ſuis maximè obſtare arbitrantur, metumque non parvum incuſſit, quod Dux Brunsvicenſis exul de pœna banni eos illic accuſat. Deus te nobis Reique Publicæ diu ſervet incolumem. Nurembergæ poſtridie Calendas Martias. 1543.

Ex Tomo IV. fol. 448. vſo.

EPISTOLA CXXIX.

GERARDO A VELTWYCK (1).

1543. *Profitetur ſe Gerardo debere ob cauſæ ſuæ progreſſum. Comitia Imperialia ad exitum vergunt, nulla re cum Proteſtantibus, aut in cauſa Cliveni confecta. Queritur de pecuniæ inopia.*

CUm brevi te advolaturum in tuis litteris pollicearis, non putavi prolixè ac id fortaſſis fruſtra, ad te hoc tempore ſcribendum. Multum autem tibi debere me agnoſco, qui

(2) *Per Regem*] Ferdinandum.

(1) *Gerardo a Veltwyk*] qui fuit Raveſteinenſis, aut, ut alii volunt, Ultrajectinus, Lovanii quondam primus in ſcholis Artium. Ab Hebraicæ, Chaldaicæque linguæ cognitione laudatur in *Bibl. Belg. novæ edit.* ubi dicitur paucissimos ſui ſimiles habuiſſe. Reip. admotus, *Carolo V.* a ſecretis rerum Belgicarum fuit, ejusque lateri adhæſit. Poſt in Conſilium Privatum aſſumptus, anno 1546. legationem Conſtantinopoli obiit, & ex ea rediit Auguſtam apud Imperatorem 12. Aug. 1547. *V. ſuppl. Butkens tom.* 1. *p.* 108. Fuit quoque theſaurarius Ordinis aurei velleris, & toparcha de Bouchout ut eſt in libello *Tomb. des hom. illuſtr. p.* 38. & apud *Val. Andr.* qui locum, annum, menſem ac diem obitus ignoravit. In nova editione ſcribitur: *In fata conceſſit Viennæ in Auſtria anno* 1555. Sed audi *Viglium* ad *Philippum Cobelium tom.* 4. *pag.* 563. „Hic

qui meam causam tam fideliter diligenterque promoveris: de qua bonam etiam spem Præsidis mihi litteræ annuntiarunt. *Grandvellanus* ab hoc instituto (2) me dehortatur, nec ignoro haud defore etiam alios qui meum consilium improbaturi sunt. Verùm ipse optimè scio qua me parte calceus premat, novique ego tenuitatem meam, utcunque tu meam isthic sapientiam deprædicaris. Comitia hæc ad exitum decurrere videntur, Rege abitionem parante. Eorum, quæ tam diu controversa sunt cum Protestantibus, penè nihil ad finem optatum deductum est. Multa quoque in causa Clivensi componenda, sed non magno cum fructu, tentata sunt. Dominus *a Crehangiis* hic adhuc hæret. De pecunia ne gry quidem quisquam respondit. Et quanquam Præses viam aliquam ostenderat, tamen & ei objectum est repagulum ab nostris Quæstoribus. Necesse tamen est, ut hinc quoquo pacto nos expediamus: haud decet enim hic nos hærere reliquis discedentibus. Utinam te antea videamus, aut saltem in via jungamur. Vale, Domine & Amice selectissime. Nurembergæ 20. Aprilis anno 1543.

„ Hic nocte præterita cum magno nostro dolore *Velwykium* „ nostrum amisimus. Initium morbi cœpit ab calculo, con„ fluentibusque aliis multis accidentibus, ubi aliquot dies de„ cubuisset, animam Deo reddidit. In quo viro cum mul„ tum omnes amiserimus, tum mihi accessit laborum cumu„ lus: qui illum si non oppressit, multum certe perculit. Et „ mihi metum adfert, nisi alius detur mox successor (*in Con„ silio Privato*) ne idem fatum sequi cogar. Vale mi *Cobeli*. „ Die Epiphaniæ. a. 1555." Obiit igitur an. 1555. mensis Januarii die 5. vel 6. Non Viennæ in Austria, ubi *Viglius* numquam visus fuit, sed Bruxellis, ubi Consilii Privati Præses constanter moratus est.

(2) *Ab hoc instituto &c.*] Senatoris Parlamenti Mechlinien-sis. Legationum nempe pertæsus, motoriam conditionem Consiliarii in Privato Consilio, mutari rogarat, juxta Reginæ *Mariæ* promissum, in stabilem Senatoris Mechlinien-sis: exemplum imitatus *Gerardi Mulert*, aliorumque.

Ex Tomo IV. fol. 453.

EPISTOLA CXXX.

EPISCOPO ATREBATENSI.

1543. *De invaſione Gallorum in Belgium uti trepidatum, ita de Cæſaris nuntiato adventu ſignificat reſpiratum. De apologetica Regis epiſtola. Commendat ſe Epiſcopo ejuſque parenti.*

LOnga mora, falſiſque rumoribus de Cæſarea Majeſtate populus noſter penè conſternatus, tandem certo nuntio adventus ejus, mirum quàm reſpirare cœperit. Etſi enim undique cingamur hoſtilibus copiis, ac anceps prælium rurſus ob Heinsbergam ſubeundum ſit; attamen & animi non parum acceſſit, & ſi quid ſecus evenerit, infortunio noſtro facilius mederi poſſe ſperamus, modò tamen ad nos iter acceleretis. Permultum enim momenti in tempore ſitum eſt, cùm hoſtium commune conſilium ſtudiùmque eſſe videatur, ut antequam Cæſar advenerit, ea in Belgica noſtra occupent, in quorum recuperatione vires deindè ille ſuas conſumat. Quod ſi verò rebus hic ſalvis integriſque, ſuas copias noſtris maturè jungere queat, Clivenſe bellum citò confectum iri ſpero, & eo quoque Angli alacriores erunt. Apologetica illa Regis (1) epiſtola tot conferta convitiis, eo tempore mihi oblata eſt legenda, quo id in latinum redigebam, quod ab illuſtri Domino (2) de violatis induciis conceptum eſt. Itaque non potui temperare, quin & in illam ſtilus excurreret. Id autem Præſidem (3) Antverpiam prælo excudendum miſiſſe puto. De cæteris publicis privatiſque rebus latius ad *Navium* (4) ſcripſi, cum quo Reverendiſſimæ D. V. omnia communia eſſe ſolent. Itaque nihil eſt opus prolixioribus litteris

(1) *Regis*] Galliarum *Franciſci I.*

(2) *Illuſtri Domino*] nempe *Nicolao Perrenotto* Granvellano, Epiſcopi parente.

(3) *Præſidem*] Conſilii Privati, *Ludovicum a Schora.*

(4) *Navium*] *Joannem*, Cæſaris Vice-Cancellarium.

litteris R. D. V. detinere, quæ me, quæso, in suorum famulorum numero perpetuò retinere, ac illustri parenti commendare dignetur. Vale. e Bruxella 10. Junii 1543.

EPISTOLA CXXXI.

Ex Tomo IV. fol. 451. vso.

GERARDO VELTWYKIO.

Significat se Mechliniam migrasse, nempe in Parlamentum. De invasione Gallorum in Artesiam ac Hannoniam. Cæsar expectatur: De Victoria apud Heinsbergam. 1543.

Ame si rarius litteras accipis, *Gerarde* doctissime, causam esse puta, quod Mechliniam commigravi, amplexus videlicet ibi quietem, ad quam jam pridem aspiravi. Porro belli tempestas novas subinde sollicitudines nobis generat. Nam postquam Comes *a Rœulx* (1) Bolonienſem agrum vastavisset, Galli Artheſiam ingressi, Baupamas (2) obsidere velle videbantur; sed oppidulo à nostris succenso, arx hostium impetum fortiter expectavit. Indè verò per Cameracensem agrum Hannoniam ingressi, Landrechiam (3) Emmeriam (4) ac Marbeugiam (5) ad Sambram fluvium occuparunt. Ac jam ad Bintii (6) Montisque (7) portas excurrentes, non tantum Hannoniam in periculo posuere, verùm etiam Bruxellæ trepidari cœptum fuit, donec accepto nuntio de re fæliciter apud Heins-

(1) *Comes a Rœulx*] Jean de Croy chevalier de l'ordre de la Toiſon d'or.

(2) *Baupamas*] Bapaume, ville en Artois.

(3) *Landrechiam*] Landrecy, petite ville en Haynaut.

(4) *Emmeriam*] Miræo *Aimeriacum*. Pont. Heutero *Aimeria*. Est municipium in Hannonia.

(5) *Marbeugiam*] Malbodium hodie, vulgo *Maubeuge* oppidum Hannoniæ quatuor ferè milliaribus a Montibus.

(6) *Bintii*] Binchium, vulgo *Binche*, ejusdem provinciæ oppidum, tribus milliaribus a Montibus.

(7) Montisque portas] Montes Hannoniæ, vulgo *Mons*, Flandris *Bergen*, Comitatus Hannoniæ metropolis.

Heinsbergam (8) gesta, nostrisque copiis inde reductis, quò Gallorum progressum impedirent, sponte ii rursus in sua stativa retrocessere. Cæsar si maturè adveniret, omnia melius successura speraremus, cujus te πρόδρομον expectamus, nec enim in comitatu te hæsurum arbitramur. *Pratensis* (9) in proxima expeditione Heinsbergensi multam laudem prudentiæ retulit, ac ex ea sanè eventu salus harum Provinciarum penè pendebat, cùm si res secus cecidisset, undique in nos hostes impressionem facturi viderentur. Vale, mi *Gerarde*, Calendis Julii anno 1543.

Ex Tomo IV. fol. 455.

EPISTOLA CXXXII.

CHRISTOPHORO SELDIO (1).

1543. *Significat se Mechliniæ in Supremum Senatum cooptatum esse, quam urbem laudat. De bello Clivensi, Gallorumque invasione. Quærit de statu Judicii Cameræ Imperialis Spirensis.*

QUod ego nihil ad te tam longo tempore, chariſſime *Seldi*, nescio qua mea negligentia accidit, nam otii certè, præsertim proximis aliquot diebus, satis habui, quum beneficio Reginæ concessum mihi fuerit, ut me Mechliniam conferrem, ubi in Supremum Senatum cooptatus domicilium reliquæ ætatis constitui, cùm aulicæ vitæ inquietudinem semper oderim. Ea autem & functio est hominis studiosi ac litterati longè his provinciis honestissima (qua etiam *Mularduſ* (2) meus vivens fungebatur) & urbs omnium, quas unquam vidi, mundissima, elegantissimaque, pari spatio, quatuor videlicet

(8) *Heinsbergam*] Est urbs Ducatus Juliacensis.

(9) *Pratensis*] Ludovicus de Flandria, Dominus de Praet &c. *V. Not. ad Vitam N. XLV.*

(1) *Christopboro Seldio*] J. U. D. & Advocato apud Cameram Imperialem Spirensem.

(2) *Mularduſ*] Gerardus Mulert. V. Not. ad Vitam N. XXIX.

delicet horarum itinere; ab Bruxella, Antverpia, Lovanio, tribus maximis urbibus, Emporio, Curia, ac Academia celebribus distans. Quamobrem etsi mihi aliquando ad aulam recurrendum sit, haud longè tamen ibi domo abero. Nos hic a meo reditu graves hostium impressiones sustinuimus. Dum nostri autem in Julia de Heinsbergæ obsidione solvenda copias conjunxerant, Galli Hannoniam ingressi, magnam miseris agricolis calamitatem intulerunt. Verum brevi his malis finem Cæsar uti speramus imponet. Supellectilem meam librariam, quæ Augustæ hactenus hæsit, hic quotidie expecto. Cupio scire ecquid vestra visitatio reformatioque succedat, & quomodo judicio isti cum Protestantibus conveniat. Comitia si successerint fortè vos invisam: quod hoc tempore etiam mihi licuisset, nisi causarum quæ ibi mihi agendæ fuissent invidiam declinare maluissem. Vos isthic ni fallor brevi Imperatorem videbitis, cujus adventum nostra Belgica jam dudum miserè efflagitat. Vale, & amicis communibus multam a me salutem dicito. Mechliniæ 8. Julii 1543.

EPISTOLA CXXXIII.

Ex Tomo IV. fol. 459.

STEPHANO MONTANO.

De munere Cancellarii Geldriæ sibi oblato. 1543.

CUm ea de re (1) quam tuis ad me litteris perscripsisti, Amantissime *Montane*, ex nemine antea quicquam audivissem, non potui satis mecum admirari, ex cujusnam suggestione Illustrissimus Princeps Auraicensis (2) in eam de me

(1) *Cùm ea de re*] quam explicat in epistola data ad eumdem die 25 hujus mensis Octobris, quæ est in *tom. IV. fol.* 462. *vso.* „ Miratus sum iteratò te de Geldrico Cancellariatu „ ad me scribere, cùm is jam alteri, consignatis ut audio tabulis, concessus, confirmatusque sit: homini meo judicio, „ & integro, & ad talem provinciam multis sane aliis præ„ stanti.“

(2) *Princeps Auraicensis*] Renatus Nassovius, gubernator Geldriæ,

me opinionem veniſſet. Et hic quidem aliquis antea rumor fuit de *Jodoco Sasbouto* (3) deindè etiam de *Hermanno Knepper*, qui apud Ducem defunctum hoc munere functus fuit. Sed tu pergratum mihi feciſti quod de eo me certiorem feceris, quo tempeſtivè ſcilicet mecum ſtatuere poſſim, ſi quid tale forte offeratur, quid reſpondere debeam. Nam cùm multa illinc me deterreant, tum huc velut in portum quendam ex tempeſtate delatus, non facile animum inducere poſſum, ut denuò me negotiorum publicorum procellis exponam. Vale, *Monsane* Ornatiſſime. Mechliniæ 10. Octobris 1543.

Ex Tomo IV. fol. 459. vſo.

EPISTOLA CXXXIV.

JOANNI SINAPIO MEDICO.

1543. *De Sinapii negotio. De ſua conditione mutata. De Verſione Latina Medeæ Euripidis. Petreum Tiara in Italiam euntem commendat.*

QUod a me jamdudum nullas litteras acceperis, *Sinapi* Doctiſſime, cùm diſceſſio mea ab Ingolſtadio, tum crebræ occupationes Legationeſque, impedimento fuere. Et de illo quidem negotio (1) de quo ultro citroque crebrò egimus,

riæ, cui tali ex titulo jus fuerit perſonas idoneas ad Cancellarii munus proponendi, ſeu ut hodie loquimur, *nominandi*, Cæſari ut Geldriæ Duci.

(3) *Judoco Sasbouto*] qui primùm Senator in Conſilio provinciali Hollandiæ, cedente *Adriano Mario* Cancellarius Geldriæ factus eſt, obiitque Arnhemii anno 1546. æt. 59. Reliquit filium *Arnoldum Sasbout*, qui & ipſe Cancellarius Geldriæ poſt patrem fuit, donec Bruxellas evocaretur ad Conſilium Privatum. Duos hoſce Cancellarios non novit *Jo. Knippenberg in hiſt. eccleſ. Ducat. Geld. p.* 287. *V. Simon. Leuuvium in Bat. illuſt. p.* 1107.

(1) *De illo quidem negotio &c.*] Invitatus fuit *Sinapius* honorario annuo trecentorum florenorum, ut in Academia Ingolſtadienſi medicinam profiteretur.

egimus, non habui quod ad te ſcriberem. Nec enim volui longius ſuadere tibi, ut eò proficiſcereris, undè ipſe abieram; nec rurſus id diſſuadere, cujus tibi author antea fueram, præſertim cùm illius favorem (2) refrigeſcere erga utrumque noſtrum viderem, qui me multis pollicitis iſthuc alexerat. Accidit tamen, ut proximis comitiis Nurembergæ utrique Legati ageremus, ego nomine Reginæ *Mariæ* Provinciæque Belgicæ, ille Ducis *Wilhelmi* (3). Ac ibi cùm nos negotia ſubindè conjungerent, de te aliquando injeci mentionem, ad quam ille ὠδὶν ut nos dicimus πρὸς ἐμέ. Quod ſi aliquam cupiditatis in te aurulam tum ſenſiſſem, conſobrinum tuum illic agentem impuliſſem, ut eam rem proſequutus fuiſſet. Ego de mea conditione mutata nihil habeo quod querar, glorierve. Etenim ſi Reſpublica noſtra compacata foret, reliquum ætatis in ſervitio proprii Principis, Cæſaris, non longè ab mea patria jucundè traducturus eſſem. Nunc tamen poſt multam inquietudinem non ſatis firmo ſum corpore, & lectionis ſcriptioniſque moleſtiam fugitans, non potui tamen doctiſſimo juveni (4) haſce ad te litteras ferenti, commendationem ad te meam denegare. Qui nobis hîc ſuperiore anno inſigne eruditionis ſpecimen exhibuit, traducta in Latinam *Euripidis Medea*, ita eleganter, ut teipſum noſtratis hominis ſub duro ſydere nati venam admiraturum eſſe putem. Ea autem fiducia duntaxat in Italiam iter inſtituit, quod ſperet illic reperire conditionem aliquam, quò aliquamdiu ibi vitam ſuſtentare poſſit, & Medicinæ, cujus perquam ſtudioſus, neque imperitus eſt, dare operam. Ejus in-

(2) *Illius favorem*] nempe *Leonardi ab Egkb* Cancellarii Ducis Bavariæ, qui Academiæ Ingolſtadienſis curator erat.

(3) *Ducis Wilhelmi*] Bavariæ.

(4) *Doctiſſimi juvenis*] quem infra *Petreum* vocat. Eſt autem *Petrejus Tiaru* Friſius, qui vertit ex *Euripide Medeam*, quam Ultrajecti excudit Hermannus Borculous an. 1543. Adoleſcens vidit Germaniam, Galliam, Italiam, ſedem dein fixit Lovanii, poſt Duacum migravit, inde Franekeram in Friſia ubi & conſulatum urbis aliquamdiu geſſit. Tandem Lugdunum Batavorum ſe contulit, ubi & mortuus eſt an. 1586. V. *Suffr. Petri de ſcript. Friſiæ dec.* 13. *cap.* 7. & *Val. Andr. in Bibl. Belg.*

induſtriam, ſi poſſem, fedulò cuperem adjuvare, modò mihi eadem apud Italos eſſet vel notitia vel gratia, ut mea ei commendatio prodeſſe poſſet. Nunc quod proximum eſt, id ei videbor præſtitiſſe, quod per te præſtabo. Quare te rogo, ut qui ejuſmodi opibus iſthic abundas, hunc *Petreum* meum alicui ita commendare velis, ut intelligam apud te non valuiſſe ſolùm aliquid noſtram commendationem, ſed gratiam etiam eſſe docti juvenis. Certè Ferraria de *Rodolpho Agricola* (5) Conterraneo noſtro olim optimè merita eſt, & hic id nunc de ſe ſpecimen edidit, ut ipſe lecto opere judicaturus ſis, non eum indignum eſſe ſimili favore. Da igitur, quæſo, operam, ut in hoc veterem perpetuamque tuam erga me benevolentiam agnoſcam. Vale. Mechliniæ 16. Octobris anno 1543.

Ex Tomo IV. fol. 464.

EPISTOLA CXXXV.

ANTONIO FUGGERO.

1543. *Geſta ab exercitibus Cæſaris & Regis Galliarum in Hannonia ac Cameraceſio.*

SCribebam noviſſimè ſub finem menſis Octobris, convenîſſe copias Cæſaris ac Regis Galliarum, atque ita tum eas junctas fuiſſe, ut omninò ad prælium res ventura videretur. Vix autem literas dimiſeram, cùm nuncius adferretur rei geſtæ, haud ſatis gratus, acceptuſve. Ut autem ordine

(5) *Rodolphus Agricola* Philoſophiæ, Theologiæ, ceteriſque liberalibus diſciplinis in patria plurimum: mox cultioribus ſtudiis Latinæ Græcæque linguæ in Italia operam ſummam dedit; Hebraeæ poſtremò etiam cognitionem habuit. Muſicæ quoque atque Picturæ apprime ſtudioſus fuit. In ſingulis quoque diſciplinis ſupra quàm credibile eſt, profecit. Obiit dum ex urbe patriam repetit, anno Chriſti 1485. quinto Calend. Novem. Vixit annos 42. Ita *Sigiſmundus Fulginas* ſecretarius Innocentii VIII. Apud *Suffr. Petri.* Exſtant multa de eo ſparſim V. *Suffr. Petri de ſcript. Friſiæ lib. 8. cap. 5. & Val. Andr. in bibl. Belg.*

ordine quid, quomodo, quove tempore actum sit intelligas, paucis dierum aliquot historiam perstringam. Die 28. Octobris innumeris ictibus Bombardarum, nostri extremum experiri volentes, oppidum Landrechiam concusserunt. Sub finem autem è propinquo Gallicus exercitus, adventûs sui signum obsessis per Bombardas igneisque edidit. Unde visa est repente magna oboriri intra urbem lætitia. Jamque passim fama ferebatur, Regem ideo venire, ut prælio cum nostris decerneret. Quapropter qui diversis partibus urbem cingebant, medio fluminæ Sabi (quem Sambram vocant) in unum se locum recepere, Bombardasque eo reduxere. Galli sequenti die in conspectum nostrorum venerunt. Sed alterò qui fuit penultimus propius admotis castris procurrêre aliquot Equitum catervæ, leviscque pugna commissa fuit, in qua ex Gallis captus Comes *de Boussy*. Postera luce, quæ erat ultima Octobris, rursus instructæ utrinque acies fuere, ac Galli justam pugnæ copiam facturi videbantur. Dum verò noster exercitus eo totus spectat, ecce altero fluvii latere pars hostilium copiarum urbem ingreditur, ac multis nonnullum commeatum importat. Id sive nostri serius animadverterint, sive ob fluvium medium, viasque profundissimas ac penè invias prohibere non potuerint, sive in prælii committendi eventu summam rei constituentes id neglexerint, incertum habetur. Rex sanè postquam commeatum sine aliquo detrimento illatum vidit, quasi jam id expleviſſet quod constituerat, reducendum sibi exercitum putavit. Cæsar interea ex Avennis Quesnoiam transit, nec latuit Gallos ad castra illum venturum. Itaque aliquot Equitum millia in proxima sylva insidias struxerunt, qui illum pauco comitatu pro more euntem interciperent, verùm fœliciter accidit, quod eo die Cæsar Quesnoiæ manserit. Sic Galli sese elusos cernentes, agrum circa Quesnoiam eo die, qui erat omnium Sanctorum, depopulati sunt, ac passim ædificia villasque incenderunt. Postridie qui fuit *animarum* cùm constitutum esset omninò a nostris cum Gallis prælio decernere, placuit ipsos persequi, itaque castris motis ad unum milliare parvum nostri sese Gallis junxere. Die deindè tertio Novembris Cæsar ipse præsens hortatus est Duces, milites, quos omnes alacres promptosque invenit. Itaque in-

instructa acie in conspectum hostium progressus est, qui & ipsi aciem loco communito & proclivi (undè facile exercitus nostri magnitudinem contemplari poterant) explicarant. Ipsi verò mox aliquot extrà septa emiserunt, cum quibus a nostris fortiter dimicatum est; cæsis tamen captisque ex eis plurimis, reliqui sese in castra retulerunt. Itaque Cæsar omni parte exercitum suum illis conspiciendum exhibuit. Verùm conspecta militum nostrorum alacritate, ipsi sese continuerunt, tantumque eminus Bombardis nostros impetiverunt. Cùm nox igitur appeteret, Cæsar haud longè ab eo loco castra metatus est, Galli sese in oppidulum vicinum quod Castellum Cameracesii vocant, ad Episcopum Cameracensem pertinens, contulerunt, modicusque inter utrumque exercitum amnis interfluit. Die Dominica utriusque stationes satis quietæ fuerunt. Cæsar circa noctem ad hostem prosequendum pontem fieri curavit, quo intellecto Galli de abitione consilium sumpserunt. Itaque prima noctis vigilia ipse Rex itineri seu potius fugæ sese accinxit, quæ omni studio ita instituta fuit, ne a nostris ullo pacto intelligeretur, nam Mulis tintinnabula præcisa sunt, nullus Tubicen auditus, undè fero ad nostrum exercitum fama ejus pervenit. Postridie intellecta fuga, Cæsar misit qui fugientes insequerentur, qui bonam impedimentorum partem consequuti sunt. Sed sylva inter Castellum urbem, Bohaniumque interjacens, insidiisque apta, ne longius nostri excurrere auderent, prohibuit. Cæsar habito consilio comperit abs re fore ea anni parte cum exercitu longius prosequi. Quapropter Castellum oppidulum, deinde Cameracum civitatem, quæ sub neutrabilitatis prætextu Gallos commeatu, eorumque quæ in nostris castris agebantur * adjuverat, in suam potestatem recepit, militemque ibidem reliquit, ac Cameracum ipse profectus, præsidium ei urbi imposuit, ac montem arci idoneum comperiens communiri jussit, quo plebem ob vicinitatem ac commercia Gallicis faventem partibus in fide officioque contineat. Urbs autem ea inter Imperiales civitates habetur: licet ei sub Ducis; circumjacentique territorio (quod Cameracesium vocant) sub Comitis titulo, quasi Imperii Princeps Episcopus dominetur. Deindè quoque vicinum oppidulum Gallicæ ditionis, quod Crevecœur vo-

* Secretis nuntiis. *Id enim vel quid simile deest, uti intelligere videor ex Pont. Heut. lib. 12. cap. 1. sub init.*

vocant, occupari mandavit. Ei ad unum milliare adjacet arx Goy quam Gallus præcedentibus annis diligenter communiri curavit. Sic etsi Landrechia in hostium potestate manet, attamen ab obsidione non multum differt, præsidio nostro in vicino ad duas leucas oppido Castello Cameracesii existente. Ac sic quidem prælii oportunitas amissa est, ad quod si pervenire licuisset ipso Cæsare Regeque præsente, alterius fortassè casu crudelissimum hoc bellum finem accepisset. Undè nos sanè hic aliquandiu inter spem metumque suspensi fuimus, dum & de Cæsaris salute solicitudo nos tenuit, ac de hoste victoriam expectabamus. Germanum militem Cæsar ad Luxemburgensem Ducatum dimisit, ut ibi Luxemburgum recuperare tentent. Arluna oppidum ac arx montis S. Joli recuperata sunt a nostris. Credimus autem Cæsarem propediem Gandavum, ac indè Bruxellam venturum, ubi Provincialium conventum indixit. Comitia Imperii Coloniam translata videntur, quo ipse Cæsar rebus hic ordinatis ire decrevit. Vale. 15. Novembris anno 1543.

EPISTOLA CXXXVI.

Ex Tomo IV. fol. 471.

ANDREÆ ALCIATO.

Silentium suum apud Alciatum excusare non valens, culpam agnoscit, ac præceptorem suum perpetuò se colere profitetur. Juvenem in Italiam euntem commendat. Apud quos Alciatus deprædicetur. De conventu Spirensi Ordinum Imperii. 1544.

NE prolixa epistola, clarissime ac incomparabilis Præceptor, silentium excusare necesse habeam, culpam ingenuè fateri malo, quod videlicet tanto tempore nullam amoris gratitudinisque significationem sive litterarum sive quo alio officio erga te ediderim. Fuit tamen illa major præcedentium annorum, quibus in Academia adhuc versabar, quàm hujus temporis, quo ad Rempublicam ex illo scholastico otio retractus, in alienum seu publicum jus, penitus

mihi traductus videor, ut nulla penè mihi privatis inserviendi officiis relicta sit facultas. Verùm non potui huic juveni in Italiam proficiscenti, ac tibi commendari enixè cupienti, epistoliam denegare. Lubenterque ejusmodi sum oportunitatem scribendi amplexus, ne longioris temporis mora omnem mihi deindè ad tuam benevolentiam reditum intercludat. Quem nunc spero non gravatè concedes, meamque in te perpetuò amando ac colendo conscientiam tua humanitate sublevabis. Tui, mi *Alciate*, hic nobis jucunda pariter ac crebra est memoria. Non tantùm apud istum communem doctorum populum, qui te omnes magistrum agnoscunt: verum etiam majores istos Deos, *Granvellanum*, Episcopum Atrebatensem, Augustensem (1) ejusdemque generis Heroes. Gratulanturque studiis communibus, ad quæ promovenda fovendaque totus incumbis, nec indè te ullis oblectamentis abstrahi unquam es passus, quæ nos alias transversum ab instituto litterarum abripiunt. Juvenis autem hic *Jodocus Betsius* qui tibi commendari cupit, patre viro honestissimo & benè erudito præmaturè orbatus, plus animi quàm facultatis ad persequenda studia adfert. Quapropter optaret isthic sibi conditionem obtingere, qua fortunæ tenuitatem apud litteratum quempiam virum, sive studiis operam navantem, famulatu, levare posset. Qua in re si tua eum commendatione juvare poteris, magno illum beneficio affeceris: pro quo & ego me debitorem tuum lubenter fatebor, paratumque vicissim me offero, si qua majore in re inservire tibi queam, summa id promptitudine præstare. Hic in frequenti Principum conventu (2) Cæsar de bellis externis propellendis, constituendaque domestica pace Germaniæ consulta, * Ordinumque Imperii in ejus desideria hactenus satis propensos

* *Videtur legendum*: consultat.

(1) *Augustensem*] Othonem Truchesum de Waltburg, Episcopum & principem Augustanum, & hoc ipso anno S. R. E. presbyterum Cardinalem, de quo V. *Ciacon. tom.* 3. *col.* 692. *Corbinian. Bham Hierarch. August. part.* 1. *p.* 338. *Bert. rer. Germ. lib.* 3. 471.

(2) *In frequenti principum conventu*] nempe Spiræ congregato, „ adfuêre, quod raro est visum, Septemviri omnes, ac totius „ Germaniæ præcipui Principes, ipseque Clivius " inquit *Pont. Heut. lib.* 12. *cap.* 1. *ad an.* 1544.

ſos animos ſenſimus. Rogandus eſt nobis Deus, ut in communis Reipublicæ bonum eorum propoſitum promoveat. Vale, vir incomparabilis, ac Domine in majoribus obſervande. Spiræ 20. Martii 1544.

EPISTOLA CXXXVII.

Ex Tomo IV. fol. 474. vſo.

SIGISMUNDO GELENIO.

Agit gratias pro nuncupato ſibi Contareni libro. Mittit viciſſim munuſculum, majuſque promittit. Significat ſe ab Academia ad Remp. tranſlatum, uxorem duxiſſe, vetereſque amicos bene valere jubet. 1544.

ACcepi, *Sigismunde* doctiſſime, *Contareni* (1) librum *de Republica Veneta* abs te mihi nuper dedicatum, eumque ſanè legi perlubenter, multoſque alios in ejusdem excitavi lectionem. Cùm verò antea Italica pariter ac Latina lingua deſcriptus, privatim ab nonnullis poſſideretur, gaviſus ſum tua induſtria publici tandem juris eum factum eſſe. Ego autem multas tibi gratias merito ago qui ejus nuncupationis honore me dignatus fueris, cupiebamque ipſe aliquid pro meo munere tibi rependere. Verùm hoc tempore peregrè mihi agenti nihil ad manum fuit, quod te dignum exiſtimarem. Donec tamen ejus æris diſſolvendi oportunitas offeretur, quæſo interea ne contemnas quæ incluſi. Etſi enim inter numiſmata haberi nequeant, deſitque eis & vetuſtas & pretium, aliquid tamen eſt in ipſis, quod proximam ætatem commendet. Ab Academia, mi *Geleni*, ad patriam retractus; ſperabam me conditionem nactum, in qua conquieſcerem: verùm

(1) *Contareni*] Gaſparis, S. R. E. Cardinalis; qui biennio ante mortalitatem expleverat. De quo qui cognoſcere cupit, adeat *Ciacon. tom. 3. col. 578.* ubi multa. Vel *Miræum de ſcript. ſec. XVI. p. 146. in edit. Fabricii* ubi pauca. Ejus epitaphium in æde S. Petronii Bononiæ, habet *Swertius in ſel. orb. deliciis ſub Bononienſibus.*

verùm fatalia hæc bella nihil otii relinquunt, non modò ad Litterarum ſtudia perſequenda, verùm nec ad rem domeſticam componendam, in cujus tamen majorem curam mariti jam officium impellit. Nam tandem & ego capiſtrum accepi. Quid ni? cùm jam *Diſſus* noſter habeat, apud quem tu tui memoriam ſcito gratiſſimam perdurare. Vale, mi *Geleni*, & *Frobenio*, *Epiſcopio*, ac omnibus qui ex veteri ſodalitio adſunt, multam a me ſalutem dicito. Spiræ 12. Aprilis anno 1544.

Ex Tomo IV. fol. 475. vſo.

EPISTOLA CXXXVIII.

CORNELIO SCEPPERO (1).

1544. *De quæſtione cum Ordinibus Imperii ſuper contributionibus quas Trajectenſes Imperio debent, a qui-*

(1) *Cornelio Sceppero*] *Tomb. des homm. illuſtr. p.* 26. hæc habet ad dignoſcendum virum plus ſatis. „ Meſſire Cornille „ Schepperus, Chevalier, Seigneur d'Eecke ſur l'Eſcaut, il „ fuſt des Conſeils d'Eſtat & Privé de l'Empereur Charles V. „ & mourut en cette dignité le 28. de Mars 1554. Son corps „ recevant ſepulture en l'Egliſe parochiale de la Seigneurie „ d'Eecke, d'ou j'ai tiré l'Epitaphe.

D. O. M. Sacrum.

„ Nobili atque ampliſſimo Viro *Cornelio Sceppero*, Equiti aurato, „ Eecke ad Schaldim Domino, qui Joanne Fland. Vice-admi„ raldo oriundus, doctrina, eloquentia, & induſtria eximius, „ a Chriſtiano II. Daniæ, Norvegiæ ac Sveciæ Rege Vice„ cancellarii dignitate, Regii Ordinis torque, & ditionis Zem„ pelandiæ Dominatu cohoneſtatus, mox & a Carolo quinto „ Imperatore, in Privati ac Statûs Conſiliarium adlectus, atque „ ab eodem ejuſque fratre Rege Ferdinando, ad varios Reges, „ omneſque fere Chriſtianos principes, & bis Conſtantinopo„ lim ad Solimannum Turcarum Imperatorem legatus, pace „ propemodum deſperata potitus, omnibus denique honorum „ muniis, ſumma cum fide atque integritate perfunctus, tan„ dem XXVIII. Martii anno M. D. LIV. ætatis verò ſuæ LII. „ immature defunctus, hic unà cum nobili & lectiſſima Ma„ trona Eliſabetha Doncha, dulciſſima conjuge ſua quieſcens, „ futuræ reſurrectionis gratiam exſpectat. ꝛc.

quibus immunitatem prætendunt. Contributio in Turcas quanta. Eam hæreditariæ ditiones non Imperio ſed Cæſari debent.

ERam litteris tuis quibus de contributione Trajecto inferiori * indicta, meam requiſiviſti ſententiam maturius reſponſurus, niſi illæ abs te Calendis ſcriptæ, Nonis mihi primum redditæ fuiſſent. Porro ad quæſitum ſic paucis accipe. Proximis Comitiis Spiræ, ii qui ab communibus Imperii Ordinibus ad rem pecuniariam, veteraque Imperii debita expedienda deputati fuere, petivere ſemel ac iterum, ut Cæſar ad ipſos mitteret, qui de Trajecto rationem redderet. Miſſus ad ipſos ego, de Turcicis ſuppetiis, deque aliis quibuſdam prætenſis debitis non ſolutis, eorum querelam accepi. Contra quæ ex ſententia Domini *Graudvellani* ea reſpondi, quæ Nurenbergæ antea propoſueram, videlicet, eam Cæſaris voluntatem eſſe, ut Trajectenſes id Imperio præſtent, quod ſub Præſulibus conſueverunt. Verùm ſubditos ab hujuſmodi contributionibus libertatem immunitatemque prætendere. Adhæc quod ipſis incognitum non eſſet, domi eos graviſſimos, Turcicæ expeditionis tempore, ſumptus feciſſe, in propriorum finium tuitione, primum ab eo milite qui Brabantiam depopulatus fuit, deindè ab eodem *Martino a Roſſen* duce, qui Amersfortiam, unam ex præcipuis ejus territorii oppidis, cæpit expilavitque. Cùm verò illi has rationes non admitterent, nec poſſe ſe omittere dicerent, quin Fiſcali mandarent, ut contra Trajectenſes procederet: reſpondi, haud arbitrari me communes Status excuſationem tam juſtam, cauſa non cognita, rejecturos fuiſſe: proindè rogare me ne quid temere ſtatuant, & ne dum iniquum exigunt, faciant, ut poſt æquum non accipiant. Porro cùm certum, ut ſcis numerum Equitum Peditumque Ordines Imperii proximis Comitiis adverſus Regem Gallorum Cæſari addixerint: in eodem numero etiam Epiſcopatui Trajectenſi indicta contributio cenſetur. Ideoque intelligis, quod Trajectenſes non ſolvunt, Cæſareæ Majeſtati decedere. Cùm verò Trajectenſes Tranſiſalanique hactenus parum admodum in neceſſitatem præſentis belli contuliſſe ferantur, non vi-

deo

* *Id eſt*: Ultrajecto.

deo cur illi minus faciant, quàm cæteri Germani, ſola Imperii ratione Cæſareæ M. devincti. Quod immunitatem prætendunt, id ipſi viderint quàm ſit fundatum. Mihi ſæpius objectum fuit, quod *Henricus* Comes Palatinus, quondam Epiſcopus, adhuc in vivis exiſtens, dicatur aſſerere, ſe omnia Imperii ordinaria onera obedienter agnoviſſe: idem prædicant de Prædeceſſoribus. Verùm utcunque id ſe habet, etiamſi Imperii intuitu nolunt cum cæteris Statibus contribuere, non tamen poſſunt ſe erga Imperatorem excuſare, quo minus ſaltem paria cum extraneis faciant. Quod verò pertinet ad expeditionem Turcicam, quam vocant ſubſidium defenſivum Imperii, in eo cùm ſit derogatum omnibus & quibuſcunque privilegiis & immunitatibus, quod juſtum creditum ſit, ut omnes Germani patriæ ac Religionis hoſtem adunatis viribus propulſent: puto & ego Cæſaris mentem eſſe, ut illi quoque unà contribuant. Eſt autem expreſſè dictum in proximo receſſu Spirenſi, quod ſubſidia hæreditariarum ditionum ad Imperium pertinentium, Cæſar ſibi pro alendo proprio exercitu in Hungaria poſſit ac debeat reſervare. De Trajectenſibus nihil expreſſum eſt, ſed tamen ſub hac generalitate & eos contineri arbitror, ideoque non Imperio, ſed Cæſari meo judicio illæ contributiones ceſſuræ ſunt. Porro ſubſidii contra Gallum certa eſt ſumma, ſed id quod in Turcas colligitur incertum eſt, cùm placuerit rurſus Statibus ut fiat contributio decimi denarii annuorum proventuum. Quod ſi Trajectenſes difficultatem in eo allegaverint, poterunt cum Cæſare de certa ſumma ejus loco paciſci. Videtur autem mihi ad magnam aliquam ſummam aſcenſura ea collectio, quum nullis exceptis ſine diſcrimine omnes teneantur tam de publicis, quàm privatis facultatibus conferre. Et ſcis non vulgares eſſe opes quarundam Tranſiſalanarum civitatum. Antea verò excuſarunt Trajectenſes, quod ſoliti eſſent de talibus communem cum Tranſiſalanis habere deliberationem. Non video autem cur non & id ipſis permittatur, certè ſic non habebunt ullam tergiverſandi occaſionem. Nam quod dicunt ſe, poſtquam ſubditi ſunt Domui Burgundiæ, amplius ad extraneas contributiones non teneri, eadem ratione Saxones, Clivenſes, cæterique excuſare ſe poterunt, qui & Principum ſuo-

rum exactiones graves, & publica omnia Imperii onera sustinent. Habes, Magnifice Domine *Sceppere*, & quid Spiræ actum sit, & quid mihi videatur de contributionibus Imperii, ad quas Trajectenses vocantur. Posset tamen Cæsar desuper consuli, an ejus sit intentio, ut ab Trajectensibus indicta contributio per Status Imperii, ad utilitatem Majestati suæ contra Gallum exigatur. Item an Majestati quoque suæ placeat decimum denarium ab eisdem petere, sive desuper transigere ratione exercitus, quem Cæsar in Hungaria proximo anno alere promisit, cùm dictum sit in recessu, quod quæ ab hæreditariis ditionibus debentur, non in communis Imperii usum, sed Cæsaris cessura sint. Vale, mi *Sceppere*. Datum Mechliniæ 8. Septembris anno 1544.

EPISTOLA CXXXIX.

PAULO III. PONTIFICI MAXIMO. FRANCISCUS EPISCOPUS MONASTERIENSIS.

Ex Tomo VI. fol. 123. vso.

De miserabili facie Urbis Monasterienſis Westphaliæ, ab Anabaptistis oppressæ. 1534.

INtempestivum videri posset, Beatissime Pater, felicia Maximi Pontificatus Tui auspicia, acerbis querimoniis, de fatalibus hisce malis calamitatibusque nostris interpellare, nisi, extrema rerum necessitas, hoc tempore, omni prope humana nos ope destitutos, nostrisque jam dudum penè in universum consumptis & exhaustis viribus, ad Tuam Sanctitatem veluti ad sacram anchoram confugere, compelleret: quò ea nunc Religionem Christianam Rempublicamque nostram, detestabilium nefandorumque errorum procellis pene obrutam & demersam, ab tristissimo isthoc naufragio liberet ac conservet. Dabis itaque veniam, Beatissime Pater: & huic ultimæ necessitati, gravissimisque periculis & ærumnis,

nis, in quibus miserè fluctuamus, affcribes, quod pro consueto gratulationis officio, miserabili Religionis & Reipub. nostræ casu, serena & tranquilla Pontificatus tui initia inquietare ausi sumus. In hisce porrò difficillimis periculosissimisque negotiis, quibus ab initio nostræ administrationis variè jactati fuimus, non minimo Nobis fuit solatio & gaudio quod te ab Ampliſſimo Cardinalium Collegio Pontificem Max. nunciatum fuisse (1) intelleximus. Quo non alius scilicet hac tempestate tanto apici dignitatisque fastigio magis dignus magisve idoneus, qui tot tamque gravium errorum procellis fluctuantem Germaniæ Rempub. restituat, atque in tranquillum tandem portum reducat, creari potuit. Quam quidem opinionem toti orbi maximæ tuæ dotes jam dudum excitaverunt: quas hic referre non injucundum equidem Nobis foret, nisi rerum nostrarum lamentabilis tristisque fortuna, adeò nos permoveret urgeretque, ut omnis nostra impræsentiarum cura atque cogitatio ad investigandum salutis nostræ remedium præsidiumque nos revocaret. In hac autem rerum nostrarum calamitate, eximiæ bonitatis, maximarumque virtutum tuarum fama præconioque excitati, non modicam concepimus fiduciam, ut Tuæ Beatitudini miserabilem Monasterienſis Eccleſiæ casum indicare, eidemque supplicare auderemus, ut ipsa nobis de Beatitudinis suæ gremio, & eximiæ prudentiæ pectore, opem consiliaque communicare non dedignaretur. Quo hanc amariſſimam tempestatem, quæ fatale toti orbi exitium minitatur, avertere valeamus. Quanquam verò non est apud Nos dubium, quum ob periculi nostri diuturnitatem gravitatemque tùm verò ob execrabilium errorum novitatem, ad Tuam Sanctitatem jam antea aliquam rerum nostrarum famam delatam esse: quo tamen ipsam hujusce negotii veritatem S. T. intelligat: cùm rerum gestarum, tum detestabilium errorum capita breviter percurremus. Tertius nunc agitur annus, quòd

(1) *Te Pontificem Max. renunciatum &c.*] Paulus III. antea *Alexander Farneſius* S. R. E. Cardinalis, Epiſcopus Oſtienſis, Decanus, poſt duos a Comitiorum (ſeu Conclavis) ingreſſu dies, renuntiatus ſummus Pontifex, die 12. Octobris 1534. ſedit annos quindecim, & obiit 10. Nov. 1549.

quòd Nos Monaſterienſis Eccleſiæ adminiſtrationem, Dei, Apoſtolicæque Sedis gratia ſuſcepimus. Jam tum autem publicum ſtatum, non minimis illic diſſidiis, Religionis cauſa pridem obortis, perturbatum comperimus: nihilque ſtatim potius habuimus: quàm ut gliſcentes illic ſeditiones componeremus: inteſtinaque odia, quæ intra Monaſterium, Civitatem celeberrimam, atque ante facile florentiſſimam totius Veſtphaliæ, excitata animadvertimus, conſopiremus: mutuamque concordiam inter clerum, nobilitatem, & cives reſtitueremus. Quod equidem Nobis quantumvis ſeduló conantibus, ea tamen maxime de cauſa, perficere non licuit, quòd populi vulgique ad tumultum nimis propenſi animi, omnibus rectis quietiſque conſiliis reluctarentur, atque adeò jam plebeia vis potentiaque increviſſet, ut neque conſilio regi, neque imperio noſtro compeſci deinceps poſſet. Deum quippe Opt. Max. teſtamur, nihil nos intentatum reliquiſſe, omneſque vias & rationes expertos fuiſſe, quo præſentem hanc diriſſimam ærumnam averteremus. Quinimo aliquando iniquas conditiones ſubivimus, quo publico eos fœdere obſtringeremus, ne quid ulterius novarent, odiiſque ſuis modum ponerent. Verùm ubi cœpere Anabaptiſticæ ſectæ nefanda dogmata paulatim ſuppululaſcere, veteribuſque erroribus novi accreſcere, omnia, proh dolor, humana divinaque jura improbiſſimorum impiiſſimorumque hominum colluvies, ſuæ cupiditati inſaniæque poſtponens, præſentem Nobis acerbiſſimam excitavit tragœdiam. Cœpere autem rebaptizare ſub anni 34. ſupra milleſimum quingenteſimum, initium: innumeroſque ſubinde protulere errores ſacrilegi hujus ſectæ authores, quibus rebaptizatos obſtringerent. Non eos tantummodo, quos cæteri Anabaptiſtæ jam dudum fuere commenti: videlicet de communicandis facultatibus, alioſque ejuſdem generis, jam antea piorum doctorumque ſcriptis proditos & confutatos: verùm novas inauditaſque excogitavere hæreſes: ſcilicet ut Religionem Chriſtianam totam ſemel obruerent, & confunderent. Nam peccantibus pœnitentiam concedi: ipſum etiam Redemptorem noſtrum Chriſtum ex Diva Virgine carnaliter natum, inficiari ſunt auſi. Exſtitereque inter eos novi quidam Prophetæ, cum Deo ſibi ſecreta fingentes colloquia, vaniſſimiſque re-

ſponſis & oraculis ſimplicem plebem miſerè ludificantes. Libris verò & omnibus ſcriptoribus, tam veteribus quàm novis, linguis item atque litteris omnem fidem authoritatemque abrogavere: & ne aliqua vetuſtatis memoria apud eos remaneret, omnia ſemel litterarum monumenta concremavere: palam ac clarè profeſſi, Chriſtianæ fidei lucem veritatemque poſt ipſa ſtatim Apoſtolorum tempora per homines doctos obſcuratam fuiſſe, eamdemque nunc Deum per imperitos ſimpliceſque reſtituere velle. Infinitos verò alios errores quos principio proferre non ſunt auſi, cum temporis progreſſu invexerunt. Initiò tamen, cùm hæc ſecta exoriretur, nonnullam innocentiæ ſpeciem præ ſe ferebat: qua ſimplici plebi vafri ſceleſtique authores facile impoſuere. Etenim qui eorum dogmatis nomen dabant, ſuas facultates ſponte in communem uſum conferre, veſtitus omnem ornatum deponere, nullis ſeſe humanis commerciis miſcere, & perfectam quandam vitam ducere jubebantur: donec ſtatim creſcente ipſorum numero, ſimulata innocentia detegi cœpit: ſecretiſque conſpirationibus & conſiliis eò rem perduxere, ut armis civitatem, fruſtra ac ſerò renitentibus bonis quibuſque civibus, occuparent. Nec id fuit ſatis: ſacras illico omnes ædes violarunt ſpoliaveruntque: ſuburbanum templum vetuſtiſſimum incenderunt: quotquot nollent in eorum concedere ſectam, urbe exegerunt. Quo nullum profectò potuit eſſe triſtius ſpectaculum: neque enim vel ætati vel ſexui vel ordini ulli pepercerunt, miſerèque ab focis & Laribus quotquot rebaptizari nollent expulerunt. Qua quidem indignitate rei, Nos (uti par erat) graviter commoti, cùm certò provideremus, hunc eorum furorem non conſiturum intra unius illius civitatis mœnia, cùmque in vicinis oppidis & vicis, atque etiam regionibus, ſcintillæ magnæ ejuſdem incendii jam volitarent, qua potuimus celeritate militem contraximus: Urbem circiter Calendas Martias anno 1534. obſidere cœpimus: ac nihil omiſimus, quo tantum periculum tantamque vaſtitatem ab Eccleſia noſtra averteremus. Quo illud quidem effecimus, ut impiiſſimam ſceleratiſſimamque ſectam longius latiuſque graſſari prohiberemus. Capere verò vel expugnare urbem, cùm aliquoties magnis viribus juſtoque prælio tentaſſemus, propter ipſius tamen

incre-

incredibilem munitionem, desperatorumque hominum diligentissimam defensionem, spe nostra frustrati sumus. Itaque mutato obsidionis genere, majorem exercitus partem exauthoravimus, complura propugnacula & munimenta ereximus, eisque præsidia ter mille Peditum, Equitum vero trecentorum imposuimus, fossaque & aggere propugnacula ipsa circum urbem junximus, ut omnem commeatus importandi, vel excurrendi facultatem hostibus inhiberemus. Et hic in præsenti obsidionis status durat. Anabaptistarum verò qui intra urbem agunt incredibiles errores, abominandaque facta & consilia, quæ vel ex eorum libris, vel ex captivorum transfugarumque confessionibus, quæstionibusque explorata habemus, nimis fuerit longum perscribere. Illud tamen non est prætereundum, quod tametsi vulgò hæc secta ab iterato Baptismi Sacramento cognomen habeat, multas tamen alias scelleratissimas planeque detestabiles sub se hæreses comprehendat. Qualis est illa, caput fere totius eorum doctrinæ, quod tradunt, Christum in terris adhuc regnum sibi a patre promissum suscepturum: debuisse autem antea, omnia quæ ad Christi doctrinam pertinent, collabi: & collapsa esse haud multo post Apostolorum tempora, ad hunc usque diem. Nunc verò adesse tempora restitutionis, quibus scilicet Regnum Israël restitui debet, in quo, excisis impiis, soli pii & justi victuri sunt, id quod ex subnotatis ferè sacræ scripturæ locis astruunt: Actor. 3. ibi: Pœnitemini &c. usque ad tempora restitutionis &c. Matt. 13. item Matt. 21. 25. Luc. 19. Actor. 1. Rom. 11. 2. Thessalon. 1. Actor. 3. Actor. 15. Esaïæ 3. 4. 33. 40. 49. 51. 52. 54. 61. 62. 65. 66. Hierem. 3. Dan. 2. 7. Oseæ 2. Joel 2. 3. Amos 9. Mich. 4. Aggæi 2. Zach. 8. Malach. 4. Psal. 9. 17. 20. 21. 22. 26. 45. 46. Itaque Propheta quispiam superiore Autumno inter eos surrexit, a Deo revelatum sibi affirmans, ut Regem denunciaret, qui viam Domini præpararet, qui impios, quos omnes eos esse censent, qui ipsorum erroribus non concedunt, gladio persequatur & extinguat. Designatus autem est ab eo Rex, sarctor quispiam, homo juvenis viginti sex plus minus annos natus. Qui a populo receptus, ilico facultates in communem antea deportatas usum, sibi usurpavit, Regium Diadema cæ-

teraque insignia & ornamenta pretiosissime fieri curavit, familiamque & comitatum sibi mira magnificentia & fastu delegit, & plane tyrannicum quoddam imperium superbissime arripuit. Certò asserens se a Deo Regem esse ordinatum, ut totum sibi orbem subjiciat, omnemque humanam potestatem, omnia regna & leges abroget, & evertat, regnumque Israël restituat, in quo soli justi, æquali omnes conditione & libertate, summa felicitate & pace fruantur. Eaque opinio editis libris & per emissarios, & quos Prophetas vocant, passim denunciata, ita credulæ plebi persuasa est, ut omnino in sceleratissimam ejus factionem, maximè vulgi animi, jam inclinati sint. Multisque in urbibus jam tentavere nonnulli ad hunc tyrannum descisere: qui magnos profectò motus excitassent, nisi in tempore Deus impia consilia detexisset. Obsidionis porro tempore, sceleratissimis opinionibus aliud etiam fœdissimum dogma ab hujus Sectæ authoribus adjectum est. Quo Sacrosancti Matrimonii fides, non uno quidem, simplicive modo sed errore errori accumultato penitus contaminata est. Nam cùm gravidam uxorem attingere capitale ducant, uxorum tamen numerum liberum esse volunt. Itaque & ipse Rex multas habet conjugum titulo sibi copulatas fœminas: & cùm ducta displicet, non dimittitur, sed impune alia assumitur. Quo quidem velamento, belle scilicet adulteria sua, spurcissimasque fornicationes tegi arbitrantur. Infinita vero alia sunt horum Anabaptistarum, non errorum aut hæresium nomine digna, sed talia paradoxa, ut omnino Antichristo venturo viam sternere, omnia legitima imperia, bonas leges, Orthodoxam Religionem subvertere, probitatem ac virtutem e vita humana tollere, naturalia, divina, civiliaque jura semel confundere velle videantur. Quorum si conatus processerit, quæ rursus barbaries, quanta immanitas ignorantiaque, & qualenam sit futurum hujus orbis chaos, Sanctitatis Tuæ insignis prudentia ipsa per se perpendere potest. Cœpit autem hoc malum apud nos, sed tanta ejus est contagio, ut citissime alias regiones nationesque infectura sit, nisi hic semel ab ipsis radicibus excisum fuerit. Nos verò non solùm, ut commissum nobis hujus diœcesis ditionisque regimen omni vigilantia obiremus, tantamque pestem ab nostro populo propelleremus, verùm etiam,

etiam, ne hinc ad alios tam grave incendium progrederetur, totis viribus occurrimus, ac ultra octies centena florenorum millia in Anabaptiſticum iſthoc bellum inſumpſimus. Adeoque ejus diuturnitate exhauſti ſumus, ut ad extremum venerimus, nec in noſtra ſit poteſtate, crudeliſſimum immaniſſimumque Tyrannum longius diutiuſve reprimere. Porro dum mente reputamus, quantum toti Germaniæ, totique Chriſtianæ Eccleſiæ, periculum immineat, ſi nobis hoſtilibus furiis cedere coactis, Anabaptiſticus Rex, ſoluta obſidione urbis, per orbem inpune graſſari cœperit, nihil plane omittere volumus, quo tanto malo occurrere poſſe ſperaremus. Saltem ut coram Deo Opt. Max. omnibuſque mortalibus vivis ac poſteris, quidquid a nobis fieri debuit aut potuit, id ſumma diligentia ſedulitate ac ſollicitudine impleviſſe nos teſtatum relinqueremus. Quamobrem principiò quidem viciniorum Principum auxilia imploravimus. Deinde apud Confluentiam hujuſce communis periculi gravitatem aliquot Imperii Ordinibus expoſuimus. Noviſſimè etiam Sereniſſimo Regi Romanorum ſupplicavimus: Vormatiæque apud Imperii pene totius legatos de ſuppetiis nobis communicandis egimus. Qui noſtræ miſerti calamitatis, communique Reipub. quieti & bono conſulentes, non minimo præſidio opitulari nobis decrevere. Verùm quum hoc fatale malum magnas indies vires aſſumat, timendumque ſit, ne hæc auxilia adverſùs tantam vim non ſufficiant, Tibi quoque Clementiſſimo Patri, Maximoque Pontifici, periculi hujuſce magnitudinem indicare voluimus, atque in extrema noſtra neceſſitate ad te Religionis Chriſtianæ caput confugere. Supplicantes & per Chriſtum Servatorem noſtrum obteſtantes, ut noſtræ calamitatis publicique periculi te miſereat: & nunc, dum adhuc procul a Sanctiſſima Urbe Romana hoc malum abeſt, devotiſſimæ tibi, Apoſtolicæque ſedi, Eccleſiæ Monaſterienſis, miſerabilem caſum benignis propitiiſque oculis reſpicias: Beatitudoque tua aliquid in ſtipendia exercitus quem maximis hactenus impenſis contra Anabaptiſtas ſuſtinuimus, conferat. Quem quidem ne adhuc nimium diu ſuſtinere cogamur, vehementer timemus. Non poteſt autem tua Sanctitas in ullum uſum magis piè glorioſèque beneficentiam ſuam collocare, quàm ut læviſſimi, Dei pariter ac totius Chriſtianæ Religionis,

nis, Apoſtolicæque authoritatis hoſtes propellantur. Favorabilis fuit ſemper contra Turcas cauſa, & Romana ſedes, non modò de ſuo lubens quidquid potuit impendit, ut immaniſſimam illam nationem Chriſtianæ Religioni inimicam a noſtris finibus prohiberet: ſed cæteros Europæ Principes ſæpe exhortata eſt commovitque, ut tantæ peſti occurrerunt. Nunc verò quum inteſtinum peſtilentiſſimumque quoddam malum, in ruinam, & perniciem totius Religionis atque Reipub. Chriſtianæ ſuccreſcat: age Beatiſſime, & nobis in calamitoſo afflictoque iſthoc rerum ſtatu, tuis opibus, tua authoritate, tuo conſilio, auxilioque ſuccurrere non gravare. De modica pecuniæ impenſa agitur: qua nunc adhuc prohiberi hoc malum poteſt. Quod profectò, niſi nunc ſemel deprimitur, in commune totius orbis diſcrimen ac naufragium verget, longeque ſævius & crudelius quibuſvis Gothis & Vandalis, ſacrilegam hanc Anabaptiſtarum manum, niſi in tempore repulſa fuerit, per omnes Provincias populabundam ire conſpicietis. Cùm igitur tam late hujus mali periculum pateat, Tuque B. P. caput ſis totius Religionis Chriſtianæ, maximam fiduciam extremamque præſidii ſpem meritò in te repoſuimus. Humillimeque tibi ſupplicamus, ut rei gravitatem mente revolvas, miſero populo, labentique Religioni Chriſtianæ ſuccurras: ac cùm ipſe de tuis facultatibus aliquid Nobis ad facinoroſæ ſacrilegæque Sectæ propulſandam vim impertias, tum verò Ampliſſimo Cardinalium Collegio, Principumque totius Europæ Legatis, qui apud T. S. agunt, extremam neceſſitatem noſtram exponas: quo favore benignitateque ſua noſtram, imò communem cauſam, promoveant, atque adjuvent. Quod nos equidem erga S. T., Ampliſſimumque Ordinem Cardinalium, cæteroſque Europæ Chriſtianos Principes, perpetuis temporibus, omnibus viciſſim noſtris facultatibus, ipſaque vita promereri paratiſſimi ſumus. Chriſtus generis humani Servator Tuam Beatitudinem diu ac feliciter ſuum gregem protegere regereque faciat. Datum in caſtris ante Monaſterium in fine anni 1534. (2).

(2) *In fine anni* 1544] Manifeſtus error in numeris; legendumque 1534. Quod cùm ſerius a nobis obſervatum fuerit, non potuit hæc epiſtola ſuo loco collocari.

EPI-

EPISTOLA CXL.

Ex Tomo IV. fol. 484.

D. LUDOVICO A SCHORA.

De negotio Daventrienſium Reginæ Mariæ, Hungariæ viduæ, ac Belgii gubernatricis nomine apud Electorem Palatinum peragendo ſententiam ſuam exponit, actionem diſſuadendo; quòd Elector miniſtris Cæſareis infenſus ſit; quòd Proteſtantibus ſe junxerit, & quòd ſibi deſint inſtructiones. 1545.

ACcepi, Magnifice Præſes, Domine Colendiſſime, Sereniſſimæ Reginæ litteras, quibus mandat, ut apud Comitem Palatinum Electorem negotium Daventrienſium agam. Id equidem ea qua debui diligentia exequi paratus ſum. Verùm hoc tempore hic non adeſt Palatinus, ſed valetudinis curandæ prætextu, in thermas quasdam ſeceſſit. Quum igitur Regina ſcribat, ut habita oportunitate cum Palatino agam: non viſa eſt id mihi velle Regina, ut ad abſentem proficiſcerer. Non poſſum autem D. V. celare, quæ ipſe eo in negotio conſiderem. Primum enim magna ejus conficiundi erit difficultas, quod Palatinus nobis, Cæſareæ Majeſtatis miniſtris, graviter eſt offenſus, ſeu rectius dicam infenſus ac iratus. Indicium ejus clariſſimum accepimus, quod cùm hic antè hebdomadas ſex veniſſet, rogatus a Rege, ut propoſitioni adeſſet, primùm quidem D. *Grandvellanum* ad ſalutationem colloquiumque admittere dedignatus eſt: *Boiſoto* quoque & mihi oportunitatem, noſtram ei reverentiam teſtificandi ex *Huberto* quærentibus, obliquè reſponſum eſt. Dum vero nos nihilominus occaſionem ejus officii captamus: ipſe Palatinus, ipſo etiam Rege inſcio ac inſalutato, hinc ſe ſubduxit. Ex *Navio* autem, qui in aliqua apud eum gratia remanſit, intelligimus potiſſimum eum contra *Grandvellanum* ac me indignari, cùm in genere ob fœdus Danicum, tum ob particularia quædam ejusdem. Ab *Grandvellano* quippe ſpem ſibi Spiræ factam, in eo tractatu jura ſua conjugisque illæſa fore: cùm tamen neſcio quæ in eo contineri crimineturalia, quàm

existimarat. Jam quoque Daventriense negotium eum excruciat, me ejus articuli authorem arguens, ac a me dictatas illas epistolas suspicans, quæ ad eum ea de re paulo, ut ipsi videtur, acrius sunt scriptæ. Cùm tamen in his nulla omnino sit culpa erga eum mea: nam quod attinet ad articulum de depositio Daventriensi, eum nos ex Reginalis Majestatis mandato tractatui inseruimus, magis (ut nobis tunc videbatur) in ipsius commodum quàm præjudicium, ne videlicet Daventrienses amplius haberent causam quare ea bona Palatino non darent. Quod autem ad litteras pertinet ad eum scriptas, novit D. V. me illis manum non apposuisse: quanquam ex D. *Scheppero* aliquando intellexerim, ipsum Comitem earum satis magnam suis scriptis occasionem præbuisse. Nec mirari satis queo, cur hoc negotium tam importunè urgeat. Sed *Davum Davum* vereor, qui sibi jam nescio quos spiritus concepit: si quando me hic vidit, Domini similis, obtortis me est oculis intuitus. Itaque, Magnifice Domine, vereor ne non satis grata ipsis futura sit actio mea in eodem negotio, quum ita sint exacerbatis non in nos tantum, sed in ipsum uti videtur Cæsarem animis, ut eos in publicis etiam hujus Imperialis conventus negociis non celent. Nam in iis quæ Cæsareæ Majestatis nomine de Religione, deque Concilio proposita erant, ipse ad Protestantium partes sese adjunxit. Jamque in Regis ac Cæsaris conspectu meditatur Sacrorum Religionisque in sua ditione mutationem, adscito ex Argentina primario ibi Concionatore cui nomen *Caspar Hedio*, qui Heidelbergæ illi nunc ovo incubat. Hæc quorsum tendant conjicere satis licet. Magnum certè vulnus Catholica Ecclesia inde accipiet. Ac uti magna dum ruunt ædificia, minora, quæ adjacent, conquassant: ita timendum ne hæc Palatini defectio multos vicinos in eamdem trahat ruinam. Sed ad rem redeo. Ego, Magnifice Domine, Reginæ mandatum qua potero dexteritate exequar, cùm primum huc Palatinus venerit, nam ad Cæsarem eum venturum arbitror. Erat fortè opus Credentialibus, sed earum loco utar Reginæ litteris ad me scriptis, cùm in iis nihil mihi videatur, quod illum celare sit opus. Scio mox ea me auditurum, quæ jam antea litteris ultro citroque missis commutata sunt, quorum quidem ego nihil scio. Quæ

si

ſi ad me mitterentur, eſſem paulo ad hoc certamen inſtructior. Nam quod nunc Daventrienſes offerunt, puto & antea Palatino oblatum fuiſſe. Sed cur ille non acceptarit, & quid ad ejus cauſas reſpondendum ſit, voluiſſem mihi expoſitum fuiſſet. Nam jacula prævisa minus nocent, & ne quid ego aliud dicam, quàm jam dictum eſt. Cum Conſiliariis ipſius qui hic ſunt, commodius forſitan agerem, & liberius loqui liceret, cùm ſenex dicatur paulo eſſe iracundior, & habeat qui in hoc negotio oleum addat camino. Sed hoc neſcio an Reginæ placeat. Quod ſi verò in eo mihi *Navius* adjunctus eſſet, illius gratia, quæ adhuc apud ſenem eſt integra, forſitan illius vehementiam temperare poſſet. Verùm totam hanc rem, Colendiſſime Domine, V. D. prudentiæ relinquo, ut, ſi ita videbitur, aliquid de ea cum Regina loquatur, & priori mandato aliquid addat, vel ad pleniorem negotii inſtructionem facilioremque ejus executionem aliquid vel mittat, vel jubeat. Quodſi aliud non accepero, juxta priores Reginalis Majeſtatis litteras cum omni diligentia procedam, & hoc faciam quod potero. Vale, Domine Colendiſſime. Vormatiæ 3. Maii 1545.

EPISTOLA CXLI.

Ex Tomo IV. fol. 488.

CONRADO BRUNO (1).

Hortatur ut librum ſuum de Legationibus in publicum emittat. 1546

REm plane tua iſta multijuga eruditione lectioneque dignam, ac ſtudioſis hominibus inprimis gratam feciſti, *Brune* Doctiſſime, qui fœtum illum præclarum, cujus mihi aliquando Spiræ ſpecimen edidiſti, ad maturitatem perduxeris. Capita ipſa & rerum ordo fidem mihi faciunt, hoc te ſcili-

(1) *Conrado Bruno*] Is Jurisconſultus, in publicis Imperii conventibus Auguſtæ, Spiræ, Wormatiæ & Ratisbonæ habitis emicuit. Plura ſcripſit, quæ enarrat *Miræus de ſcript. ſec. XVI.* Hic agitur de libris quinque *de Legationibus.* Obiit Canonicus Auguſtæ Vindelicorum anno 1563.

ſcilicet probe obſervaſſe quod tum ſus quod dicitur Minervam monebam, non tantum ut res ejus argumenti ad uſum publicum accommodas diligenter deligeres, ſed ipſas quoque ſic diſtribueres, ut ipſa tractatio gratiam aliquam operi apponeret. Cùm enim propter Legationum quotidianum uſum, multi id opus, ubi in publicum exiverit, expetituri ſint, multorumque ſubiturum cenſuram, ac eorum ferè hominum, qui in Republica prudentiæ opinione excellunt, hoc magis conandum eſt, ut plenum eorum mereare ſuffragium. Quod te quidem conſecuturum eſſe, non ex iſto tantum ad me miſſo Elencho, ſed ex plurimis certiſſimis documentis in illo venerando incorruptoque Senatu, qui nos melioribus florentioribuſque annis Collegas habuit, percipiebam quotidie. Quamobrem ut iſtius tuæ operæ pretium gratiamque ab bonis & eruditis hominibus vivis accipias, nonnulliſque quorum invidiam tua excitavit virtus objicias in quo frangant genuinum, fac ut typis id opus excudatur, tuoque iſto præclaro labore multi mecum perfrui poſſint. Vale. Ex caſtris Cæſaris inter Laugingam, Dilingamque, poſtridie Calendas Novembris anno 1546.

Ex epiſtolis clarorum Virorum publicatis a S. A. Gabbema an. 1663. *pag.* 527.

EPISTOLA CXLII.

ANDREAS ALCIATUS VIGLIO ZUICHEMO.

1547. *Commendat P. F. Chalcum, quem depingit. Conqueritur ſe Ferrariâ relictâ, apud Papiam profiteri debere cum damno ſuo ac honorarii periculo, cupitque ſibi licere aliam conditionem quærere.*

QUi has tibi reddet literas, *Petrus Franciſcus Chalcus*, juvenis eſt tuo favore dignus, quem ego hoc anno ad doctoralem lauream evexi. Eſt nepos *Bartholomæi Chalci*, cujus

cujus in epiſtolis *Politiani* (1) plurima mentio. Etenim avus ejus cùm a ſecretis *Sforziadum* Ducum eſſet, prolixam in

(1) *Politiani*] Angeli. Hic multarum literarum vir a multis celebratur. *V. Trithem. de ſcript. eccleſ. n. ſeu cap.* 911. *Spondan. ad an.* 1494. quo anno ponitur obiiſſe, & rectè quidem. Unde vitioſa eſt correctio, quæ exſtat in notis ad *Tritbemium* in *Fabricii* editione, ubi ponitur e vivis eum exceſſiſſe Florentiæ an. 1509. & citatur teſtis *Mabillonius in Muſæo Italico tom.* 1. *p.* 178. dictum oportuit p. 176. En verba: *E regione* (Joannis Pici a Mirandula) *ſepultus eſt, ſed ſine inſcriptione, Angelus Politianus, Johannis amicus, qui obiit anno* M. CCCC. XCIV. Diſcrepat tamen *Sweertius in ſel. orb. del.* ubi inter *Florentina*, pag. mihi 242. binas adfert inſcriptiones, quarum uni apponitur annus 1498. En tibi ambas:

POLITIANUS *in hoc tumulo jacet* ANGELUS, unum.
Qui caput, & linguas (*res nova*) *tres habuit.*
Obiit anno M. CCCC. XCIIX. Septemb. XXIV. Ætat. XLIV.
PAULUS CRINITUS *amico pos.*

Sed obſerva hanc inſcriptionem non exſtare in æde S. Marci Florentina, ut ut id *Sweertius* affirmet. Teſtis namque & ocularis & recens ſatis, *Mabillonius* eſt: eum ibi eſſe ſepultum *ſine inſcriptione. Paulus Crinitus* ei tribuit annos vitæ 44. *Jovium* ſecutus; quo facto neceſſe fuit prorogare quoque annum mortis. Verùm tamen conſtat utrumque: obiiſſe nempe *Angelum* anno 1494. ætat. 40. Probat hæc *Baylius in Dict.* verbo: POLITIEN. Ubi miror hunc, eumdem ex *Mabillonio* male citato erraſſe errorem cum notatore *Tritbemii.* Appono alteram ex *Sweertio* inſcriptionem quòd obvia non ſit.

Hic hic, viator paululum gradum ſiſte:
Vatem potentis ſpiritus vides clarum:
Qui mente promptus acri, & arduum ſpirans,
Ac ſumma quæque & alta conſequi ſuetus:
Is ille ego ANGELUS POLITIANUS *ſum*
Fovit benigno me ſinu Flora, & illic
In fata ceſſi: Parthenopæos Reges
Quum Gallica arma irruerent minabunda.
Tu vale, & hoc ſis meriti memor noſtri.

in ſe eorum munificentiam expertus, multa privilegia, plurimas immunitates eſt conſequutus; cuperet nunc hic meus ea omnia autoritate Cæſareæ Majeſtatis confirmari. Obſecro te, mi *Vigli*, ut hominem, quantum potes, adjuves, & ad nos voti compotem remittas. Quidquid in eum beneficii collatum collocaris, id omne, proinde ac mihi collatum interpretabor. Ea eſt mihi cum *Chalcis* iſtis conjunctio ac familiaritas, ut omnia illorum cauſa velim. Commendo itaque tibi illos de meliore nota. Anno ſuperiore ad te ſcripſi, & conditionis meæ admonui, auxiliumque & opem tuam imploravi, cùm tamen nullam a te reſponſionem acceperim; ſeu meæ ad te perlatæ non ſint, ſeu tu aliis gravioribus rebus occupatus, ad hæc noſtratia cognoſcenda deſcendere nequiveris. Nuperrime cùm menſe Septembri Ferraria Mediolanum reverſus eſſem, Illuſtriſſimus *D Ferdinandus Gonzaga*, nomine Cæſareæ Majeſtatis mihi imperavit, ut conditionem Ferrarienſem relinquerem, & Papiam profitendi cauſſa irem, idque *ἀνεπιλήπτως*. Coactus itaque tam dura juſſione acceſſi. Durities in eo eſt, quod ad 100. annua amitto, quæ in conſiliis ſeu reſponſis in Italia inferiore lucri facio, cùm Papia ſemidiruta bellis noviſſimis civitate, nullus ſit obulus, quem extra ordinem poſſim conficere. Præterea alibi mihi in promptu præſtantur honoraria, hic promittitur quidem, ſed non ſolventur. Præfecti pecuniæ Cæſareæ omne id perditum ducunt, quod præſtatur Doctoribus; tanquam ex animo triumphant, cùm me illudunt: quæ res me ſeneſcentem, & articularibus morbis ſubjectum ad incitas redigit. Rogo te, mi *Vigli*, pro mutua noſtra neceſſitudine, ne me deſeras. Cuperem a Cæſarea Majeſtate impetrares, ut ſi iſti conſtitutum mihi ſalarium ſua die non repræſentent, liceat mihi aliam conditionem quærere: nec ideo poſſint iſti in bona mea ſævire. Si hoc mihi impetratum reddideris, ſeu tu, ſeu Reverendiſſimus *Atrebas* jam iſti facilius ſolvent, meque maxima animi moleſtia liberaveris. Quid in hac re obti-

Ad horum intelligentiam conſequendam conſulendus eſt *Baylius*, cui aſſentior, neutram inſcriptionem e dignitate eſſe tanti viri. Quæ *Guil. Budæus* in thanatologia adfert, nihil addunt lucis.

obtinere possis, obsecro ne graveris me admonere, vel per amanuensem tuum, si aliter per occupationes tuas non licet. Vale. Ticini, seu Papiæ. Idibus Februar. 1547.

EPISTOLA CXLIII.

Ex Tomo IV. fol. 490.

NICOLAO PERRENOTO.

Commendat Joannem Colinum in Secretum Consilium adscitum. Ipse in aula hæret, ad Navii locum postulatus. Statuit nihil vel suscipere, vel detrectare, nisi Perrenotto auctore. 1547.

CUm in curiam profectionem instituerem *Jo. Colirius* (1) in *Boisoti* quondam nostri locum ab Regina surrogatus, atque is nullorum omninò notitia familiaritateve fultus, inprimis ad Illustrem D. V. áliquem sibi aditum patefieri cuperet, measque in id litteras postulasset; haud potui debuive hoc illi negare, quòd uti nos olim in Italia communia studia conjunxerant: ita postea in idem Mechliniæ cooptati collegium, mutuum semper amorem invicem coluerimus. Vir est certè non vulgariter doctus, adhæc apertus, & sincerus, sed Aulam valde reformidat, publicorum negotiorum atque vitæ illius motoriæ insuetus. Verùm si Illustris D. V. suâ eum gratia favoreque dignabitur, animum eo lubentius componet. Ego, cùm occasione Colonienſis Legationis, tum præcipuè ope atque auxilio Illustris D. V. domum redeundi impetrata facultate; in Reginæ Aula fere hacte-

(1) *Joannes Colinus.*] *Colins* vel *Collins.* Ita diversimode scriptum reperi in catalogis Consilii Privati, & summi Senatus Mechliniæ sedentis. In hoc catalogo dicitur anno 1543. ad Parlamentum admissus, in illo, notatur annus 1541. Ex hac Viglii epistola liquet eum hoc demum anno 1547. in Consilium Privatum ascendisse. Obiit anno 1572. terræ datus cum conjuge sua *N. Van den Eede* in parochiali æde S. Petri Mechliniæ.

hactenus hæsi. Licet post *Navii* vestri mortem parum abfuisse intelligo, ne ad curiam castrensemque molestiam retraherer. Scripsit enim ad me Reverendissimus Episcopus Atrebatensis, atque alii nonnulli, de me in *Navii* locum sufficiendo. (2) Sed uti ego tantæ provinciæ me nunquam vel parem vel idoneum existimavi, ita alia quoque multa me hactenus suspensum tenuerunt, ne videlicet me temerè conjicerem, undè pedem referre, cùm vellem, nequirem. Atque ita quidem in animum induxi meum, citra Illustris D. V. quæ paterno me semper affectu complexa est, authoritatem, nihil vel suscipere vel detrectare. Quæ ubi coram aliquando meas rationes perceperit, id quod optimum erit, consulere, uti spero, haud dedignabitur. Benè vale. Binchii 6. die Julii anno 1547.

Ex Tomo V. fol. 38.

EPISTOLA CXLIV.

JOANNI GROPPERO(1).

1547. *Commendat Jacobum Horstium ad præbendam S. Gereonis Coloniæ, a Cæsare, uti Gelriæ Duce, collatam.*

HAud fuit mihi hactenus, Clarissime *Groppere*, ulla ad tè scribendi occasio, sed tamen post id quo Colonia discessi,

(2) *In Navii locum*] De *Viglio* in *Joannis Navii* Vice-cancellarii Cæsaris locum sufficiendo, dixi alibi, plus vice simplici. *V. in fine Notarum ad Vitam.*

(1) *Joanni Groppero*] ex Susato Westphaliæ oppido. Qui fuit J. U. & sacræ Theologiæ doctor Colonienſis eximius, eloquentia admirabili, & rara eruditione instructus. Erat præpositus eccleſiæ *SS. Cassii & Florentii* oppidi Bonnensis, eâque qualitate per dioceſim Colonienſem Archidiaconus, nec non ad *S. Gereonem* Coloniæ Canonicus & Scholasticus. Qui cùm a *Paulo IV.* anno 1555. in S. R. E. Cardinalium numerum, absens ab Urbe, & nihil simile cogitans, aggregatus fuisset, raro humilitatis exemplo dignitatem recusavit. De hoc facto

si

ceſſi, non levis me tenuit ſollicitudo ac deſiderium, quo id quod me iſthic agente cœptum erat, ad felicem exitum perduceretur. Gaviſuſque ſum ſubinde, cùm intelligerem ſine turba zizaniam paulatim extirpari, novatoreſque iſtos, qui Eccleſiæ oppreſſionem moliebantur, alias ſedes quærere. Nunc verò in iſta Cæſareæ Majeſtatis proſperitate cuncta haud difficulter in ſuum reditura ſtatum ſperamus. Ego interea ferè in Reginæ noſtræ Curia egi, licet mortuo *Navio*, ad ejus ſubeundam provinciam multis mandatis litteriſque evocatus fuerim. Verùm non potui animum inducere, ut iterum me caſtrenſibus moleſtiis objicerem, aut onus ſuſciperem, cui ferendo vires pares non eſſent. Sed cùm jam Cæſar bellum abſolverit, haud poſſum recuſare, quo minus eam quam conſuevi operam Majeſtati ſuæ impendam: itaque brevi in Germaniam rurſus iter inſtitui. (2) Meminiſti me Coloniæ cùm eſſem, privata quadam de re aliquid expoſuiſſe, ea fuit quod ad Cæſareæ Majeſtatis notitiam nuper deductum fuit, ad Prædeceſſorum ſuorum Geldriæ Ducum interceſſionem perſonæ alicui ipſis gratæ Canonicalem Præbendam a Capitulo Eccleſiæ S. Gereonis conferri ſolitam. Aliis autem nonnullis eam gratiam apud Cæſaream Majeſtatem ambientibus, prælatus eſt quidam, pro quo ego preces interpoſueram, *M. Jacobus Comans Horſtenſis*, ſacræ Theologiæ Baccalaureus, vitæ probitate non minus, quàm doctrina commendabilis, qui me quidem privato quodam officio demeruit, quod conjugis meæ fratres annis aliquot in litteris Lovanii, ac nunc Lutetiæ inſtituit. Spero autem veſtrum

ſi dubitas, Vide *Spondan. ad an.* 1559. *N. XXXIV.* & *Ciaconnium, tom.* 3. *col.* 851. Obiit Romæ prid. Idus Maii an 1559. æt. 58. cùm in urbem vocatus fuiſſet a Pontifice, tum ad purpuram, ſi vellet, accipiendam, tum ad communicandum cum eo de rebus & ſcriptis circa controverſiam religionis. Ubi honorifice exceptus, paulo poſt deceſſit, ſepultuſque eſt in æde Germanorum, quam *dell' anima* vocant, ad pedes *Adriani VI.* cum epitaphio, quod habes apud *Ciacon.* cit. & in *biblioth. Belg. novæ edit.*

(2) *iter inſtitui*] Legendum: *inſtituam.* Nam paulo poſt a Cæſare poſt Saxonicam victoriam Auguſtam evocatus eſt ad Comitia Imperii Kal. Septembribus hoc eodem anno celebrata. *V. Vitam Viglii N. LVI.*

vestrum collegum, quod veteribus Geldriæ Ducibus concesserit, Cæsari legitimo ejus successori, & Ecclesiarum protectori, non denegaturum. Ad hæc forte meæ in communem Ecclesiam Colonienſem devotionis memoria aliqua isthic remansit, apud te præsertim, qui eam propius cognovisti. Quamobrem rogo ut tua autoritate, quæ in illa Ecclesia haud immerito magna est, desiderium nostrum adjuves. Misi Cæsaris litteras ad Doctorem *Hubertum*, quo is eas Capitulo ex tuo consilio per oportunitatem offerret. Cum boni autem viri interſit, ne longa aut inani spe ducatur, magni beneficii loco ducam, si impetrare desuper certum responsum a Capitulo liceat: & ut videatur Cæsarearum precum aliqua habita ratio, quando jam quadriennium agitur, quo Majestas sua Geldriæ Ducatui inaugurata fuit, speramus hunc cæteris, qui alio jure nituntur, prælatum iri. Vicissim si qua in re mei usus inciderit, in mea diligentia aut voluntate nihil vos desiderare sinam. Vale Domine & Amice cum primis observande. Binchii 8. Julii 1547.

Ex Tomo IV. fol. 493.

EPISTOLA CXLV.

LUDOVICO SCHORANO.

1548. *De Religionis negotio in Comitiis Augustanis directo per* Interim *Caroli Cæsaris, & per constitutum de cleri reformatione. A quibus susceptum* Interim. *De Episcopi Lubecensis successore. De Belgicis cum Imperio quæstionibus ad Reginam remittit. Optat redire domum.*

COmitiorum finis tandem hic ultima die Junii factus est, quæ Calendis Septembribus cœperant. Religionis negotium omnium difficillimum utcunque directum est duabus constitutionibus, seu potius consultationibus, quarum uni *Interim* (1) vulgo nomen inditum est, cujus exemplar Latinum

(1) *Interim*] De hoc famoso Edicto *Caroli* V. historici passim.

tinum D. V. mitto. Altera Cleri reformationem continet, ſed ea ordini Eccleſiaſtico non uſquequaque placet. Attamen ſaniores ex iis promiſerunt operam ſe omnem daturos, quo in Clero ſuo nihil deſideretur. Venit autem huc poſt Receſſum lectum Nuncius Apoſtolicus, Epiſcopus Fanenſis (2) Dominicanæ profeſſionis, ſed, ut in proverbio eſt, poſt feſtum. Is fertur ſuper iis, quæ per Cæſarem in Religionis negotio acta ſunt, ſatis propenſum Pontificis animum polliceri, modò Placentia (3) antea reddatur. Ita ut verum ſit proverbium, plures Placentiam, quàm Veronam tendere. Et ſic illud etiam ex Scholis noſtris adducitur, quod ſpoliatus ante omnia reſtituendus ſit; poſt ſcilicet de Religione ac Concilio quæretur. Auguſtenſis hæc civitas *Interim* ſuſcepit, ſed metu magis, quàm ſponte. *Muſculus* quidam Apoſtata (4) qui hujus urbis Hereſiarcha erat, eo cognito, mox aufugit. Heri cœpere alii Concionatores ad veterem morem conciones inſtituere, & habuêre materiam ſatis aptam ex hiſtoria Evangelica de Viſitatione *Mariæ*.

Quæ-

ſim. Ejus auctores ſunt *Julius Pflugius* Epiſcopus Naumburgenſis; *Michael Heldingus*, Epiſcopus Sidonienſis in partibus, & Archiepiſcopi Electoris Moguntini Suffraganeus, poſt Epiſcopus Mersburgenſis; ac *Joannes Agricola*, Iſlebius, qui à Proteſtantibus redierat ad Catholicos. Vide *Spondanum ad annum* 1548. *a n. IV.* & confer quæ *Surius* habet ad eumdem annum.

(2) *Epiſcopus Fanenſis*] Non unum, ſed tres Nuncios apoſtolicos adfert *Spondan.* quem Vide *ad an.* 1548. *n.* XI. & *ad an.* 1549. *n.* IV.

(3) *Placentias*] De controverſia inter Cæſarem & *Paulum III.* PP. ob urbem Placentinam, vide *Thuanum*, *Spondanum*, alioſq.

(4) *Muſculus quidam apoſtata*] Wolfgangus, natione Lotharingus, monachus Benedictinus cœnobii Lixheimienſis in Palatinatu, abjecto habitu religioſo, ductaque uxore Argentoratum ſeceſſit. Poſt Auguſtam vocatus, prædicationi ſe dedit, & in negotiis ſeu colloquiis religionis adhibitus, poſt publicatum Edictum Cæſaris, de quo hîc, abire compulſus, in Helvetiam ſe contulit, ubi & obiit anno 1563. Plura ſcripſit, tranſtulitque. Vide *Du Pin Bibl. des aut. ſeparez de la Commun. de l'Egliſe Rom. du* 16. *ſiecle tom.* 1. *part.* 2. *in* 8. *p.* 399.

Quædam urbes adhuc tergiverſantur, ſed interim Hiſpanum militem formidant. Saxonicæ civitates nondum Cæſari reſponderunt, an *Interim* parere velint, quanquam Dux Brunſvicenſis ſcripſit decreviſſe eas id non recipere Verùm Deo propicio meliora ſequentur conſilia. Epiſcopo Lubecenſi dudum in carceribus latrunculatoris cujuſdam defuncto: *Jodocus Hoetfelder* (5) Curtiſanus, D. V. non incognitus, qui nunc Pontificis eſt Cubicularius, in ejus locum ſuffectus dicitur ex electione Capitularium, qui veteri Religioni hactenus adhæſerunt. De noſtrarum provinciarum concordia cum Statibus Imperii D. V. ſuperioribus litteris meis latè ſcripſi: Et quum ea quæ poſtea ſecuta ſunt, Reginæ hoc eodem tempore ſignificem, nihil puto opus eſſe ea hic repetere. Cùm domum rediero, cætera quæ calamo explicari nequeunt, coram referam. Hic tot hac hebdomada negotiis obrutus ſum, ut tranſlationi tractatus totius vacare non potuerim. Concepi autem privilegia quæ deſideratis, ſed puer meus aliis deſcribendis occupatus, nequit

(5) *Judocus Hoetfelder*] ſeu *Montfilter*, ut eſt apud *Guil. Budæum in Thanatolog.* ubi dicitur, Oſnabrugenſis, Epiſcopus Lubecenſis, & obiiſſe anno 1551. æt. 51. Porro quis ille *Epiſcopus Lubecenſis dudum in carceribus latrunculatoris cujuſdam defunctus*? Hunc fruſtra quæſivi. Nec ad manum erat *Chronicon Epiſcoporum Lubecenſium*, a *Meibomio* vulgatum. Et ut fuiſſet, docuit me *Oudinus de ſcript. Eccleſ. tom.* 3. *col.* 2683. quod Chronicon illud perveniat ad an. dumtaxat 1465. continuatumque ſit uſque ad an. tantummodo 1505. In Hiſtoria eccleſiaſtica Germaniæ, Gallicè edita Bruxellis duobus voluminibus in 8. exſtat catalogus ſeu ſynopſis dictorum Epiſcoporum, ubi trigeſimus nonus Epiſcopus appellatar *Henricus Bockholt*, qui ultimus ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopus catholicus fuerit. En verba: *Henri Bockholt, Docteur ès Droits eut le malheur de voir introduire le Lutheraniſme dans ſon Dioceſe; il ne negligea rien pour l'etouffer dans ſa naiſſance: il mourut en* 1535. Hiſt. Eccleſiaſtique d'Allemage, à Bruxelles chez Foppens 1724. tom. 2. p. 339. Et apud *Guil. Budæum* cit. ita lego ad an. 1535. „ *Henricus Bocholtus*, Epiſcopus Lubecenſis, Præpoſitus Hamburgenſis, Hamburgæ die Lunæ poſt *Judica*." Catholici norunt, Dominicam diem *Judica*, eſſe Domini eam Paſſionis.

quit omnia eodem tempore conficere. Mihi autem ut omnia ſemper, quæ ad noſtram Provinciam pertinuerunt, curæ fuerunt, ita iſta etiam erunt, nec diſcedam niſi eis confectis. Abſolutis autem jam Comitiis id ſummo ſtudio contendo, quo mihi redeundi licentia concedatur, quam uti ſpero impetrabo, licet quidam hic me vehementer retinere cupiant ob nonnullos proceſſus, qui coram Aulæ conſiſtorio vertuntur. Verùm me tædet illius Virgiliani, *ſic vos non vobis*, & loculi exhauſti amplius me hîc morari non ſinunt. *Gerardus Veltwyckius* ait ſe miſſionem impetraſſe, & itineri jam ſe parat. Benè vale, Domine Colendiſſime. Auguſtæ 3. Julii 1548.

EPISTOLA CXLVI.

Ex Tomo IV. fol. 495.

LUDOVICO SCHORANO.

Queritur ſe publicis negotiis defunctum, ob privata detineri. De tractatu cum Statibus Imperii. De reſtaurando judicio Cameræ Imperialis. Cum Bremenſibus concordia inita. Chantonejus ex Hiſpania redux, quo Archidux contendit. 1548.

ABſolutis jam pridem comitiis publiciſque negotiis, privatorum hîc adhuc diſtinemur ſupplicationibus, proceſſibuſque nonnullis valdè odioſis & moleſtis, abſque ulla feriarum contemplatione, quas in curia Principis locum habere nolunt. Tranſlationem tractatûs noſtri cum Statibus (1) Imperii ad Reginam mitto. Expectamus autem ut veſtro ſuffragio noſtri labores comprobentur, qui certè non exigui fuere, priuſquam eo res deduci potuit. Opus autem mihi videtur, ut futuro judicio Cameræ, tractatus hicce ritè inſinuetur. Judicem novum ac Aſſeſſores Cæſar nondum de-

(1) *Tractatus noſtri cum Statibus*] Nempe illo tractatu effectum eſt, ut inferior Germania a jure Imperii libera reddita ſit. *V. Vitam N. LVII.*

delegit, (2) ſed id faciet proximis diebus, & Calendis Octobris id judicium rurſus incipiet. Multa ſuper inſtitutione proceſſuum ac ordinatione ejus judicii utiliter hic inſtituta, & in tres libros diſtincta ſunt, quibus Cæſar, Ordineſque Imperii authoritatem Pragmaticæ Sanctionis (3) impertiverunt. Cum Bremenſibus tandem concordatum eſt, ſub ratificatione tamen intra menſis ſpatium tranſmittenda. Obtinui autem ut juri ſuo,

(2) *Cæſar nondùm delegit*] nempe *Viglio* delectum permiſit, poſtquam Ordines Imperii ipſi Cæſari reliquiſſent Cameræ Imperialis Spirenſis inſtaurationem. Ipſe verò tredecim Jurisconſultos ſeu Doctores Cæſari ſuggeſſit, quorum aliqui in ordinarium locum miſſi, alii autem ad triennium dumtaxat adlecti fuêre, quos ſcriptis ad ſingulos epiſtolis, miſſiſque Cæſaris literis ſeu diplomatibus, Spiram ire procuravit; aſſeſſores futuros cum veteribus, qui ad idem judicium revocati ſunt, quòd Cæſar numquam eas, quæ contra hos jactatæ fuerant a Proteſtantibus recuſationes, proteſtationeſque comprobaſſet, ſed potius horum integritatem nova ad id munus cooptatione confirmare voluerit. Addo nomina novorum qui a *Viglio* eo invitati fuerunt, ex *tom. IV. a pag.* 119.

Wigilæus Hundt *Wolfangus Hungerus*	nomine Bavariæ
Andreas Blumenſal *Hieronymus Scburff*	nomine Saxoniæ
Matthæus Neſer - - -	nomine Moguntiæ
Felix Hornung - - - -	nomine Treviris
Gaſpar Koch - - - -	nomine Coloniæ
Bartholomæus Latomus	nomine Circuli Burgundici.
Doctor *Aurelius* - - -	triennalis
Andreas Kebitz *Joachim Minſinger* *Joannes Sichardus* *Gaſpar Cunon*	Et hi videntur fuiſſe triennales.

(3) *Pragmaticæ Sanctionis &c.* Secundùm quam hæc Camera conſtat Senatu & Cancellaria. Qui cognoſcere vult de ejus Officiariis, Judice, Aſſeſſoribus, procuratore & advocato Imperialibus, modo procedendi tam in prima inſtantia, quam in caſu appellationis, conſulat *De Prade hiſt. d'Allemagne chap.* 9. *a pag.* 574. Ipſa porro *Sanctio* exſtat apud *Goldaſt. Conſt. Imp. tom.* 2. *a p.* 242.

ſuo, quod in Dominium Eſenſe prætendebant, ceſſerint, quanquam totum menſem variis allegationibus ei reluctati fuerint. Cæſar bellè valet. *Chantoneius* (4) ex Hiſpania rediit. Archidux (5) decimo octavo die hujus menſis creditur Genuæ navim verſus Hiſpaniam conſcenſurus. Bene vale, Domine Colendiſſime. Auguſtæ 10. Julii anno 1548.

EPISTOLA CXLVII.

Ex Tomo IV. fol. 505.

ANTONIO PERRENOTO EPISCOPO ATREBATENSI.

De perſonis ad Concilium Tridentinum mittendis, & de ſumptibus, judicium ſuum exponit. Subjicitur brevis Commentarius de forma celebrandi Concilii. 1550.

COgitavi ſæpè ac diu de perſonis idoneis ad Concilium mittendis, ac cum pleriſque de eadem re contuli. Verùm tanta hominum eſt penuria, ut me hujus penè Provinciæ noſtræ, quæ olim doctis viris abundare ſolebat, ſuppudeat. Mitto autem Catalogum omnium quos exquirere potui alicujus eſſe nominis & famæ. Sed in eo grege vix invenio quos vobis ſuggeram pro Curiæ uſu. Monachos enim vos velle non puto, & ex Sæcularibus Theologis neſcio quos deligam. Judicio autem nonnullorum, cui & ego meum calculum ſubmittere audebo, magis idonei videntur *Franciſcus Sonnius* (1) Canonicus Trajectenſis, & *Joan-*

(4) *Chantonejus*] Thomas Perenottus, Cardinalis Grandvellani frater.

(5) *Archidux*] Maximilianus, Ferdinandi I. Imp. filius, qui uxorem duxit *Mariam* Caroli V. patrui ſui filiam, ipſe poſtea Imperator ejus nominis II.

(1) *Franciſcus Sonnius*] de quo ad Vitam N. LXXIII. Non adſcripſi epitaphia, quæ exſtant in *Hiſt. Epiſc. Antverp. & in nova edit. bibl. Belg. Val. Andreæ*, quod hi libri obvii ſint. Dicitur hîc Canonicus Trajectenſis, quod de Ultrajecto intellige, ubi in Capitulo Majoris eccleſiæ præbendam habuit.

Joannes Haſletanus, (2) ambo ſacræ Theologiæ Profeſſores. Quorum ille reſedit multos menſes in Concilio Tridentino, miſſus eò per Epiſcopum Tornacenſem: alter in Theologia & linguis feliciter inſtitutus Lovanii diu ſacram Paginam profeſſus eſt. Quidam his adjiciunt *Hermannum a Gouda* (3) Decanum S. Mariæ Trajectenſis: ſed ajunt eum plus ſatis eſſe cerebroſum. Quod autem pertinet ad perſonas ad Concilium deſtinandas, primum locum in his tenent Epiſcopi, qui tam ſuo, quàm Paſtorum eis ſubditorum nomine, ipſi ad Concilium ire tenentur. Qui mihi monendi atque hortandi a Cæſarea Majeſtate videntur, ut dimiſſa Nobilium turba; aſſumant ſecum 3. aut 4. viros in Theologia & Canonibus eximiè doctos. Secundo loco videretur mihi cumprimis convenire, ut Cæſar juberet ex Univerſitate Lovanienſi mitti quoque duos Theologos cum uno Canoniſta. Inter quos eſſet *Ruardus* (4) Cancellarius Univerſitatis, qui in Scripturis Sacris, Doctoribuſque veteribus & novis, omnique materia fidei, hoc noſtro ſæculo controverſa, præ cæteris verſatus eſt. Difficultas autem erit in ſubminiſtrandis ſumptibus, quum Academiæ ærarium ferre eos nequeat. Verùm poſſet Cæſar requirere Abbates & Prælatos Brabantiæ, quo ii pro his tam ſanctis ac neceſſariis impendiis aliquid contribuerent. Tertio loco occurrunt Abbates ac Priores Monaſteriorum non Mendicantium. Conſtant autem ii ferè ex 4. Ordinibus, *S. Benedicti*, *S. Bernardi*, Præmonſtrantenſis, & *S. Auguſtini*. Ac cùm hic poſtremus cæteris ſit tenuior, poſſent ei adjici Carthuſienſes, Vallis Scholarium,

(2) *Joannes Haſletanus*] ſive *Joannes Leonardi* cognomento *Van der Eycken*, Haſſelenſis Eburo, *Haſſelius* dictus. Obiit Tridenti 5. Januarii 1552. *V. Faſt. Acad. Lovan. Bibl. Belg. & Muræum.*

(3) *Hermannum a Gouda*] de quo dixi inter decanos B. Mariæ. Vide *Catal. meum præpoſitor, & decanor. quinq. eccleſ. Ultraject.*

(4) *Ruardus*] Tapperus, Enchuſanus Batavus, S. T. Doctor Lovanienſis, Collegii majoris præſes, decanus S. Petri, ac Cancellarius Univerſitatis, de quo ſatis dici cùm non poſſit, remitto ad *faſt. Acad. Miræum, Biblioth. Belg. ac Sponda num ad an.* 1559. *n.* 35. Obiit 2. Martii 1559. ætat. 71.

larium, ac Canonici Regulares Reformationis Windeſemenſis. Quanquam autem omnes Abbates Mitrati, ratione juramenti quod præſtant in ſuſceptione dignitatis Abbatialis, teneantur adire Concilium Generale, videretur tamen ſufficere, quod ex ſingulis præfatis Ordinibus unus aut duo Abbates ex doctioribus mitterentur: quodque unuſquiſque Ordo ſecum aſſumeret duos Theologos, & unum Canoniſtam, ac ſumptum pro his unuſquiſque Ordo contribueret. Et ne, ut fieri ſolet, deligant aliquos ad hanc provinciam ineptos, vel qui veniant duntaxat ad defendenda privilegia & exemptiones, expedire videretur, ut Cæſar ab eis peteret delectum talium perſonarum ſibi permitti vel ut ipſe aliquos eis nominaret, qui Majeſtati ſuæ cumprimis idonei viderentur. Quinto * loco ſunt quatuor Ordines Mendicantium, qui mihi non videntur a tam ſancto negotio excludendi, quum plerique docti inter eos ſint: & hi ob quotidianum docendi ac concionandi munus controverſarum opinionum ſint peritiores. His verò maximum præbebit impedimentum paupertas. Quamobrem ſi Cæſar juberet his præberi ſumptus ab Monaſteriis Monialium, poſſent & indè quoque aliquot inſignes viri aſſumi, qui ad Concilium mitterentur. Quinto loco occurrunt Præpoſiti & Collegia Canonicorum exempta, quæ Epiſcopis non ſubſunt, neque aliquid contribuunt: & quæ ſolent ferè in Conciliis exemptiones ſuas mordicus proſequi: nec de reformatione Eccleſiæ multum curant. Cùm tamen magnam partem bonorum Eccleſiaſticorum poſſideant, æquitas ac ratio poſtulat, ut & ipſa commune onus ferant. Poſſet fortaſſis his injungi, ut Univerſitatis Lovanienſis Deputatis ſumptus præberent: quò Abbates Brabantiæ ab cæteris non ſepararentur, vel ſi ita videretur, Mendicantibus ſuppetias ferre poſſent. De quibus omnibus Cæſar tempeſtivè mandare poſſet, quid fieri vellet, & Reginæ aut Conſilio Status ſententiam ſuam aperire: quum in tanta capitum multitudine, res non caritura ſit difficultate Conveniret quoque iis omnibus, qui ex Principis authoritate ad Concilium proficiſcentur, caput aliquod dari ab Cæſare, quod eorum actiones dirigat, ac nomine harum provinciarum hæreditariarum, quæ meritò non poſtremum in Concilio locum tenere debent, Legati munus honoremque ſuſtineat. Ad quam

* *lege:* Quarto.

provinciam Cancellarius Ordinis (5) vel *Veltwyckius* noſter (6) vel duo ſimul non inidonei mihi viderentur, ſi eorum opera hic carere poſſemus. Verùm de his omnibus Reverendiſſima D. V. melius judicabit. Quæ ſi quid amplius de ipſis a me requiret, pro mei ingenii parvitate lubens in omnibus obſequar. Deus D. V. incolumem conſervet. Datum Bruxellæ 8. Februarii anno 1550.

1. Forma celebrandi Concilii ex antea celebratis accipienda erit. Et quo minus habeant Hæretici quod carpant, optimum erit, eam confirmare potius antiquis, quàm noviſſimis. Hæc eſſe debet Pontificis & Cardinalium ſolicitudo: qui in hoc Prælatis aliis ad Concilium venturis viam commonſtrare debebunt.

2. Antiquiſſima Concilia ex Epiſcoporum & Eccleſiaſticorum conſtabant congregatione: quibus Imperatores veteres ſuum favorem promotionemque impertiri conſueverunt. Eorumque ante omnes Reges & Principes Sæculares prima fuit authoritas. Ut ſicut Romanus Epiſcopus omnium Eccleſiarum Primas cenſetur, ſic & Rex ſive Imperator Romanorum in ſuo ordine eadem authoritate perfulgeat.

3. Hæretici conantur authoritatem congregandi Concilii ab Papa ad Imperatorem, & ab Eccleſia ad Secularem poteſtatem transferre. Sed nec jure ſatis fundata eſt eorum intentio, nec de facto ſubſiſtere poterit: cùm Imperii authoritas ad duas tantum nationes reſtricta ſit, Italicam & Germanicam. Nec in hoc Hiſpanica, Gallica, Anglicana, Hungarica, Polonica, ac Septentrionalium Regnorum nationes Imperatorum ſeſe volent ſubjicere juriſdictioni, & Germanicæ nationi hujuſmodi concedere prærogativam.

4. De veterum Conciliorum origine, celebratione, ac authori-

(5) *Cancellarius Ordinis*] Philippus Nigri. V. Not. ad Vitam N. LXXX.

(6) *Veltwyckius noſter*] V. ſup. ad Epiſt. datam 20. Aprilis 1543.

thoritate habetur 15. 16. 17. & ſequentibus *diſtinctionibus* in Decretis.

5. Memini etiam in Conciliis Panormitani de celebratione Concilii ample tractari, & ſunt aliquot eadem de re opuſcula inter tomos Tractatuum juris.

6. Officium Imperatoris eſt ut exigente neceſſitate Eccleſiæ unionem promoveat. Id quum veteres Principes piè fecerint, tum noviſſimè ſummum fuit in Conſtantienſis Baſileenſisque Concilii congregatione ſtudium *Sigiſmundi* Imp. ac tum quidem ſumma difficultas ex Pontificum ac Eccleſiaſticorum oriebatur diſſenſione: nunc id conandum videtur, ut contra Sæcularium Principum poteſtatumque, quibus Hæretici adhærent, conatus in opprimenda Eccleſiæ authoritate, per Cæſaream Majeſtatem cæteroſque pios ac Orthodoxos Reges provideatur. Eſt enim Cæſaris officium, promovere primò Concilium, ut id legitimè oportunoque loco congregetur. In quo ſuo jam officio Majeſtas ſua perampliè functa eſt. Deinde ut tutò poſſint ex omnibus locis, qui Concilio intereſſe debent, eoque vocati ſunt, eo pervenire. Item ut tutò ibi manere queant, cùm Cæſar ſit Concilii ſupremus protector. Quanquam ſoliti ſunt conſtitui etiam de Concilii authoritate ſpeciales alii protectores: quibus ſolet committi juriſdictio in caſibus qui ſolent exoriri ſuper cauſarum criminalium & civilium cognitione. Item ut ſuggerat Concilio ea, quæ conſultationem Patrum requirere videntur pro unitate & concordia Reipublicæ Chriſtianæ. Item ut poſtea legitimè decreta exequatur.

Quod ſi autem Cæſarea Majeſtas ad Concilii initium perſonaliter adeſſe nequeat, poterit tamen eo Legatum mittere, qui ea repetat continuetque, quæ per Reverendiſſimum Epiſcopum Atrebatenſem (7) anno 1543. 9. Januarii coram Deputa-

(7) *Quæ per Reverendiſſ. Epiſcopum. Atrebatenſem &c.*] Is ipſus eſt ad quem hanc epiſtolam & hunc de forma celebrandi Concilii Commentarium mittit, quem ideo cenſeo ab alio conſcriptum, & a *Viglio* adoptatum, fuiſſe.

putatis ab Pontifice Cardinalibus propoſita ſunt. Excuſabatur ibi Cæſar ac Prælati ſubditi, quod ob belli impedimentum venire non poſſent: promittebaturque eorum adventus ſi tempora paterentur. Nunc bello ſedato, ſi non tam tempeſtivè venerint, cauſæ dilationis exponi poterunt, promittique Majeſtatis ſuæ ſtudium tam in excitandis Prælatis ſuis eorumque officio & obſequio in Concilii optatum fructum, quàm etiam in aliis, quæ Majeſtatis ſuæ partes concernunt.

Ex Tomo IV. fol. 510.

EPISTOLA CXLVIII.

EPISCOPO ATREBATENSI.

1550. *De itinere Reginarum in Cliviam. De Cæſaris Edicto contra Sectas a ſe mitigato. De Inquiſitione, aliiſque quæ Edicto objiciuntur. Qui cauſam Edicto dederint. Severa ſibi conſilia numquam placuerunt.*

REverendiſſime ac Colendiſſime Domine, nos heri Cliviam appulimus. Occurrit Reginis (1) Dux ad tria miliaria, venationemque in via Dux exhibuit. Sub idem tempus advenit Colonienſis (2) ac Comitiſſa Palatina cum numeroſo puellarum choro. Noſtrum autem comitatum honorarunt Comes *ab Roeulx*, *ab Ligne*, *ab Hoochſtraten*, & *ab Aremberga*. Archiepiſcopum nondum ſalutavi. De Burgundico negotio cum eo agam qua potero ſolertia. Regina ad Cæſarem ſcribit de Linchampio in manus Gallorum tradito: ac

(1) *Reginis*] *Mariæ* Hungariæ viduæ Belgii Gugernatrici, & *Eleonoræ* Franciæ viduæ, ſororibus *Caroli* V. occurrit Dux Clivenſis; qui recte venationem exhibuit *Mariæ*, quæ Venatrix vulgò appellabatur, habituque Venatricis expicta fuit, ut teſtatur *Strada lib.* 1. *dec.* 1. *ad an.* 1530.

(2) *Colonienſis*] Archiepiſcopus Elector, *Adolphus de Schouwenburch*, de quo aliàs.

ac litteris Domini *Pratenſis* monita, indicat Antverpienſium formidinem ob novum ſeu potius renovatum edictum adverſus ſectas: ac Turnhouti *Maſius* Penſionarius (3) longa atque acri oratione in id invectus eſt. Invidia autem omnis in me vertitur. Si quid diſplicet, jubeor reddere rationem. Quod ſanè tanto æquius ſuſtineo, quod nihil in hoc edicto additum ſit, niſi cum Conſilii deliberatione, & Cæſaris authoritate. Multaque ut meminit Reverendiſſima D. V. a me mitigata ſunt: ac nonnulla cupiviſſem ipſe Cæſar moderatus fuiſſet: ſed id perſuaderi Majeſtati ſuæ nequivit. Queruntur autem inprimis, a nobis novam inductam inquiſitionem, quam vocant Hiſpanicam. Quod falſò populo a quibuſdam perſuadetur, ut nomine ipſo rem odioſam reddant, cùm nulla alia ab Cæſare ſit inſtituta inquiſitio, quam ea, quæ cum jure ſcripto ſcilicet Canonico, convenit, & uſitata antea fuit in hac Provincia, juxta ſedis Apoſtolicæ Bullas & commiſſiones. Et ne ea poteſtate inquiſitores, aliter quàm convenit, uti poſſent, inſtructio ipſis ab Cæſare data eſt. Quæ & ipſa in invidiam trahitur, quaſi ea ſcilicet Hiſpanicum virus (ut nonnulli loquuntur) contineat. Unde *Maſius* illam quoque publicari deſideravit, quo paſſim ſciri poſſit, quidnam cuique ab inquiſitoribus ſit metuendum. Quod tamen Reginæ convenire non eſt viſum, arbitratæ ſufficere, ſi ejus copia Conſiliis fieret, ad quæ exempla jam pridem tranſmiſſa ſunt. Aliud quoque caput edicti valdè exaggerant, quo prohibentur in hac Provincia reſidere ac habitare homines ignoti, niſi adferant documentum prioris vitæ ac converſationis. Clamant id exteris eſſe graviſſimum: & pleroſque originem ducere ex locis infectis: quos tamen hactenus non

(3) *Maſius penſionarius*] Jacobus, Antverpienſis, filius *Joannis & Gommarinæ Van Merle*, multis annis fuit primarius ſyndicus, ſive conſiliarius penſionarius, ut loquimur, Civitatis Antverpienſis, qui nomine Ordinum longam prolixamque orationem habuit ad Cæſarem *Carolum* V. cùm anno 1555. regna ſua omnia transferret in *Philippum* filium; cujus ſummam refert *Pont. Heut. rer. Auſtr. lib.* 14. *cap.* 2. An. 1556. receptus eſt ſenator in ſupremo Brabantiæ Conſilio. De ejus præclara prole dixi ad *Epiſt. XCVII. Viglii ad Hopper.*

non ſolùm Cæſar toleravit: ſed bello quoque proximo *Smalkaldico* ſecuritas eiſdem data fuit. Porro de iis qui ad mercatum in hanc noſtram Provinciam veniunt, nunquam inquiſitum fuit, quam Religionem profiterentur. Verùm in Hollandiam nonnulli Anabaptiſtæ ac Sacramentarii habitatum venientes, cauſam edicto dederunt. Et mihi ſanè non malè convenire videtur, ut ſciamus conditionem eorum qui nobiscum habitant: quam ubique tamen ad Curatorum (4) certificationem adſtringendam non arbitror, ſi modo aliundè cognoſci poterit novi incolæ qualitas. Permittere autem paſſim omnibus, ut hic vivant in ea Religione qua velint, absque ulla indagatione, mihi non ad Hæreſum extirpationem, ſed plantationem potius pertinere videtur. Faciet tamen Cæſarea Majeſtas id quod convenire videbitur. Quod ad me attinet, R. D. V. quæ mearum actionum teſtis eſt, ita ſpero totam hanc rem diriget, ne mihi quicquam immerito imputetur. Severa nimis ac acerba conſilia mihi nunquam placuerunt. Quoad autem potui, mitigavi, quæ mitiganda videbantur. Quod ſi Cæſari in quibuſdam aliter viſum fuit, non meum eſt Majeſtatis ſuæ voluntati obſiſtere. Multa autem quidam nunc cavillantur, quæ jam per viginti annos prioribus edictis fuere expreſſa. Quorum meritò ratio ab authoribus, non a me expectanda eſt. Prolixius hac de re ad R. D. V. ſcribo, quo animum meum nonnullorum calumniis cavillationibuſque commotum exonerem. De reliquis poſt ſcribam: nunc non licuit, in quotidianis diverſorum interpellationibus. Benè vale, Domine Obſervandiſſime. Cliviæ 16. Julii anno 1550.

Ex Tomo IV. fol. 512. vſo.

EPISTOLA CXLIX.

ENGELBERTO CANCELLARIO BRABANTIÆ (1).

1550. *De difficultatibus motis in renovando Edicto contra hære-*

(4) *Curatorum*] ſeu, parochorum.

(1) *Engelberto Cancellario Brabantiæ*] cognomento *van Daele*, qui fuit Eques, toparcha de Leefdael, & de Wildre, & uxorem

hæreſes. Quæ ratio obſervata; quæ mitigatio adhibita. Fruſtra cupivit Edicti formam Conſiliis antea examinandam dari.

IN edicto contra Hæreſes renovando difficile nobis negotium cum ipſomet Cæſare fuit, confeſſore qui diſceſſit, aliiſque nonnullis pleraque ſuggerentibus, quæ nimium nobis acerba exorbitantiaque videbantur cùm in illis ipſis quæ antea fuiſſent edita, a multis bonis viris juſtitiæque amatoribus moderamen aliquod deſideraretur, ſuadentibus ut pro modo transgreſſionis pœna ſtatueretur. Sed alii uno eodemque jure omnia perfundentes, adverſus omnes rationes noſtras id unum allegabant, gravitate pœnarum abſterrendos homines, ut ab hoc

rem habuit *Franciſcam de Sauvaige*. Ambo tumulati ſunt in eccleſia S. Gudulæ Bruxellis cum epitaphio quod ſubjicio ex *Butkens Troph. de Brabant tom. 2. p. 370.*

D. O. M.

Eruditione juxta ac nobilitate præclaro

D. ENGELBERTO VAN DAELE

Equiti aurato
Qui cùm aliquamdiu in ſupremo Senatu Mechlinienſi
Cæſari fuiſſet a Conſiliis;
Ac demum ſecedim annis
Brabantiæ Cancellarius,
Annos natus ſexaginta,
Summo relicto ſui deſiderio
Obiit 21. Decembris anno redemptionis humanæ 1556.

FRANCISCA SILVAGIA

Conjugi amantiſſimo poſuit
Cui ipſa poſtmodum hoc in loco contumulari voluit.
Obiit autem anno 1572. die 28. menſis Januarii.
Quarteria:
Van den Daele, Kets, Van den Broeck, Wyngaerden,
Sauvaige, Boulogne, Ognies, Herines.

hoc Hæreſum inquinamento quaſi ſeditionum fomite caveant. Unde in multis apud Cæſarem illorum prævaluit ſententia, exemplo potiſſimum accepto ex prioribus edictis, quorum præjudicium, æquius humaniuſque ſentientium opinionibus, inprimis obſtabat, cùm difficile ſit Principes ab eo revocare, quod ſemel perſuaſum habuerunt. Tertium autem articulum quidam Cæſari ſuggeſſêre ex edicto per Regem Francorum contra Hæreſes edito. Ubi ſimplex error, ac non obſtinata ac malitioſa voluntas ab extremo Hæreſis gradu diſtinguitur. Etſi enim in utroque caſu ſit dolus, excuſatior tamen eſt in uno, quàm in altero. Cum plerumque contingat, mulierculas alioſque imbecillioris judicii homines, levibus perſuaſionibus in opiniones quasdam induci Hæreſim ſapientes: ut Confeſſionem contemnant, Miſſas negligant, & alia hujusmodi: qui tamen poſtea ſaniora monſtrantibus non gravatè cedunt. Hos nonnulli judices, in rigorem edictorum priorum incidiſſe arbitrati, ad pœnas antea rapiebant. Verùm viſum fuit aliquatenus id mitigare, relinquendo in hujusmodi errore judicium foro Eccleſiaſtico, Pœnitentiam admittenti. Sic tamen ut deinceps ab eodem fermento abſtineant, ſub elapſi * pœna, quæ & prioribus edictis de Hæreſi ſemel convictis imponebatur. Quod pertinet autem ad verbum interpretandi, id ad meliorem declarationem intentionis Cæſareæ Majeſtatis D. V. per Secretarios adſcribi curare poterit. Quod ſi Cæſar paſſus fuiſſet, novi iſtius edicti formam Conſiliis antea examinandam tradere: cum plurium ſatisfactione in publicum emitti potuiſſet. Idque ſanè ego cumprimis deſiderabam. Verùm cùm ſecus Majeſtati ſuæ placuerit, danda nobis eſt unà opera, ut ab ipſo ſtatuta moderate exequamur. Benè vale, Domine cumprimis honorande. Ex Clivia 16. Julii anno 1550.

* *Lege*: relapſi.

EPI-

EPISTOLA CL.

Ex Tomo IV. fol. 514.

EPISCOPO ATREBATENSI.

Reſcribit quid reſpondendum videatur Trevirenſibus ſuper controverſia Luxemburgenſi, quæ per tractatum Auguſtanum anni 1548. *dirempta fuit.* 1550.

REverendiſſime ac obſervandiſſime Domine. In gravi negotiorum mole, quæ nobis hic ſub Reginæ diſceſſum affluunt, ad poſtremas R. D. V. paucis duntaxat reſpondebo. Ab Luxemburgenſi ſenatu adhuc expectamus reſponſum in cauſa Abbatiæ *S. Maximini*, quod tamen brevi adfore ſpero, cùm jampridem a me ſecundæ juſſionis litteræ eo ſint miſſæ. Treverenſes verò antiquum obſervant, qui iſtum illic ſcrupulum movent, de cognitione violatæ pacis. In quo ſanè cùm tractaremus cum Statibus anno 1548. potiſſima tunc verſabatur difficultas. Sed favente numine negotium hoc ſatis feliciter tunc fuit tranſactum. Ut videlicet de pace a ſubditis (uti prætendi poſſet) violata, judex utrobique rei ac conventi cognitionem haberet, quod tractatus ipſius verba expreſſè indicant. At contra ipſummet Principem ac Dominum harum terrarum, cui violatio pacis ab aliquo intentari poſſet, uti non eſt Imperiali Cameræ, aut alicui alii attributa cognitio: ita quoque non tradita per eumdem tractatum forma, quomodo talis controverſia debeat aut poſſit diffiniri. Ac videri quidem prima facie poteſt, eſſe quædam inæqualitas: dum nos contra Imperiales, ſi pacem adverſus nos violent, judicem habemus, coram quo eos accuſare poſſimus: ipſi contra nos non itidem. At ratio differentiæ in promptu eſt, cùm illi recognoſcant ſuperiorem aliter, quàm nos. Atqui termini poſſent videri magis pares, ſi de ipſo Imperatore loqueremur quis ejus judex eſſe debeat, ſi eum contingeret aliquando pacem violare contra Principem ac Dominum harum terrarum, poſito ſcilicet caſu, quod alius eſſet Imperator, quàm harum terrarum Dominus. Eo verò Imperium obtinente, abſurdius

eſt quærere, an ratione hujus Provinciæ poſſit contra ipſum reddi violatæ pacis judicium. Quod ſi verò regentes ac officiati Majeſtatis ſuæ, pacem violaſſe adverſùs aliquem dicentur, certè juxta verba ac mentem tractatus Anguſtenſis, relinquenda videtur Majeſtati ſuæ cognitio. Verùm fortaſſis Cæſareæ Majeſtati non placebit hanc materiam tam profunde cum Statibus diſputare: neque mihi quidem opus eſſe videtur. Sed ſatius conſultiuſque exiſtimo ut, ſi tale aliquid proponatur, quale R. D. V. ſcribit, reſpondeatur: tractatum ſatis clare diſponere, cui cognitio in cauſa violatæ pacis debeat competere. Quod ſi quis prætendat injuriam ſibi illatam, vel pacem violatam a ſubditis ſeu Officiatis Majeſtatis ſuæ, Majeſtatem ſuam curaturam deſuper adminiſtrari juſtitiam per ſua judicia & conſilia Provinciæ hujus Belgicæ: uti ab omni ævo fieri conſuetum eſt: vel pro cauſæ qualitate, ſi ita requiretur, ſeipſam cognituram. Non arbitrari autem dediſſe ipſummet Cæſarem alicui vicino cauſam conquerendi, ut jamprimum illud velint in dubium trahere, ubi Majeſtas ſua, tamquam Dominus harum terrarum, juri ſtare teneatur. Et habere quidem Majeſtatem ſuam ratione præfatarum terrarum, concordata ferè cum omnibus vicinis, juxta quæ ejuſmodi controverſiæ debeant, ac ſoleant determinari: quæ quidem citra ipſorum Statuum hujus Provinciæ conſenſum alterari nequeunt. Nec poſſe citra eorum ſcitum & voluntatem, ſe ſucceſſoreſque ſuos alicui juriſdictioni ſubjicere, cui antea non fuerunt harum terrarum Domini ſubjecti. Debereque meritò Status Imperii contentos eſſe iis, quæ per ipſoſmet tractata & concluſa fuere anno 1548. quæ cùm poſtea etiam ab Statibus harum terrarum ſint ratificata, non convenire, ut ſine illis aliquid in eis mutetur. Nec mutari ſanè ij conſentient, niſi Majeſtas ſua ipſamet coram illis cauſas ſufficientes exponat: quod nunc difficile factu eſt. Hæc quidem mihi impræſentiarum circa iſtam quæſtionem reſpondenda occurrunt. Sed cùm negotium ſit tanti momenti, R. D. V. peritiorum quoque conſilium & ſententiam requirere poterit: & ipſamet unà cum Illuſtri Domino Genitore meliora Cæſareæ Majeſtati ſuper hac difficultate ſuggerere, conſulereque poterit, quàm mei ingenii parvitas capiat. Benè vale, Domine Reverendiſſime. Ex Bruxella anno 1550.

EPI-

EPISTOLA CLI.

Ex Tomo IV. fol. 518.

JOANNI MEPSCHIO (1).

Scribit de bello Germanico Cæsarem inter & Henricum Galliarum Regem, junctо sibi Mauritio Saxone. Joannem in Germania subsistere jubet. 1551.

ACcepi, mi *Mepschi*, litteras tuas. Quæ autem abs te nobis per eas nuntiata sunt, aliorum quoque litteris confirmantur. (2) Videmus quidem omnia ad ruinam Imperii tendere, dolemusque vicem Germaniæ. Sumus verò & hic solliciti, ne hæc tempestas aliquando se contra nos vertat: cùm jam urbs Mediomatricum Gallos admiserit, iidemque Theonis Villæ obsidionem minitentur. Hoc autem nos consolatur, quod omninò decretum est nostris, non tam turpiter sese dedere, quemadmodum plerique isthic faciunt. Collocata autem sunt in primoribus urbibus Luxemburgensis Ducatus præsidia: ac plerique proceres nostri eis sese adjunxerunt, qui usque ad extremum spiritum eas defendere constituerunt. Cæsar nescio quo consilio aut fato adductus, excitari nequivit, ut maturè arma corriperet. Sed quanto lentior tanto gravior solet esse potentium vindicta. Nam si credunt isti conjurati, se ob nonnullarum urbium deditio-

(1) *Joanni Mepschio*] Is ex patricia familia cùm primis honesta, filius viri locupletis & primarii Consulis urbis Groningæ, quæ Frisiæ metropolis est (*tom. 4. fol.* 383. *vso.*) amissa matre, an. 1541. in Germaniam profectus, ut fortunam sibi faceret, quòd pater novem liberos superstites haberet, *Viglio* adhæsit Ingolstadii, a quo aliquot ingenuorum adolescentium institutioni præfectus fuit. Nunc videtur a *Viglio*, jam præside, exploratoris officio adhibitus. Patrem verò anno 1554. ad Cancellariatum Transisulaniæ, ubi novus constitutus fuerat senatus, promovere voluit, uti scribit *sup. fol.* 552. *vso.*

(2) Hæc respiciunt bellum Germanicum, de quo videndi historici. Inter Belgas *Pont. Heuter.* inter Gallos *Spondanus.*

ditionem ac temporalem populi applauſum viciſſe, valdè uti ſpero fallemur. Plerique autem nobis nuntiant, propoſuiſſe Gallos Spiram quoque ac Wormatiam in ſuam poteſtatem redigere: quod ſi fiet, ſentient earum civitatum incolæ, quantum inter Cæſaris ac Galli Imperium interſit. Te autem iſthic cupit ſubſiſtere Regina, quamdiu tutò licebit, & quouſque annunciando nobis ea quæ iſthic aguntur officium liberè præſtare poteris. Scripſeram tibi proxime de vicina aliqua urbe adeunda: ſed poſtea cogitavi ſatius fore, ut Aletzen, aut Crutzenachum concedas: ubi in propinquo habes poſtas, & undè facilè queas Confluentiam te, ſi opus eſt, proripere. Nec de equis debes eſſe ſollicitus, cùm Poſtarios ad manum habeas. Quod ſi autem Spirâ in aliquem ex prædictis locis conceſſeris, fac ibi aliquem relinquas, qui rerum ſtatum ad te poſſit perſcribere. Et quum nonnulli ex Aſſeſſoribus in vicina loca fortè ſeceſſuri ſint, cura ut illorum litteris de iis quæ ipſi cognoverint, poſſis ſubindè certior reddi. Salaria veſtra vereor ne in periculum vocentur. Etſi autem cæteri Status non præſtabunt fortaſſis quod debent, ego tamen videbo, ſi impetrare potero, ut id quod hæc Provincia contribuere ſolet, quamdiu Reginæ juſſa ſequeris, tibi perſolvatur. Vale. 15. Aprilis 1551.

Ex Tomo IV. fol. 519. vſo.

EPISTOLA CLII.

JUSTO VELSIO (1).

1551. *Non excuſandum dicit apud Velſium, ſilentium ſuum. Gaudet illum mutaſſe ſedem. Non eſt ſibi otium ut Ariſtotelem legat, aut Simplicii in eum categorias, ſibi per Velſium nuncupatas.*

QUæ cauſa fuerit, Doctiſſime *Velſi*, ut ad tam multas tuas litteras, cùm inſignis tuæ eruditionis, tum priſtinæ benevolentiæ, quæ inter nos ab ineunte ætate exordium

(1) *Juſto Velſio*] vulgò *Welſens*; Erat Hagæcomitanus Batavus, doctor Medicus Lovanienſis. Is „Lovanio profugus, „ metu

dium ſumpſit, luculentas teſtes, tanto tempore nihil reſponderim, neq in iſto amicitiæ officio paria tecum fecerim, haud arbitror nunc explicatu opus eſſe. (2) Acceſſerunt autem deindè publici hujus muneris occupationes graviſſimæ, quæ me ſibi totum vindicant. Verùmtamen cùm nuper litterario munere me provocaveris, & epiſtolium unà a me tantopere exegeris, citra quandam ingratitudinis notam, reſcribendi officium longius differre non potui, Gaviſus autem ſum inprimis, te mutato relictoque loco (3) qui ob Religionis controverſias noſtris hominibus ſuſpectum te reddidit, feliciorem melioriſque nominis muſarum tuarum ſedem tibi delegiſſe. Nec dubito quin cum tempore, ſi ibi perſiſtas, haud minora percepturus ſis emolumenta, quàm ſi ad has noſtras obi-

„ metu inquiſitionis, ob novorum dogmatum, quæ tunc in„ valeſcere cœperant, ſuſpicionem, deflexit ad Argentinen„ ſes, ûbi azylum hæretici habebant: indeque Coloniam ve„ nit, perſuadens, quòd religionis cauſa Argentoratum deſe„ ruiſſet, ubi in philoſophica profeſſione Græcam Latinamque „ conjunxit linguam, ad id muneris a ſenatorio illius urbis „ ordine aſſumptus." inquit *Val. Andr. in bibl. Belg.* Specialiter ejus mores ac ingenium expreſſit *Andr. Schurius in faſcic. epiſt. pag.* 362. „ Doctor *Juſtus Velſius*, ut narrat *G. Brandtius* Hi„ ſtoriæ ſuæ lib. 12. ad an. 1578. præcipuas quaſdam Hol„ landiæ urbes concionando pervagatus, velut a Deo miſſus „ ad reformandum orbem terrarum, etiam prodigia, quibus „ ſua dogmata ſtabiliret, pollicebatur: quumquæ cæco lumen, „ claudo greſſum reddere fruſtra tentaſſet, negati ſucceſſus „ cauſam in ipſorum retulit incredulitatem. Proceres Bata„ volugdunenſes, qui eum urbe exegerant, Satanæ tradidit, „ literis ad eos datis, quas in hunc ſubſcripſit modum: *Juſti „ vivorum & mortuorum judicis Jeſu Chriſti, cui data eſt omnis „ poteſtas in cælo & in terra, vocatus ſervus, Juſtus Velſius Ha„ ganus.*"

(2) *Haud arbitror nunc explicatu opus eſſe.*] Nempe ſenſit *Velſius*, quo loco ob dubiam religionis fidem, apud *Viglium* eſſet, qui fanaticum hominem noverat. V. inf. Epiſt. CLXV. ad *Horſtium* datam 16. Jan. 1556. Et aliam ipſius *Velſii* ad *Viglium* 1. April 1566. De ejus fanatiſmo refert *Borrius lib.* 13. *fol.* 81. *vſo. & ſeqq.* nempe primæ editionis qua utor.

(3) *Mutato relictoque loco*] Argentorato relicto, Coloniam migrarat, ut vidimus ex *Val. Andr.*

obitiones immaturius redeas. Quamobrem in hac recenti adhuc rerum præteritarum memoria, consultum mihi videtur, ut isthic te adhuc aliquamdiu contineas, donec id quod amici de tua innocentia sentiunt, idem aliis nonnullis malevolis tempus ipsum persuadeat. Utinam verò ita essem beatus, ut *Aristotelis* similiumque auctorum lectioni aliquid mihi temporis impertiri liceret, tuorumque operum fructu potiri possem. Verùm eam mihi felicitatem seu mea invidere fata, seu studiorum ratio ac institutio eripuit, quæ ab juris disciplina ad publicarum actionum pistrinum me jampridem extrusit. Nec tamen ideo minus mihi gratum fuit studium tuum, quo me dignum judicasti cujus nomen *Simplicii* Commentariis (4) abs te editis præponeretur. Et dabitur, uti spero, aliquando occasio, ut pro eo beneficio tibi tuisve gratias uti cupio referre possim. Benè vale. Ex Bruxella 24. Junii 1551.

Ex Tomo IV. fol. 522.

EPISTOLA CLIII.

SIMONI PISTORIO JURECONSULTO (1).

1551. *Contra sententiam Imperialis Consilii frustra niti, & post revisionem non licere rursus decertare, rescribit.*

GAudeo, Clarissime *Pistori*, te nobis adhuc salvum superesse, & juxta *Martialis* sententiam, beatè vivere ac valere. Meum autem longè aliud est fatum: quippe qui totus publicis immersus negotiis, otioque litterario privatus;

(4) *Simplicii Commentariis*] Ad Simplicium in Categorias Aristotelis, Græce editas, præfatus est ad *Viglium Zuichemum* præsidem, inquit *Val. Andr.*

(1) *Simoni Pistorio Jureconsulto*] Is Cancellarius quondam *Georgii* Ducis Saxoniæ, Lipsiæ non sine laude docuit, & post principis mortem, invitatus ad primariam cathedram Juris Canonici in Academia Ingolstadiensi, ubi *Viglius* profitebatur, maluit Lipsiam reverti. *Tom.* 3. *p.* 143. 156. & 157.

tus, ſtudia prioris ætatis penè pro derelicto habere cogar. Ac jam pridem quidem ab Aula Imperiali ſegregatus, de ſententiis ibi latis rationem reddere nequeo. Sed ut etiam judicio aſſediſſem, non tamen convenire arbitrarer, ut privatim cauſarum Patronos admonerem, ſicubi (uti tu ſcribis) defeciſſent. Quanquam enim tua humanitas modeſtius id fortaſſis ferret: ea tamen ſunt ferè hominum ingenia, ut a ſuis opinionibus ægrè ſe avelli ſinant. Nec ſapientis eſſe judicia dicitur, judicii ſui motum antè ſententiam partibus pandere: uti nec poſt rem judic. de ejus meritis cum ipſis contendere, ſuamque quaſi litem facere. Et quanquam ego de cauſa iſthac noviſſimè Auguſtæ terminata non cognoverim, temerarium tamen videri poſſet, poſt Imperialem ſententiam, me eam velle telam retexere, meamque interponere cenſuram. Nec ſanè ut id maximè vellem, otium ad id ſuppeteret. Quamobrem tibi tui reſponſi exemplum remitto. Quod verò à me ſcire poſtulas, an ulla via poſt reviſionem ad παλινδικίαν pateat: ego certè exempli nullius memini. Nec Imperatorum *Veri* & *Antonini* abs te allegata authoritas, juxta communem intellectum, ei ſuffragari videtur. Nullus certè foret litium finis, ſi perpetuo liceret παλινδικεῖν. Vale, mi *Piſtori*: ac otio quod tibi Deus conceſſit, in longam ſenectam feliciter fruere. Datum Bruxellæ 1551.

EPISTOLA CLIV.

Ex Tomo IV. fol. 531.

HADRIANO MARIO.

De redimendis quibuſdam dominiis, & quatenus id Principi liceat. Marium Cancellarium Geldriæ commonefacit officii ſui. 1552.

MIramur *Craneveldii* veſtri prudentiam, qui rem incerto duntaxat rumore auditam, & tanti, ut iſthic a vobis perpenditur, momenti, in vulgus ſparſerit. Scio equidem jampridem ſtatutum eſſe, ut dominia ea, quorum tuæ litte-

ræ meminerunt, redimerentur, quod & de aliis in Geldria, Brabantia, cæteriſque fit Provinciis, quatenus ſe ærarii rationes extendunt. Quod autem Brabantiæ ſint applicanda, mihi quidem cognitum non eſt. Et quanquam jam aliquot ſeculis, litteris *jocundi* ut vocant, *Introitûs*, a Brabantinis ſit id petitum, adjecta tamen fuit nuper in Principis receptione limitatio, quatenus ſcilicet id jure Majeſtas ſua facere poterit. Quod quidem non aliter, quàm partibus auditis fieri debere, intelligi debet, quamobrem inanem vobis iſthic metum *Craneveldius* excitavit. Nec ſanè is poſſeſſori prodeſſe debet, quo videlicet hoc prætextu pignus illi relinquatur. Scribit rurſus ad vos noſter Senatus, cupitque ut negotia veſtræ Provinciæ cum Duce Clivenſi controverſa, iſthic excutiantur, nec ea in nos exoneretis, cum hic multitudine aliorum negotiorum obruamur. Et in iis, ut te amanter ac familiariter admoneam, tuam noſtri diligentiam requirunt, quam in ſimilibus *Sasboutius* præſtare eſt ſolitus. Et quanquam iſthic Manbournum habetis, attamen in iis quæ ad Principis vel communis Provinciæ jura ſpectant, conſilium ac inſtructio a vobis proficiſci debet, nec ad Curiam ea rejici debent, niſi poſtquam ea a vobis plenè diſcuſſa ac examinata ſunt, ut tum demum Reginæ authoritate confirmentur. Vale, & conjugi honeſtiſſimæ multam a me ſalutem. Ex Bruxella 14. Aprilis anno 1552.

EPISTOLA XLV.

Ex Tomo IV. fol. 532. vſo.

HIPPOLITO PERSYNO PRÆSIDI SENATUS FRISIÆ (1).

1552.

De præparatoriis ut Friſiæ ſuccurratur. De Gallis e Germania retractis. De Mauritii Saxonis expeditione adverſus Cæſarem, ac de tractatu pacis apud Paſſavium inſtituto.

LItteras quas per hunc tabellarium ad Reginam dediſtis, accepimus Bruxellæ, jam ad iter accincti. Itaque neceſſariò

(1) *Hippolito Perſyno præſ. Sen. Friſ.*] de quo *Suffrid. Petri in append. ad Hedam pag.* 2. hæc ſcribit: „Everardo (*Nicolai*) Bruxel-

ſariò dilata fuit reſponſio, donec huc veniremus. Neque tamen hic aliud ſuper eo conſtitui hactenus potuit, quàm quod claſſe noſtra verſus Hiſpaniam nuper digreſſa, & (uti intelligimus) feliciter Gallicis littoribus, in quibus erat periculum, perlectis: juſſerit Regina, ut *Bevrienſis* quatuor ſigna Peditum conſcriberet, qui ad oræ maritimæ cuſtodiam poſſint diſponi. Ad hæc *D. Sceppero* injunctum eſt munus conſultandi cum peritis rei maritimæ, quonam pacto noſtra littora contra Gallorum rapinas injuriasque defendi queant. Brevi quoque ad vos ipſe Comes *ab Arenberg* veniet, qui coram diſpicere poterit, an aliquod remedium peculiariter Friſiæ adhiberi queat. Cùm autem hoc tempore non viderem Reginam aliud conſtituturam, non volui hunc tabellarium longius detinere. Gallus, qui in Germaniam ad Rhenum uſque fuerat progreſſus, cum magna Germanorum conſternatione ac verecundia ab noſtro exercitu, qui interea Galliam depopulari cœpit, domum retractus eſt, tentaturus fortaſſe in confinibus Ducatus Luxemburgenſis ſi quid vi occupare queat. Interea verò Dux *Mauritius* Alpium fauces ad Clauſam Erembergenſem oppugnans, eis potitus eſt, & Cæſar cum Rege Romanorum in tutum conceſſit. Et quanquam pactis induciis quatuordecim dierum, qui 26. Martii cœpere, de componendis controverſiis apud Pataviam urbem ad Danubium ſitam tractetur: nos tamen haud magnam ſpem concipere de concordia poſſumus: Cæſar autem paſſim in Germania equitem peditemque conſcribit. Nec video his malis finem poſſe imponi, niſi ut ipſe omnes vires ſuas ſemel explicet. Quod ut feliciter faciat Deus nobis orandus eſt. Vale, Domine & Amice cumprimis honorande. Datum ex Namurco 4. Junii anno 1552.

„ Bruxellas vocato, ſucceſſit doctor *Hippolytus Perſinus*, cujus „ & ipſius integritatem teſtatur in melius ac majus grada„ tim facta promotio, qui primùm ex Hagenſi conſiſtorio „ Præſes Friſiæ, & inde Præſes Ditionis Ultrajectinæ factus „ eſt." Obiit Ultrajecti anno 1568. V. *Van Leeuwen Bat. illuſtr. pag.* 1262. *col.* 1. *Et Groot Plac. B. Van Utrecht* 2. *deel. bl.* 1048.

EPISTOLA CLVI.

Ex Tomo IV. fol. 542. vſo.

HIPPOLYTO PERSYNO PRÆSIDI FRISIÆ.

1553. *Narrat expugnationem urbis Terouannæ.*

REginæ litteris quibus vos de Terouannæ (1) expeditione certiores facit, hoc meum epiſtolium adjungendum putavi, quo rei ſucceſſum, quantum is ex primis nuntiis, qui ex caſtris ad Cæſarem miſſi ſunt, intelligi potuit, paucis ſignificarem. Non arbitror autem vos ignorare primæ oppugnationis, quæ die 12. hujus menſis tentata fuit, irritum conatum, nec tamen ideo ſpes ejus urbis potiundæ a noſtris depoſita fuit, ſed actis denuò cuniculis, omnique alio conamine ab toto exercitu laboratum eſt, ut facilior redderetur ratio mœnia ſcandendi: & quanquam quorumdam negligentia, deceptiſque excubiis noſtris acciderat, ut interea aliquot centeni milites ab Gallis in eam urbem fuerint immiſſi, jam tamen eo noſtri opera ſua produxerant, ut de urbe capienda in certam ſpem venirent. Cùmque jam concluſum erat die heſterna bene mane fortunam denuo experiri, ac totus exercitus jam ſe ad eam rem accingeret, obſeſſi colloquium expetivere. Miſſi autem ab eis nobiles duo, cùm deditionem certis conditionibus offerrent, ac res in longum pertraheretur, admonentibus noſtris qui cum illis tractabant quo maturarent reſolvere priuſquam noſtri milites vim adhiberent, illis dicentibus non eſſe feſtinatione opus, quum obſeſſis animi ac virium ſatis ad repellendum ſupperet, noſtri impetu facto urbem fortiter aggreſſi, obvios reſiſtenteſque facile repulerunt, eaque potiti ſunt cæſis plurimis, cæteris in captivitatem redactis, inter quos eſt filius natu major Coneſtablii Franciæ Ducis Montmarrancii, cui ejus urbis tutela commiſſa erat. Nos læti primo hoc victoriæ nuntio,

(1) *Terouannæ*] De hac urbe expugnata, atque hoc ipſo anno ſolo æquata, videndi hiſtorici. Hinc illud vulgatum Chronicon: DeLetI MorInI. Vide quæ ad epiſtolam proxime ſequentem n. 4.

tio, vos quoque lætitiæ noſtræ participes lubenter reddimus. Brevi vero conſequentur qui plenius ejus rei ſucceſſum referent, perſcribentve. Si quid verò percepero ſcriptu dignum, D. T. non patiar latere. Benè vale, Domine Honorande. Bruxellæ 21. Junii 1553.

EPISTOLA CLVII (1).

Ex Tomo IV. fol. 520. vſo.

EPISCOPO ATREBATENSI.

Scribit per Laurentium Blioulum de Morinenſi eccleſia; de Indulto Apoſtolico; de Abbatia Gorzenſi, & de tranſlatione eccleſiæ S. Gaugerici Cameraci. 1551.

QUum iſthuc reditum pararet *Laurentius Blioulus* (2) officiumque ſuum in litteris meis ad R. D. V. deferendis obtuliſſet, non potui omittere, quin epiſtolium hoc ei committerem. Viſum autem fuit Reginæ ac noſtris, non negligendam oportunitatem hujus temporis, ut amicitiæ, quæ impræſentiarum inter Pontificem (3) ac Cæſarem intercedit, quo-

(1) EPISTOLA CLVII.] Hæc in codice noſtro falſam habet notam, nempe annum 1551. Ex textu patet, ſcriptam fuiſſe poſt expugnatam Terouanam, ſive Morinenſium civitatem principem, quod contigit anno demum 1553. Quare eam hoc loco ponimus.

(2) *Laurentius Blioulus*] filius *Laurentii*, Audientiarii, ut vocant, id eſt primi ſecretarii Conſilii privati. Hic nullo, quod ſciam, ſpeciali munere claruit. Pater, vir magnus, & ad arduas legationes obeundas ſæpe datus, obierat an. 1542. quem *Hortenſius laudat Rer. Ultraj. lib. 7. p.* 167. & de quo *Tomb. des homm. illuſtr.* hæc habet: „M. Laurent de Blyoul, Audien„cier & premier ſecretaire, eſtoit Chevalier, ſeigneur de „ Sart, eſleu Greffier de l'Ordre de la toiſon d'or en l'an „ 1496. & mourut en l'an 1542." Idem fere *Butkens Troph. de Brab. tom. 2. p.* ** 189.

(3) *Pontificem*] Julium III. electum anno 1550. qui obiit an. 1555.

quoque fructum aliquem ad has Provincias derivemus. Quod autem in *Morinenſi* Eccleſia (4) petimus (quarum diœceſes latè patent, ac in varias ditiones earundem ſe dominia extendunt) ſimilibus ex cauſis aliquando noſtris in animo fuit expetere. Sed tempora non fuere propitia. Certè Italia pleraſque habet provincias, in quibus Archiepiſcopi, ſuffraganeorumque diœceſes, præfatorum Epiſcopatuum, finibus nihilo ſunt ampliores. Indultum vero *Leonis* (5) nunc vereor ne gravatè Pontifex perpetuet, juxta eum præſertim intellectum, quo nos utimur, jus nominationis nobis paſſim vendicando. Sed ſi hoc impetrare non poſſumus, ſaltem id efflagitandum videtur, ut in eadem forma, qua Cæſari olim conceſſum fuit, Principi idem non denegetur. Super expeditione

(4) *In Morinenſi eccleſia*] Hic deeſt aliquid, quod ne OEdipus quidem divinet. Non de una hîc eccleſia loquitur, ſed de pluribus. Adverte: *quarum dioceſes*. Et infra, *præfatorum epiſcopatuum*. Porro Morinenſis civitas, aliter *Terouana*, vetuſta Arteſiæ urbs, & illo ſeculo inſigniter munita, dudum fuerat ſub poteſtate Gallorum, ſed anno 1553. per Cæſareos milites expugnata, ſolo fuit æquata, ne ultra foret bellorum diſſidiorumque occaſio. V. ſi lubet *Sander. Flandr. illuſtr. tom.* 2. *p.* 405. *novæ edit.* Porro hæc dioceſis Morinenſis recte dicitur fuiſſe *lati patens*, nam, eodem *Sandero pag.* 385. monſtrante, diviſa olim fuit in viginti & quinque Decanatus, ſub quibus erant octingentæ parochiæ & ultra. *Sander p.* 406. &. 407. Quod igitur hic *Viglius* ſcribit ad *Granvellanum*, reſpicit novarum in Belgio ſedium epiſcopalium erectionem, quam *Carolus* V. in animo habuit, & *Philippo* filio commendavit. Vide hic *Stradam decad.* 1. *lib.* 1. *ad an.* 1559. quo hac ordinatio novorum epiſcoporum tandem effecta fuit.

(5) *Indultum Leonis X.*] Illud ipſum eſt, quod *Leo X.* Pont. Max. anno 1515. conceſſit *Carolo* Archiduci Auſtriæ (dein Hiſpaniarum Regi atque Imperatori) ad nominandum ad quaſcumque dignitates ſeculares ac regulares in Belgio, ſublatis unà expectativis ac reſervationibus, excluſis quoque perſonis non ſubditis. Exſtat autem hoc diploma *Tomo* 3. *Oper. diplom. Miræi pag.* 459. Quod indultum cùm eſſet perſonale, & ad hæredes *Caroli* V. tranſmitti non poſſet, *Philippus* eo uti nequivit: ſed jam princeps Belgii futurus neceſſe habuit rogare Papam, ut illud ad ſe extenderet, ſeu *perpetuaret*, ut *Viglius* loquitur.

ditione Bullarum pro *Gorzenſi* Abbatia (6) Regina providit: prout ex ipſo *Blioulo* R. D. V. plenius intelliget. Eidemque commiſit negotium de litteris tranſlationem Eccleſiæ Siberici Cameracenſis (7) concernentibus. Quod autem ad ipſum *Blioulum* pertinet, dedi equidem operam ut ejus diligentiam Regina noſtra aliqua munificentia penſaret: quod ſatis quidem tenuiter factum eſt. Sed tamen ille quidquid id

(6) *Pro Gorzenſi abbatia*] Hæc ſita eſt in Ducatu Lotharingiæ ſub epiſcopatu Metenſi, quarto a Metis lapide. Antiquiſſimum & Florentiſſimum olim fuit monachorum Benedictinorum cœnobium, de cujus præſenti ſtatu multa habet liber, dictus: *Voiage literaire des PP. Benedictins de S. Maur*, *in* 4. Anno 1542. Abbatiam hanc a Rege Galliæ obtinuerat in commendam *Guillielmus Furſtembergius*, Lutheranus, qui ſectam ſuam illuc introducere molitus, cuncta peſſumdedit. Paulo poſt eamdem conſecutus eſt *Carolus* Lotharingiæ princeps, Epiſcopus Metenſis; qui Romæ obtinuit Bullas anno 1572. quibus hæc abbatia ſecularis fieret, executioni mandatas anno 1580. dumtaxat. Subinde proventus Abbatiales uniti fuere dignitati præpoſiti, ſeu primati Nanceiano, poſt rurſus per Regem Galliæ ſeparati 1661. ac dati Abbati commendatario. Menſa autem conventualis, & plurium Prioratuum proventus, ceſſerunt anno 1600. partim Collegio PP. Societatis JESU in univerſitate Muſſipontana, partim Canonicis ſecularibus *Gorzienſibus*, in locum monachorum conſtitutis. Hæc ex *hiſtoria Lotharingiæ auctore Domno Calmet in proœmio tomi* 3. *pag.* 120.

(7) *Eccleſia Siberici Cameracenſis*) Hoc certe mendoſum eſt. Legi debet, Eccleſia *S. Gaugerici* Cameracenſis. Eſt hæc Collegiata in ea metropoli, inſigne habens Canonicorum capitulum, quod hodiedum ſubſiſtit. Stetit hæc eccleſia uſque ad annum 1543. dum Imp. *Carolus* V. Cameracum, conſentiente Epiſcopo *Roberto de Croy*, occupavit ibique arcem erexit eodem in loco, quo ſita erat *S. Gaugerici* eccleſia, quæ proinde ſolo æquata fuit, ejuſque Canonici ſedem tranſtulerunt in parochialem *S. Vedaſti*, hodie *S. Gaugerici* nuncupatam. Atque hæc eſt *tranſlatio* illa, cujus hac in epiſtola fit mentio. De his vide *Gall. Chriſt. nov. edit. tom.* 3. *a. col.* 73. Item diploma *Caroli V.* Cæſaris datum anno 1550. (*apud Miræum tom.* 2. *pag.* 1296.) quo hujus novæ arcis ſic erectæ præfecturam, titulo *Burgraviatûs*, *Philippo* filio contulit &c.

id fuit, boni conſulujt, meliora meritus, quæ quando præſtare nequimus, optare ei non ceſſamus. Deus Optimus Maximus R. D. V. ſervet incolumem. Ex Bruxella 24. Novembris 1551.

Ex Tomo IV. fol. 541.

EPISTOLA CLVIII.

PETRO CRABBE (1).

1553. *Laudat Petri lucubrationem neſcio quam, atque ut ea ad limam adhibeatur, hortatur.*

PErcurri, Venerande Pater, bonam partem laborum tuorum, ac ſummam accepi voluptatem, quod viderem tam multa

(1) *Petro Crabbe*] Is Mechlinienſis, ac Ordinis Minorum eximius theologus, atque deligentiſſimus ſcriptor, primus poſt *Jacobum Merlinum* theologum Pariſienſem, *Conciliorum* collectionem, e quingentis prope bibliothecis, a ſe luſtratis, edidit typis Colonienſibus anno 1538. Item an. 1551. adjecto tertio volumine. Nec ſcitur eum aliud quidpiam in lucem edidiſſe. Porro opus, quod hîc per *Viglium* laudatur, plane diverſum eſt a *Conſiliorum* collectione, videturque, eſſe commentarius de ſcriptoribus eccleſiaſticis, forte de profanis quoque, ac de cujuſvis ordinis viris eruditis, quod lucem non viderit; eodem enim anno, & quatuor poſt menſibus, cùm hæc ſcriberet *Viglius*, obiit Mechliniæ *Petrus Crabbius* ætatis an. 83. die vero 30. menſis Auguſti 1553. Non exigui pretii eſſe judicavi inquirere in hoc opus. Verùm *P. Wilhelmus Smits* ejuſdem ordinis, Sac. Script. profeſſor, in linguis Græca, Hebraicaque verſatiſſimus ille, ac diligentiſſimus interpres, mihique dudum amiciſſimus, ex Antverpia mihi reſcripſit, nullum monumentum mſ. *Crabbii* illic reperibile eſſe; nihil etiam ejuſmodi exſtare in bibliotheca Lovanienſi, nec quoque in Mechlinienſi: hanc enim, cùm ibidem profiteretur, diligentiſſime a ſe viſitatam. Addens, non eſſe dubitandum, omnia hujus bibliothecæ mſſ. intercidiſſe iconoclaſtarum irruptione, qui anno 1566. totum pene Conventum demoliti ſunt, ut habet *Sander. in Chorograph. ſac. Brab. tom.* 3. *nov. edit. p.* 171. Porro *ibid. pag.* 181. annus obitus *Crabbii* ſtatuitur 1554. Similiter *Wadingus*. Uterque duorum tomorum dumtaxat mentionem facit, & de ineditis altùm ſilet.

multa præclara ingenia, quæ tenebris obruta ſepultaque jacebant, abs te ad lucem ac vitam revocari. Illud deſiderabunt multi ſcire, qui antiquorum ſcriptorum ſunt ſtudioſi, impreſſane ſint eorum opera, & ſicubi adhuc extare comperientur. Eſt autem in Haga Comitis ampliſſima quædam Bibliotheca ad Cæſarem ſpectans, nec ſcio an catalogum librorum qui in ea ſunt videris. Solebat autem dicere is qui eam collegit, ſi quando de aliquo libro interrogabatur: *ſi eſt impreſſus, ego habeo.* Quamobrem ſi quid adhuc adjici poſſet huic inſigni operi, id priuſquam in lucem emitteretur, lubens unà procurarem. Et quo id majore cum authoritate exire poſſit, viſum eſt Reverendiſſimo Epiſcopo Atrebatenſi (qui ejus quoque guſtum cœpit) convenire, ut id ſinas ab aliquo ſtudioſo relegi, & limam, ſi qua indigebit, adhiberi. Cogitabamque, ſi tuæ Paternitati non diſpliceret, poſſe hæc volumina ad *Ruardum* * Decanum Lovanienſem mitti, virum inprimis doctum, & pium, quo is aliquem bene diligentem deligat in ea Academia cui hanc provinciam committat. Super qua re tuam expectabo ſententiam, ut ſciam ad te hunc fœtum velis remitti, an verò Lovanium ad præfatum Decanum dirigi. Utinam autem Deus Optimus Maximus annos tuos extendat, quo poſſis horum laborum tuorum colophonem cernere, & ſperatum percipere fructum. Vale, Pater Honorande, animæque amatæ conjugis eris in tuis precibus ſubinde memor. Bruxellæ 19. Aprilis 1553.

* Tapperum.

EPISTOLA CLIX.

Ex Tomo IV. fol. 556. vſo.

RUARDO TAPPER.

Cenſura & privilegium Regium pro edendis libris, etiam Doctorum, neceſſaria. 1554.

LAudo induſtriam veſtram in explicandis articulis (1) per facultatem Theologicam olim editis. Porro edendi licentia

(1) *In explicandis articulis*] *Apud Val. Andr. in bibl. Belg.* lego, *Ruardum Tapperum* ſcripſiſſe: *Explicationes in articulos*, circa eccleſiaſtica

centia nunquam ſolet concedi niſi libro ipſo viſo. Et quanquam cauſa edicti in D. V. ceſſet, exemplum tamen nobis ſervit adverſus nonnullos minus nobis notos, qui nullius cenſuram admittunt. Verùm ne quid moræ aut difficultatis oboriatur ex exemplari non ſatis legibili; poterit Typographus impreſſionem aggredi, omiſſâ primâ paginâ, quæ privilegii mentionem continebit, ac cùm ad finem perduxerit, exemplar huc mittere, cum *Tiletani* (2) approbatione, vel etiam ſine ea: cùm Reverendiſſimus Atrebatenſis ipſe eas partes ſupplere poſſit. Ac tum quidem confeſtim curabo privilegium expediri. De Colonienſi negotio diligenter Atrebatenſi locutus ſum. Nec prætermittetur ab Cæſare ullum officium, quod ad conſervationem Religionis quoquo pacto conducere poterit. Deus D. V. ſervet incolumem. Bruxellæ 30. Octobris anno 1554.

Ex Tomo IV. fol. 557. viſo.

EPISTOLA CLX.

CORNELIO SUYS (1).

1554. *A novis vectigalibus Conſiliarios Regios non eſſe immunes.*

EGI diligenter, Clariſſime *Suſi*, apud Reginam utriuſque Collegii cauſam ſuper immunitate novi vectigalis. Sed parum certè profeci: quòd illa eadem contra nos proferat argu-

ſiaſtica dogmata hoc ſeculo controverſa, *a Facultate theologica Academiæ Lovanienſis*, Caroli V. Imp. juſſu collectos. Lovanii 1555. fol. Tomis II.

(2) *Tiletani*] Intellige *Judocum Raveſtein*] S. T. D. Lovanienſem, qui a Tileto Flandriæ oppido, *Tiletanus* dictus eſt V. Not. ad Vitam n. LXXXVI.

(1) *Cornelio Suys*] Conſiliario Senatus Provinciæ Hollandiæ. Is anno 1559. Octobr. 21. factus Præſes, Hagæ-Comitis ſedit, uſque ad annum 1572. cùm ob tumultus receſſit Ultrajectum cum toto Senatu, uno excepto *Adriano Van der Houf*, ubi ſubſtiterunt uſque ad pacificationem Gandavenſem. Obiit autem Hagæ 19. Sept. 1580. æt. 66. *V. Leeuw. Bat. illuſtr. p.* 1111. & 1473.

argumenta, quibus nos jamdudum in eamdem traxit condemnationem, cui & ſeipſam ſubjecit. Ego certè hic pro ſingulis vini amis ſolvere cogor nomine novi hujus impoſiti, quod Status Brabantiæ introduxerunt, ſtuferos 48. Ad hæc ſolvi pro ſingulis focis florenum. Solvi vigeſimam penſionis ædium: præter alia, quibus hic non minus Curiales, quàm cæteri incolæ ac cives gravantur. Quamobrem velim excuſes apud Collegas tuos officium meum, cui in hac cauſa apud Reginam nullus locus conceditur. Objiciebam Majeſtati ſuæ, hanc immunitatem haberi in parte Salariorum noſtrorum, quæ ſi diminuantur, merito nos habere regreſſum ad Cæſarem, ut ſuppleat, quod ſic deciditur. Premebam authoritate Evangelii: (2) numquid qui in domibus Regum ſunt, vectigal ſolvunt? Sed illa hæc ad ordinaria vectigalia pertinere ait. Quæritque, anne & nos adverſus hoſtes defendamur? Atque ut illis ingruentibus nemo otioſus deſidere debet, ſed ut quiſque Principi eſt propior, ita primus ad arma accurrere debet: ſic quoque eoſdem ad contributionem eorum, quæ militi, ipſorum vicem ſuſtinenti, ſolvuntur, cæteris præire debere. Et quanquam non deſunt, quæ replicari poſſint: cùm videam tamen illam hac contradictione magis ad iram, quàm ad æquiorem moveri ſententiam, cogor certè ab ulteriore ejus cauſæ defenſione deſiſtere. Quamobrem cùm nihil profici queat, & nos hic in eadem ſimus navi, non habeo aliud quod conſulam, quàm ut commune malum patienter feratis. Benè vale, *Suſi* Amantiſſime: ac Domino *ab Aſſendelft* (3) cæteriſque Dominis Collegis multam quæſo a me ſalutem dicito. Bruxellæ ultima Novembris 1554.

(2) *Authoritate Evangelii*] In quo id Evangelio legerit *Viglius*, ego quidem ignoro.

(3) *Domino ab Aſſendelft*] Gerardo, opinor, qui ante *Cornelium Suys* eidem Senatui præſedit, ut habet *Leeuw. cit. p.* 1474.

Ex Tomo IV. fol. 559.

EPISTOLA CLXI.

ADOLPHO ARCHIEPISCOPO COLONIENSI. (1).

1554. *De pace cum Gallis tentata per duos Cardinales Pontificis legatos. De matrimonio Philippi Regis cum Maria Angliæ Regina. Elisabetha in custodia. In Anglia metus belli a Gallis. Res Germaniæ turbatæ.*

UTinam R. G. V. desiderio de pace tantopere ab omnibus expetita satisfacere possem. Hactenus certè haud magna nobis spes ejus affulsit. Nam Cardinalis *Imolensis* (2) irritus fuit conatus. Cardinalis *Polus* (3) simile mandatum ab Pontifice attulit, & Cæsari quidem haud ægrè persuasit, ut pacem amplectatur, modò ea talibus stabiliatur pactis ac conditionibus, ne mox Gallis ex quacunque occasione more suo ad arma redire liceat. Ille autem jampridem hinc in Galliam profectus est, ut idem ibi tentet, nec adhuc quicquam nobis intelligere licet, quid ibi effecerit, & postquam a nostris Peronam usque fuit deductus, nihil de eo audivimus. In Anglia nondum fuit, & fortassis ante novi

(1) *Adolpho Archiep. Colon*] a *Schouwenburg*, *Hermanno a Weda* surrogato, de quo alibi.

(2) *Cardinalis Imolensis*] Hieronymus Dandinus, Cæsenas, natus an. 1509. vir in omni genere scientiarum veritatissimus, Episcopus Imolensis, & S. R. E. Cardinalis tit. S. Matthæi in Merulana, unde ei Cardinalis *Imolensis* cognomen adhæsit. Ad *Carolum* V. ut cum *Francisco* I. diu cupitæ pacis fœdera jungeret, Orator profectus est, visusque est in ea legatione oleum & operam perdidisse, ait *Ughellus in Ital. sac. tom. 2. col. 643. & 644. novæ edit.*

(3) *Cardinalis Polus*] Anglus, de quo aliàs. Qui hic a Cæsare prohibitus fuit, ne in Angliam navigaret, quousque *Philippus* filius in eam appulisset & nuptias confeciset cum *Maria*, ait *Spond. ad an. 1554. n. 3.*

vi Parlamenti, quod ibi indictum eſt, reſolutionem eo non eſt iturus, cùm nondum derogatum ſit ordinationibus quæ in eo regno contra Pontificis auhoritatem fuere promulgatæ. Comes *ab Egmonda* nuper eo reverſus matrimonium Sereniſſimi Princips noſtri (4) per verba præſentia contraxit, actuque ſolenni abſoluto, cum aliquot Proceribus noſtratibus Principi rurſus obviam profectus eſt, miſit quoque Regina Angliæ ad ſponſum legationem inſignem, certoque ſperamus eum brevi adventurum. *Elizabetha* (5) Reginæ ſoror adhuc ſub cuſtodia detinetur. *Corteneius* (6) autem in carcere, adverſus quem proceſſus inſtruitur. Galli interea omnia moliuntur, ut populum ad novos rurſus motus ibidem excitent, & ſi hoc efficere nequibunt, bellum ipſi videntur Anglis illaturi, atque in idem Scotos ſollicitant. Quod ſi verò res Regni Angliæ (uti ſperamus) Principis adventu domi queant conſtabiliri, nihil Anglis ab utriſque erit periculi, & nos quoque illis ſociis facilius Gallorum vim reprimemus. De eo autem ſolliciti ſumus, ne quam adverſus nos tempeſtatem in Germania excitent, nec enim puto R. G. V. latere rumores, qui ex Saxonia Weſtphaliaque quotidie adferuntur, quibus bonum eſſet tempeſtivè ab omnibus Principibus occurri, quos in eadem præda hi Reipublicæ turbatores habere deſtinant. Cæſar valet mediocriter, haud ita tamen ut itineri adhuc ſe committere audeat. Interea verò dum vires confirmabuntur, Comitiis Auguſtanis nomine ſuæ Majeſtatis Rex Romanorum principium dabit. Galli circa Corſicam aliquot triremes amiſere. Oppidum S. Florentii pridem ab illis deditum, in noſtrorum poteſtatem rediit. Præterea hic nihil habemus ſcriptu dignum. Deus Illuſtriſſimam G. T. incolumem conſervet. Datum Bruxellæ anno 1554.

(4) *Matrimonium ſereniſſ. princ. noſtri*] Vide Pont. Heut. Rer. Auſtr. lib. 13. cap. 20.

(5) *Eliſabetha*] Pont. Heut. loco cit. dicit, eam mox ſponſi principis *Philippi* deprecatione liberatam e cuſtodia. Contra *Spondan. ad an.* 1554. n. 1. aſſerit, eam uſque ad mortem *Mariæ* in ea permanſiſſe.

(6) *Corteneius*] Eduwardus, Devoniæ Comes, quòd matrimonium cum *Eliſabetha* ambiiſſet. *Spond.* cit. dicit eum liberum dimiſſum, in Italiam relegatum fuiſſe.

Ex Tomo IV. fol. 563.

EPISTOLA CLXII.

HERMANNO LETMATIO (1).

1555. *Respondet ad Hermanni querelas de præjudiciis religionis. De Vice-pastoris Amstelodamensis cum Sculteto controversia.*

JAmdudum fueram litteris tuis superiore mense ad me datis responsurus, sed rei gravitas me a scribendo nonnihil deterruit, & quod expectabam, ut Senatus Frisiæ aliquid ad Reginam eadem de re rescriberet, sed hactenus nihil allatum est, ne excusatio quidem, qualem Præses in suis ad te litteris præ se fert. Et mihi quidem ea remedia quæ abs te proponuntur non abs re videntur, sed nisi eadem Senatui, & illis, quibus executio mandabitur, placeant, haud magnum indè fructum sperare licebit. Quod autem ad Frisiorum querimonias pertinet, id brevi adveniente huc Præside Trajectensi diffinietur. Religionis verò negotium non nego majore cum jactura & periculo differri, sed veremur, ne si imprudentius ei manum apponamus, vulnus ipsum magis exacerbemus. Quamobrem Cæsareæ Majestati visum fuit (*ad*) ipsos Episcopos de hujus mali remedio scribere, & undecunque consilia quærere. Nec meo deero officio in re tam sancta ac necessaria. Sed utinam tantùm saperem, possemque, quantùm ejus magnitudo postulat. Ne idem autem venenum Amsterodami suboriatur, modis omnibus providendum est. Fuit quidam ibi vicepastor (2) cui cum Schul-

(1) *Hermanno Letmatio*] Hermas Lethmatius sive *Hermannus a Gouda*, Doctor Parisiensis, & Decanus B. M. Ultrajecti, vir doctus, & *Erasmo* charus fuit, de quo cùm dixerim in *Catal. meo præposit. & decanor. Ultraj.* eò lectorem remitto.

(2) *Vice-pastor*] Florentius Egberti Harlemensis, Edami deinde, postea Veteris lateris Amstelodami pastor, demum plebanus S. Gudulæ Bruxellis.

Schulteto (3) hac uti videbatur de cauſa, non ſatis conveniebat, ſed legitima facta informatione non hoc fuit compertum, quod objiciebatur. Cuperem autem, ut ſecretò ac diſertè inveſtigaretur undenam ea communicantium diminutio prócederet, & ſi quid ſit in quo huic providere poſſimus. Vale. Bruxellæ 18. Februarii anno 1555.

EPISTOLA CLXIII.

Ex Tomo IV. fol. 568.

JOANNI RICHEBE (1).

De ſene Pontifice bene ſperat, & Joanni injungit, ut ab eo Eccleſiæ Morinenſi impetrare conetur novum epiſcopum. 1555.

QUæ ad me Maio Junioque menſe ſcripſiſti, eximie Domine *Richebe*, ea Reginæ fideliter communicavi, cui hoc tuum officium ſignificandi nobis ea quæ in urbe gererentur fuit gratiſſimum. De ſene Pontifice (2) nil niſi ſanctum ac concordiæ Eccleſiæ in tanta Religionis confuſione congruum ſperare debemus. Qui utinam intelligeret, quanto ſtudio ac labore in hac Belgica noſtra Orthodoxam fidem conſervare conemur. Sic enim facile nos impetraturos ſperarem, ut tandem Morinenſem Eccleſiam (3) jam tanto a tem-

(3) *Schulteto*] Wilhelmus Theodori Bardes Schultetus Amſtelodamenſis, a *Florentio* accuſatus errorum anabaptiſticorum, multam litem ſuſtinuit; jure-ne an injuria, non conſtat ſatis. Aliter rem narrant Catholici, aliter Acatholici. Cui ea eſt tanti, videat *Heuſſ. hiſt. Epiſc. Harl. pag.* 96. Et in edit. vernacula *tomum* 4. *p.* 178. & 184. ac *Iſaacum Le Long Hiſt. van de Reform. der ſtadt Amſterdam in fol.* 1729. *pag.* 506.

(1) *Joauni Richebé*] Erat Orator Cæſaris in Urbe. V. Not. ad Epiſt. CCXI. ad Hopperum.

(2) *De ſene Pantifice*] Sermo eſt de *Paulo IV.* qui octogenarius cûm eſſet, electus nuper fuerat, nempe decimo Kalendas Junii hujus anni 1555. cum quo Cæſari mox bellum fuit. Vide hiſtoricos.

(3) *Morinenſem eccleſiam*] Hoc *Viglii* & Reginæ *Mariæ* deſi-

tempore paſtore viduam, reſpiceret, & ſaltem, ſi Gallum offendere non vult, ſubditis Cæſareæ Majeſtatis Epiſcopum concederet, cùm diœceſis ejus ſub Cæſaris ditione tam latè pateat, ut in Italia putem eſſe Metropoles, quæ unà cum Suffraganeis Epiſcopis, arctioribus finibus circumſcribantur. Ex iis autem quæ ad Reginam ſcripſiſti, de Sanctiſſimi domini noſtri voluntate bonam ſpem concepimus. Sed Eccleſiæ ejus periculum moram amplius non patitur, cùm Curia in tot diſtracta occupationes, pullulantibus iſthic hæreſibus, ſine Epiſcopi cura mederi non ſatis queat. Quamobrem quæſo, mi *Richebe*, inſta quæſo opportunè ac importune, ac tam diu fores ſanctas pulſa, donec eſurienti familiæ panem hunc impetres. Benè vale. Ex Bruxella 8. Auguſti anno 1555.

Ex Tomo IV. fol. 570.

EPISTOLA CLXIV.

JOACHIMO HOPPERO.

1555. *De Hopperi libello, De Magiſtratibus mentem ſuam aperit.*

CUm mihi per feſtum hunc diem, Clariſſime Domine *Hoppere*, otii aliquid obtigiſſet, legi libellum tuum *de Magiſtra-*

derium, ut novus ibi conſtitueretur Epiſcopus, vanum fuit, omniſque *Joannis* Oratoris Cæſarei poſtulatio effectu caruit. Everſa civitate Terouanâ, ſedes quoque epiſcopalis cenſebatur ſubverſa, & de novo epiſcopo lis erat. Rex Galliæ paulo ante obſidionem urbis nominaverat *Antonium de Crequy*, ſuperſtitem, & *Franciſci* ultimi epiſcopi fratrem. Cæſar contra nominaverat *Guilielmum de Poitiers* archidiaconum Leodienſem ac Morinenſem. Nihil fuit definitum, ſed ex mutuo Principum conſenſu, Morinenſis epiſcopatus in tres partes ſciſſus eſt, unde *Pius IV*, inſtituit epiſcopatus Iprenſem ac Audomarenſem, & *S. Pius V.* Bolonienſem. Competitores porro aliis infulis fuere decorati, *Antonius* Nannetenſibus, & *Guilielmus* Audomarenſibus. *V. Diplomata Miræi novæ edit. tom. 2. p.* 1077. 1102. & 1298.

giſtratibus (1) nuper ad me miſſum. In quo uti diligentiam tuam non poſſum non laudare, ita quoque in magnam ſum adductus admirationem, quomodo in tanta Magiſtratuum turba, Reſpublica rectè gubernari potuerit. Noſti quod dici ſolet, multitudinem Imperatorum Cariam (2) perdidiſſe. Et ſi forte dicas, nil potius eſſe ordine, quo uniuscujusque munia ſint diſtincta: id quidem fateor, dummodo non nimis minutim ea dividantur. Quæſo enim te, mi *Hoppere*, concinna nobis aliquam Curiam, ſive, uti nunc loquimur, aulam, ex iſtis Primiceriis, Lampadariis, Laterculenſibus, atque alia iſta Barbaricorum nominum turba: difficillimum certè fuerit, ipſos inter ſe diſcernere. Undè fit, ut credam, quemadmodum hodie videmus, eadem penè officia, diverſis regionibus diverſa ſortiri nomina. Ut exempli gratia nominem Ammannos, Baillivos, Schultetos, Droſſatos, Seneſchallos: ſic etiam *Juſtiniani* tempore accidiſſe arbitror. Antiquæ certè Romæ & Italiæ barbara ea nomina parum convenire viſa ſunt. Sed ea ab Aſiæ, Africæque regionibus Conſtantinopolim ſeu novam Romam invecta arbitror. Unde in hoc librorum, quos meditaris plures hujus generis, ingreſſu, dubito, num quod operæ pretium facturum te putem. Quam enim promereare laudem in illuſtrandis iis, quæ per ſe tam obſcura ac barbara ſunt? Aut cur ornandam tibi ſumas Rempublicam ita confuſam? Nec mihi hic *Juſtinianum* objicias: cujus etſi ſtudium in legibus digerendis non poſſum non maximè probare, non tamen ideò neceſſe habeo fateri, ipſius ætate Rempublicam quoque præclarius, quàm ſub veteri imperio, quod a Conſulibus ad Cæſares tranſmiſſum fuit, conſtitutam fuiſſe. Et certè poſt illum, ſive iſta officiorum confuſione, ſive alia quapiam fatali cauſa, a priſtina magnitudine excidit. Voluiſti, mi *Hoppere*, aliquid me dicere de tuis iſtis Lucubrationibus. Verumtamen nolim meo judicio multum hac in re tribuas. Quid enim nos, qui curis iſtis nego-

(1) *Libellum de Magiſtratibus*] Hic non invenitur in editis *Hopperi* operibus, nec de eo meminerunt *Miræus*, *Valerius Andreas* aut *Suffridus Petri*, qui tamen de ineditis loquitur.

(2) *Cariam*] Caria eſt regio minoris Aſiæ inter Lyciam & Joniam, quæ jam Turcis paret, dicta *Aidinelli*. *Dict. Trevolt.*

negotiisque Curialibus obruimur, recte judicemus de eo quod planè cognoscere non vacat? Sed quemadmodum ii, qui ad viam publicam ædificant, subauscultant prætereuntium voces ac judicia, atque multa inepta audiunt, sic me unum esse credas e turba, qui citius judicem, quàm rem ipsam penitius inspexerim. Sed brevi coram plura de eo nugabimur. Tu autem vide, si quando Mechlinia transeundum nobis erit, ut forte brevi fiet, ne mihi hospitium apud te auferri sinas. Gardiano velim nomine meo dicas, desiderium ejus me curæ atque cordi habiturum. Sed ne gravetur expectare donec Rex beneficia hujusmodi dispartiri statuerit. De Præfecti Mechlinienſis in nos benevolentia gaudeo: cui mea ex parte libenter respondebo. *Theophilum* pecunia indigere non dubito: sed certè æquum est, ut illa ab suis potius, quàm a nobis proficiscatur. *Mepsius* Cancellarius hic adest, cui quoque loquar. Si quando autem tu ad *Theophilum* scripseris, significare ei potes, hujus nostri temporis angustias, & quod ipse nepotes habeam, quos meo sumptu in studiis institui curo, ut certe mihi ad mutuum præbendum nihil fiat reliqui. Idem officium tibi reddam: cùm non dubitem, te quoqué tua indigere pecunia. Vale, mi *Hoppere*, & conjugi multam a me Salutem dicito. Miror autem utriusque pigritiam, qui meum desiderium, ut aliquando compater vobis fiam, tantum differtis. Ex Bruxella 25. Novembris 1555.

Ex Tomo IV. fol. 573.

EPISTOLA CLXV.

JACOBO HORSTIO CANONICO S. GEREONIS COLONIÆ (1).

1556. *Ridet Horstii credulitatem, qui sibi purgatione opus esse censuit, quòd Velsius Viglium orthodoxiæ suæ vadem esse assereret.*

CUm tuas Litteras, Eximie Domine Canonice, legissem, quibus me, atque Atrebatensem Episcopum ab *Velsio* fidei

(1) *Jacobo Horstio* &c.] de quo dixi in Notis ad Vitam. N. LXXXVI.

fidei ſuæ aſtipulatores aſſertoreſque prædicari ſcribis, idque ita nonnullorum animis iſthic inſedisſe, ut purgatione omninò opus eſſe cenſeas: non potui ſanè riſum continere: uti nec ii, quibus idipſum recitavi, admirantes credulitatem veſtram, atque ita vos facili eſſe judicio, ut de noſtra Religione ejusmodi aſſertioni fidem mox attribueritis. Porro ut ego cum *Velſio* (2) ea de cauſa litem conteſter, perſuaderi mihi non facile

(2) *Ut ego cum Velſio* &c.] Non reperi ullam *Viglii* ad *Velſium* epiſtolam, præter eam quam ſupra dedi, ſcriptam 24. Junii 1551. Videtur hominem fanaticum deſpexiſſe. Vide quæ ſupra in notis. Certe liquet ejus ad ſe epiſtolas, occluſas remiſiſſe, quare ſubjicio eam quam *Andreas Scburius* publicavit in *Epiſtolar. faſcic. p.* 360. „ S. P. Qui corda & renes ſcruta„ tur, ampliſſime præſes, teſtis mihi eſt, & in die tremendi „ judicii erit, quo erga te animo ſemper fuerim, & etiamnum „ ſim, benevolentiſſimo, inquam, & amiciſſimo: ut cui tua „ non minus ſalus (quod tamen hominum vulgo incredibile „ videatur, eſt autem in amicitia, potiſſimum Chriſtiana, ne„ ceſſarium) quàm mea ipſius, ſemper chara fuerit, nec um„ quam, quoad vixero, eſſe deſinet: eòque laudabilem *Diony„ ſii Areopagitæ* affectum, verèque Chriſtianum pectus imitatus, „ Οὐκ ἀνέξομάι σε, φίλτατόν μοι ἄνδρα, πλεονεκτηθῆναι τῷ Σατανᾷ: * „ quin potiùs nihil non agam, ut te Deo, ad cujus imaginem, „ mentis & rationis particeps, conditus es, lucrifaciam. Et „ quoniam quas ad te pridie *Andreæ*, anno præcedenti, de„ deram litteras, in quibus ea, quæ ad utriuſque noſtrum ſa„ lutem pertinent, continebantur, eas occluſas, quod minime „ tamen ſperaveram, mihi remiſiſti: conſultum mihi fuit viſum, „ eaſdem tibi apertas, & his incluſas remittere, ac ſic pio „ quodam dolo, ad tuam ipſius ſalutem, te fallere inſcriptione „ etiam & charactere mutatis. Oro igitur te, & per æterni „ numinis, incorrupti vivorum & mortuorum judicis, tremen„ dam authoritatem obteſtor, ut non aliorſum hæc, atque a „ me facta ſunt, accipias: nec pro fraterna dilectione hoſtile „ odium rependas: quin potius, quod te facturum plane in „ Domino confido, depoſita omni ſimultate, priſtinum erga „ me tui amantiſſimum, affectum induas, & amori noſtro „ reſpondeas. Quod quidem ſi feceris, & Deo gratam, & te „ dignam rem feceris; meliorique conſcientia, & acceptabi„ liores labiorum hoſtias in poſterum Deo Patri, qui in ſpiritu „ & veritate adorari vult, offeres; qui hactenus eas aſperna„ tur

* *Non tolerabo te, dilectiſſimum mihi virum, Satanæ quæſtum fieri*, aut, *a Satana circumventum iri.*

facile ſinam. Cùm neque meus animus unquam ejusmodi contentionum appetens fuerit, nec a publicis negotiis mihi tantum ſit otii, ut cumtalibus ingeniis digladiari poſſim. Vos autem interea de me hoc Coloniæ perſuaſum habetote quod videbitur: dummodo ii cum quibus hic vivo, quique me penitius cognitum habent, a Catholica ſinceritate non deviare ſentiant. Vale, mi *Horſti*. Ex Bruxella 16. Januarii *1556*.

„ tur ac rejicit, ut Veritas ipſa nos docet, quamdiu fratri re„ conciliati non ſumus. Cæterùm quod in iis literis, quas „ his incluſimus continetur, id ipſum a te & per te ut obti„ neam, ad Dei gloriam, & multorum ſalutem, poſtulo: quod „ quidem & obtenturum me prorſus confido, meliora & ſa„ luti tuæ conjunctiora de te ſperans. Faxit Deus omnipo„ tens, ut expectationi meæ res reſpondeat, quo poſſit immi„ nentibus undique malis, quoquo modo, noſtra etiam opella „ occcurri. Vale & nos, ut par eſt, in Chriſto complectitor. „ Groningæ, Poſtridie Calendas Aprilis. Anno M. D. LXVI. „ Tuæ Amplitudinis obſervantiſſimus, JUSTUS VELSIUS „ HAGANUS. " Pagina verſa incluſarum literarum, hanc habet, inquit *Scburius*, epigraphen: diverſo charactere belgice ſcriptam: *Den edelen, eerwaerdigen, geſtrengen, vermoegenden Heren, Heren Viglio van Zwyghem, Proeſt toe S. Bave, ende Hooft-Preſident van C. M. toe Spaengen, mynen Heeren. Toe Bruſel.* An hanc *Viglius* epiſtolam acceperit ac reſerarit, plane ignoro. *Baylius in diction.* ſcribit, *Velſium*, librum quemdam ſuum nuncupaſſe *Antonio Perenotto* Atrebatenſi epiſcopo, unde nata ſit homini confidentia, ut ego conjecto, illum deprædicandi, *fidei ſuæ adſtipulatorem, aſſertoremque*, ut queritur *Viglius* hic. Ceterùm ab omnibus, quos legi, ſcriptoribus, vir doctus habetur, ſed in fide inconſtans. *Surius in comment. ad an.* 1556. *alt*; „ Sunt „ qui in ſcriptis ſuis indicare videantur, *Velſium*, abjuratis „ erroribus, revertiſſe ad Catholicam eccleſiam. Res mihi „ necdum penitus comperta eſt. " De loco ac tempore quo mortem obierit, nihil mihi occurrit. Nec id pandunt *Surius*, *Spondanus*, *Valerius Andreas*, aut *Baylius*.

EPI-

EPISTOLA CLXVI.

Ex Tome IV. fol. 583.

PETRO NANNIO (1).

Gratias agit de missō ad se Athanasio a Nannio edito. Lovanienſi Academiæ, & Collegio trilingui patrocinium promittit. 1556.

QUod ad litteras tuas, *Nanni* Doctiſſime, ſerius reſpondeam, *Athanaſio* tuo (2) imputare debes. Neque enim reſcribendum tibi duxi, priuſquam hujuſce tuæ eximiæ lucubrationis guſtum aliquem ſumpſiſſem: ac ſic tibi, cùm meo, tum publico nomine gratias agerem. Quanquam autem non dubitem, quin Sanctiſſimus vir (3) hanc operam tuam peculiari aliqua voluptate compenſarit (cùm animo in rebus tam piis occupato non ſoleant ſua deeſſe oblectamenta) omnes tamen, qui Latina facilius quàm Græca legunt in-

(1) *Petro Nannio*] vernaculè *Nanningh*, Alcmarienſis Batavus, philologus & profeſſor Buſlidianus in Collegio trilingui Lovanii, ſucceſſit *Conrado Goclenio*. Vide *Val. Andr. in bibl. Belg. & in faſtis academicis. Miræum* quoque & *Heuſſen. in hiſt. Epiſc. Harlemenſ. p.* 165.

(2) *Athanaſio tuo*] S. Athanaſii Epiſcopi Alexandrini opera fere omnia, ſumma cura & ſtudio, multo auctiora quàm ante, Latina fecit *Nannius*, & anno 1555. Baſileæ *Frobenio* excudenda dedit, quæ verſio diu inter optimas annumerata eſt, unde multa laude dignus fuit, ut ajunt monachi Benedictini Congr. S. Mauri in præfatione novæ editionis Operum *S. Athanaſii* anni 1698. n. 5. Qui diu hæſerunt incerti, novamne interpretationem ederent, an eam *Nannii*, olim probatam, laudatamque, & quidem a laudatis viris. Sed vicit prior ſententia quòd verſio *Nannii* ex manuſcripto vitiato, & infinitis prope mendis adſperſo expreſſa fuerit: *qui vir apprime eruditus & multis nominibus præclarus, præſtantiora noſtris fortaſſe dediſſet, ſi ætatis manuſcriptorumque conditio id tuliſſet*, inquiunt iidem n. 9. Subjicientes n. 10. cenſuram verſionis *Nannianæ* juſſu Congregationis Indicis factam. Obiit an 1557. æt. 57.

(3) *Sanctiſſimus vir*] Ipſum Sanctum *Athanaſium* intelligit.

intelliguntque, multum tibi pro hoc tuo labore debere ſemper fatebuntur. Et ego ſanè legendi *Athanaſii* occaſionem abs te oblatam amplexus, non poſſum non tibi de eo gratias agere. Studium autem meum in promovenda Academia Lovanienſi gratum vobis eſſe gaudeo. Verùm inprimis benigniſſimo Regi noſtro multum litteræ & bonæ diſciplinæ, omneſque eorum cultores debent, quòd tanto favore hujuſmodi conatibus aſpiret. Non ſinam verò Collegii Trilinguis Profeſſores (4) munificentiæ Regiæ eſſe expertes, cùm non ignorem quid illi Scholæ debeam, ex qua non exiguum incrementum ſtudiis meis acceſſiſſe confiteor. Benè vale, *Nanni* Doctiſſime. Bruxellæ 8. Novembris 1556.

(4) *Collegii trilinguis profeſſores*] Collegium hoc auctorem habuit *Hieronymum Buſlidium*, vulgi *Buſleiden* J. U. D. Canonicum in pluribus eccleſiis, Supremi Senatus Belgici Mechliniæ conſiliarium, virum doctum, variiſque legationibus clarum. Qui extremæ voluntatis tabulis, de bonis ſuis inſtitui voluit unum Collegium in Univerſitate Lovanienſi, cum Burſis tredecim; pro decem juvenibus, qui legitimo matrimonio procreati, boni ingenii & competentis literaturæ lectiones viſitarent Grammaticæ ac Philoſophiæ, utque ad gradum magiſterii, diebuſque Dominicis ac feſtis principia ac rudimenta caperent linguarum Græcæ atque Hebraicæ a ſui Collegii profeſſoribus, ſimulque aliquod linguæ Latinæ additamentum a profeſſore Latino. Quibus quidem profeſſoribus aſſignavit tres alias burſas reliquas, cum ſtipendio competenti. Initium accepit hoc Collegium an. 1520. Fundator autem *Hironymus* obiit an. 1517. Primi profeſſores fuere, Linguæ Latinæ: *Adrianus Barlandus*, *Conradus Goclenius*, *Petrus Nannius*, *Cornelius Valerius*, *Guilelmus Huysmannus*, *Juſtus Lipſius*, & *Erycius Puteanus*. Linguæ Græcæ, *Rutgerus Reſcius*, *Adrianus Amerotius*, *Theodoricus Langius*, *Guilielmus Fabius*, *Gerardus Corſelius*, *Henricus Zoeſius* &c. Linguæ verò Hebraicæ, *Matthæus Adrianus*, genere Judæus, natione Hiſpanus, religione Chriſtianus, profeſſione Medicus, ab Eraſmo accerſitus; aliique parum noti, præter *Valerium Andream*, qui menſe Aprili 1612. profeſſor renuntiatus eſt. Vide *faſtos Academ. Univ. Lovan.*

EPI-

EPISTOLA CLXVII.

Ex Tome IV. fol. 585. vſo.

GERARDO RYMIO (1).

Nobili oratione reſpuit munera. 1556.

CLariſſime Domine Conſiliarie, Magno me pudore ſuffudit epiſtola tua, qua mihi perſuadere niteris, ut numiſmata abs te dono miſſa æquo animo accipiam. Quanquam enim affectum tuum non poſſum non amplecti, non tamen animus ferre poteſt, ut quidquam aliud te mihi commendet, quàm tua virtus. Et munera quidem cùm ſemper abhorruerim, tum abs te tanto minus ea velim accipere, quanto te digniorem ſemper judicavi ea conditione, pro qua mihi aliquid debere velle videris. Quamobrem quæſo, ut & iſta recipias, & deinceps exiſtimes, nihil mihi tua amicitia fore antiquius, modò eam patiare non donis, ſed illis potius ſarciri rationibus, quibus vera animorum conjunctio conſtare debet. Vale. Bruxellæ 1556.

EPISTOLA CLXVIII.

Ex Tomo V. fol. 25.

COLLEGIO JURIS CONSULTORUM LOVANII DUX SABAUDIÆ (1).

De Petro Xymenio ad lectionem Decretorum aſſumendo licet laurea nondum doctorali decorato. Lectio- 1557.

(1) Hic fuit Senator in Conſilio Flandriæ, de quo V. *ad Epiſt. CXXII. ad Hopper.*

(1) *Dux Sabaudiæ*] Emmanuel Philibertus, Belgii gubernator. Porro profeſſores Juris, qui hoc anno Lovanii per *Philippum* II. inſtituti ſunt, ordinarii ſunt, & qui quotidie legunt, quos in *Faſt. Acad.* ita deſcribit *Val. Andr.* „ Primus *Decretum* „ *Gratiani* prælegit, horâ decimâ, ejuſque profeſſioni depu„ tata eſt præbenda & Canonicatus in Eccleſia D. Petri: Al„ ter

Lectiones Institutionum majore stipendio donatæ. Quæ illis ratio præscripta. Exquirit Collegii judicium, qui quibus lectionibus magis apti sint.

CUm serenissimus Rex pro sua in bonarum disciplinarum & præsertim Jurisprudentiæ studiis provehendis propensione, nonnullorum Professorum stipendia augenda duxerit, novasque quasdam lectiones institui mandarit, Nos tam laudabile Majestatis suæ institutum executioni mandare cupientes, jussimus pro singulis litteras, pro obtinendâ debita stipendiorum solutione congruas, expediri. Verùm cùm præ cæteris Majestati suæ cordi sit, ut novæ lectioni decretorum recte provideatur, quam Majestas sua pro horum temporum, quibus disciplina Ecclesiastica graviter convellitur, necessitate, cupit ad primævam genuinamque suam revocari originem, sic ut magis ad Ecclesiæ ædificationem quàm litium judiciorumque disceptationem dirigatur, dum diu multumque ad eam provinciam idoneus quispiam quæsitus esset, tandem Majestas sua ob singularem *Petri Xymenii* (2) commendationem, illum quantumvis reluctantem eò impulit, ut conditionem eam susciperet. Circa quem ea fuit suborta difficultas, quod gradum docendique autoritatem non haberet. Verùm non visum fuit hoc impedimentum tam egregium institutum debere remorari. Et uti Regia Majestas de eo cum ipso dispensavit, sic etiam vos non gravatè eum ad hanc professionem admissuros esse speramus: ea tamen conditione, ut intra annum a die cœptæ professionis, Doctoralia insignia recipiat. Cùm hæc autem lectio non minus Theolo-

„ter *Paratitla Digestorum*, vel *Coditis*, sive *Titulorum Expositio-*
„*nem* absolvit singulis annis: Tertius *Institutiones Juris Civilis*
„similiter anno finit. Atque hi alternis annis materiam ho-
„rasque permutare solent, ut qui priùs *Institutiones* docuit
„hora nona, postea *Titulos Pandectarum* vel *Codicis* explicet
„hora post meridiem tertia."

(2) *Petri Ximenii*] Quis ille, dicam cùm cognovero. Hanc provinciam recusavit succedente sibi *Joanne Molinæo*, ut est in Fastis Academicis. Non videtur doctoris gradum suscepisse, neque enim in catalogo, seu fastis occurrit.

logiæ operam dantibus, quàm Juris Canonici Studioſis, utilis futura videatur, talem ei horam aſſignari a vobis velimus, quæ utriſque ſit accommoda. Ad hæc etiam intelligiſſe vos arbitramur, conſtituiſſe Majeſtatem ſuam, quo ii qui Juriſprudentiæ primam daturi ſint operam, univerſæ ejus diſciplinæ elementa rectius ſimpliciuſque percipiant, ut deinceps & Inſtitutionum altera inſtituatur lectio, quò omiſſis iis quæ prolixiorem exactioremque requirunt explicationem, is qui ad hanc aſſumetur profeſſionem ſummatim dumtaxat Textum Inſtitutionum explicet, gloſſaſque leviter ac perfunctorie dumtaxat attingat, ſic ut eas Auditores legere, & potiora aliqua inde retinere aſſueſcant. Et ne ultra ſepta hæc novus Profeſſor tranſiliat, intra anni ſpatium totos quatuor libros Inſtitutionum omnino Majeſtas ſua vult abſolvi. Cujus vos diligentem habere curam, ac Majeſtati ſuæ, vel Nobis denunciare velimus, ſi aliter fiat. Eamdem quoque brevitatem deſideramus obſervari in altera lectione nova, qua viſum fuit non abs re fore, ſi quiſpiam, titulos ipſos utriuſque Juris interpretetur, quo & facilius eos Tyrones addiſcant, & ordinem rerum, materiarumque, qui memoriam inprimis fublevat, complectantur, & quo ſic ſignificationem uniuſcujuſque tituli plenius percipientes, ad graviora legum ſcitu perdiſcenda viam ſibi præſtruant. Et hanc quoque lectionem anni termino præſcriptam Rex voluit, ſic ut poſt minores vacationes menſe Octobri ſemper ab capite hæc Inſtitutionum prælectio, titulorumque expoſitio inchoetur Inſtitutionum autem conſuetæ atque ordinariæ lectionis dignitati nihil Majeſtas ſua detractum voluit, ſed cùm eam ampliore ſtipendio decorarit, id deſiderat, ut diligentia quoque majore tractetur. Cùm autem intelligamus, eum, qui illi hactenus præfuit adverſa laborare valetudine, quæ fortè in longum tempus protrahi poſſet, cupimus ut de Vicario ita provideatur, nequid publica ſtudia detrimenti accipiant. Ad has autem lectiones delegimus *D. Joannem Venduillium*, *Petrum Peckium* (3) duos Doctores, & *Joannem Ra-*

(3) *Joannem Venduilium*) *Petrum Peckium*] De his duobus Doctoribus dicam in præfatione ad Commentarium *Hopperi*, quod cum illo Doctoris lauream ſuſceperint eodem die, & poſtremus *Hoppero* in profitendi munere ſucceſſerit.

Ranium (4) Licentiatum. Ex quibus cum unus nobis assumendus videatur ad operam vicariam ægrotantis, vos velimus dispicere qui ex eis ad singulas lectiones magis videantur vel propensi vel idonei. Et cùm in rerum novarum institutione, quid utile vel secus sit, experimento primùm intelligi certius soleat: visum nobis fuit, ut singulis in unum dumtaxat annum hæ lectiones addicantur, quo ipsorum interea spectata diligentia; & speratæ utilitatis successu, sub ejus finem de eorumdem confirmatione melius constitui queat. Superest igitur, ut de *Xymenii* admissione, & quos quibus lectionibus magis aptos censeatis, vestram nobis sententiam præscribatis, quo similiter super stipendiorum solutione providere eis possimus. Quid autem super augmento veterum stipendiorum vel institutione novorum pro U. J. Professoribus ab Regia Majestate ordinatum sit, ex schedula inclusa intelligetis. Deus vos conservet. Ex Bruxella 22. Aprilis anno Domini 1557.

Ex Tomo IV. fol. 594. vso.

EPISTOLA CLXIX.

DOCT. VUULMARO (1) PROFESSORI LOVANIENSI.

1557. *Hortatur eum ut se supremi Senatus Mechlinienſis albo inscribi patiatur.*

INtellexi ex Litteris tuis, vir Clarissime, rationes quæ te movent, quo minus animum ad suscipiendum conditionem oblatam possis inducere. Quas dum ego mecum perpendo exactius,

(4) *Joannem Ranium*] imò *Ramum*. Erat Zelandus Goezanus J. U. doctor, & fuit Institutionum Imperialium Lovanii professor Regius per biennium, ac Duaci in nascente Academia per triennium fuit; atque iterum Lovanii publicus Pandectarum, Ordinum Brabantiæ beneficio ac salario, Jura docuit cum laude & fructu. Demum Dolæ in Burgundia, a Belgicis tumultibus secessum & otia quærens, nondum conscensâ Cathedrâ e vita excessit an. 1578. die S. Catharinæ sacro. *Fasti Acad.* De cujus lucubrationibus *V. bibl. Belg. nove edit.*

(1) *Vulmarus Bernartius*, Eeckensis, Flander, in Universitate Lova-

exactius, non poſſunt illæ mihi omni ex parte ſatisfacere. Nam ætas ac adverſa valetudo, quæ docendi officium non impediunt, conſulendi multo facilius ferent. Nec eſt novum a Scholis ad forum conſiliumve tranſire: cùm is proprius ſtudiorum gradus ſit: Et ſi exempla poſces, meipſum citare poſſem, qui a Scholis in hanc Rempublicam ſum evocatus. Quamobrem omittere non potui, quin denuo te hortarer, ut ætati potius valetudinique conſulens, leviorem amplectare conditionem. Utramque expertus, id tibi affirmo, longe laborioſius moleſtiuſque eſſe docendo ac diſputando perpetuò torqueri, quàm in doctiſſimorum virorum cœtu, de jure ſententiam dicere. Nec hanc vocationem negare poteſ, quæ ex ſummi Senatûs judicio, Principiſque ſuffragio, non modò non ambienti, ſed ne cogitanti quidem, offertur. Tecum igitur, mi *Vuulmare*, omnes rationes altius quæſo excute: & cùm plerumque in propriis cauſis non ſatis ſapiamus, aliorum conſilium reſpuere noli. Expecto igitur ut priorem reformans ſententiam, tam inclyti Senatus albo inſcribi te patiare. Vale, vir Clariſſime. Bruxellæ 22. Novembris 1557.

EPISTOLA CLXX.

Ex Tomo IV. fol. 605. vſo.

IDZARDO.

Ambitioſum hominem, nobilitatis ac dignitatum Venatorem modeſte coarguit. 1557.

LOngas litteras, Ornatiſſime Domine *Idzarde*, occcupationes meæ non admittunt: proinde boni conſules, quod paucis duntaxat ad litteras tuas, quas *Paulus* noſter mihi attulit,

Lovanienſi J. U. D. & ſacrorum Canonum profeſſor primarius, qui Concilio Tridentino interfuit, erat Canonicus S. Petri Lovanii, de quo V. *Val. Andr. in bibl. Belg.* Hactenus ignoratum fuit, eum poſtulatum fuiſſe ad ſupremum Senatum, qui Mechliniæ reſidet. Sed quod amplius eſt, hinc palam fit, Senatum non ſemper ex competitoribus, ſeu candidatis elegiſſe, ſed homines doctos & non aſpirantes propoſuiſſe, ſeu Principi nominaſſe.

tulit, reſpondeo. Teſtimonium familiæ mihi aliquando exhibitum, quæri juſſi: nam confuſum aliis ſchedis ad manum non erat. Quod de nobilitate aſſerenda tantopere es ſollicitus, non valdè probare poſſum. Quæ fugientem ſequitur, inſequentem fugit. Et quamdiu Præſidis officio functus ſum, nullas nobilitationis litteras pro harum Regionum ſubditis expediri aut concedi vidi. Verùm in Cancellaria Imperiali hujusmodi diplomata expediri ſolent. Sed neſcio an ea tantam vim apud nos habitura ſint, ut ſic nobilitati pro nobilibus habeantur. Ad Regiæ quoque Majeſtatis officium non pertinet, in his Provinciis Comites Palatinos (1) creare: ſed illi, vel a Pontifice vel ab Imperatore eam authoritatem accipere conſueverunt. Quod *Tzalingus* (2) tibi prælatus fuerit, revera nobilitatis prærogativæ acceptum ferre debet: ſecutuſque eſt in hoc Rex noſter, Senatus Patriæ noſtræ judicium, quod noſtris commendationibus prævaluit. Vide autem, mi *Idzarde*, an non ſatius fuerat meum ſequi conſilium, nec tanta contentione Conſiliariatum tunc ambire? Id verò quotidiè experior, non minus gratam eſſe verecundam modeſtiam in muneribus publicis petendis, quàm illam importunam ſollicitationem. Flandriæ Conſiliariatum promotione novi Præſidis (3) vacantem quatuordecim petunt. His, ſi ita cupias, libenter nomen tuum addam: ſed ut cæteris præferare, ſolus Rex præſtare poteſt. De inſtrumento, *Renardianæ* familiæ ſigilla continente, gratias ago. Ego illud non cupio: & ſufficit mihi id quod de eo ſignificaſti. Friſiæ noſtræ deſcriptione te privari nolui: & eſt altera *Jacobi Daventrienſis* (4) multo exactior: niſi quod arma non habet, quæ non valdè moror. Vale. 15. Decembris 1557.

EPI-

(1) *Comites Palatinos*] De his dixi in Notis ad Vitam N. XLVIII.

(2) *Tzalingus*] ab Eiſinga, doctor, ſucceſſit in Senatu Friſiæ doctori *Upkoni a Burmania. Tom. 4. fol. 393. vſo.*

(3) *Novi Præſidis*] qui fuit *Jacobus de Blaſere*, ſucceſſor *Adriani Van der Burch*, in Anglicana legatione vita functi. *Sand. Fland. illuſtr. tom. 1. nov. edit p. 171.*

(4) *Jacobi Daventrienſis*] Trans-Iſalani, Georgraphi, cujus libri omnia hujuſce provinciæ Belgicæ oppida affabrè delineata

EPISTOLA CLXXI.

OTHONIS CARDINALIS AUGUSTANI (1).

Ex fasciculo Epistolarum A. Schurii pag. 335.

Reverendo & Magnifico D. Viglio Zuichemo, Præsidenti in Brabantia, amico nostro syncerè dilecto.

Amicitiam suam cum adolescentia natam amanter conteſtatur. Solatur Viglium, quòd ob Religionis negotium indignè in Belgio habeatur, atque ut Ecclesiæ causam tueri pergat, præclaris verbis hortatur. Postulat sibi Canonistam reperiri, qui celebrandæ per Cardinalem Synodi negotia promoveat. 1566.

REverende ac magnifice Amice nobis syncerè dilecte. Non potest nobis non jocunda esse memoria ejus consuetudinis, quæ primùm Dolæ, & Patavii, communium studiorum

neata continent. Defectus tamen aliquod notavit *Viglius* cùm illos ad Regem transmisit. Porro obiit *Jacobus* Coloniæ anno 1575. ubi magistratus libros suos *Philippi II.* impensis tot annis elaboratos in suam recepit custodiam: pro quibus ipse sollicitus ad magistratum scripsit, magni interesse judicans, ne opus illud singulare deperiret, aut a quoquam interciperetur. Quin imo intelligens, apud mulierculam quamdam Mechlinensem, ejus uxorem seu concubinam, servari minutas formularum ab ipso delineatarum, dedit operam *Viglius*, ut, sub promisso (Regio nomine) honorario, in manus suas illæ venirent, quòd omnino curandum censeret ne in alienas manus exempla ulla inciderent, unde possent alia exsculpi. Redemptum proinde opus ejusque minutæ, in Hispaniam missa sunt. Hæc omnia a *Valerio Andrea* & ab ejus continuatore nupero *J. F. Foppens* ignorata, habes in *Viglii* epistolis ad *Hopperum* CCXLIX. CCLI. CCLIII. CCLVI. CCLVII. & CCLIX.

(1) *Othonis Cardinalis Augustani*] „De hoc præsule scribit „ad nepotem *Buchonem Aytanum Viglius Zuichemus* III. Idus „Majas M. D. LXXI. CARDINALEM Augustanum, qui ab in-

rum ergo, deinde Auguſtæ & Wormatiæ in curandis imperii negotiis, inter nos maxima conjunctiſſimaque fuit. Et acceſſerunt præſtantes D. V. virtutes, quæ noſtram, in veterem & ſingularem amicum benevolentiam, majorem in modum tot annis meritò adauxerunt. Quare committere non poſſumus, quin hoc etiam ſcripto teſtemur, ardenti & conſtanti nos animo eam colere, & perpetuam, quam inter nos confirmatam habemus, neceſſitudinem atque conjunctionem. Illud verò permoleſtè ſanè accidit nobis, quod intelligimus D. V. poſt tot, tamque præclara benefacta & merita, quæ in veteri ſyncera Catholica, & unicè ſalutari religione noſtra, tum conſervanda, tum vindicanda, multis jam annis ſumma cum laude convocavit, ab ingratis ac impiis hominibus malam iſthic gratiam referre, indigniſque modis excipi. Verùm haud dubiè videt D. V. uti ſapientiſſimum atque conſtantiſſimum veræ fidei, veterisque pietatis aſſertorem decet, bonis bonorum conatibus adverſari ſemper mundi principem, & eccleſiæ hoſtem infenſiſſimum Sathanam: qui tum per ſe, tum per ſatellites ſuos, ſi antehac unquam, nunc vel maxime perſequitur ac vexat præcipuos quosque fidei propugnatores, a quibus nova impietatis & perfidiæ, hodie graſſantis,

„ ineunte ætate benevolum erga me animum præ ſe tulit, „ præcipue ut colas hortor: eſt enim ut optimus piiſſimuſque „ vir, ita noſtræ nationis amantiſſimus: cujus parens multis „ annis in conſilio adminiſtrationeque Friſiæ olim ſumma amicitia familiaritateque conjunctus fuit. Fuit autem *Otho* Cardinalis Auguſtanus e Truchſeſiorum genere prognatus. Nepotem „ ex fratre habuit *Gebhardum* Truchſeſium, Imperii Septemvirum, Epiſcopum Colonienſem: qui *Agnetis* Mansfeldiæ „ amore captus, abjectis infulis, nuptias celebravit: atque ob „ id Principali quoque dignitate exutus, *Erneſto* Bavaro in locum ſuffecto, ipſe in Bataviam, turpi inuſta familiæ nota, „ exul abiit. Quæ res Colonienſis belli anno M. D. LXXXIV. „ quo hæc geſta ſunt, occaſio fuit." *A. Schurius in faſc. epiſt.* p. 338. Quæ hîc adducitur *Viglii* ad nepotem *Buchonem* epiſtola, a nobis deſideratur: & pertinet ad *Quartum librum epiſtolarum . . . ad an.* 1560. *uſque ad finem anni* 1573. qui in Collegio Vigliano Lovanii non reperitur. Latet forte in Hollandia apud privatum quemdam, qui *Andreæ Schurii* ſchedas poſſidet.

tis, ſtudia profligari & extingui animadvertit. Quare etſi cohortatione noſtra non egeat pietas veſtra, non poſſumus tamen non amanter petere, ſedulòque rogare, ut D. V. in præclaro hoc ſummèque laudato de ſancta matre noſtra Eccleſia benemerendi ſtudio, perduret fortiter: atque propter communem Chriſti & Eccleſiæ cauſam, nullis aut injuriis aut calumniis improborum ſe vinci ac deterreri patiatur, quo minus neceſſarium hunc Religionis noſtræ tuendæ & ornandæ zelum, quem hucuſque attulit, domi & foris continenter declaret, ſeque ſummis interim & æternis illis conſoletur præmiis, quæ Chriſto promittente, patientes propter juſtitiam certò ſunt accepturi. Poſtremò D. V. latere nolumus, in animo nobis eſſe, ut proximo menſe Octobri, ſi Chriſtus faveat, Synodum in Eccleſia noſtra celebremus. Ad eam rem indigeremus bono, docto & perito Canoniſta, qui duobus aut tribus menſibus, imò fortaſſe diutius in aula noſtra coram adeſſet, ſuisque conſiliis non modò dictæ Synodi, ſed etiam Eccleſiæ noſtræ negotia promoveret. Quare D. V. in primis oramus, ut ſuam nobis operam præbeat in hujusmodi jureperito, ſive ſit Licentiatus ille, ſive Doctor, inveniendo: cùm in vicinis quidem Civitatibus, diœceſibus & gymnaſiis, complures ejusmodi ſoleant reperiri. Nihil autem nobis erit gratius, quàm primo quoque tempore literis D. V. per veredarium publicum ad nos datis intelligere, quid de illo ſperare nobisque promittere poſſimus, ut è veſtigio de ſumptibus, cum eodem agi, firmiterque aliquid concludi curemus. Nos viciſſim, quacumque ratione potuerimus, D. V. gratificari, & in omni officio ſynceram declarare amicitiam, ex animo deſideramus: qui magnam ex eo capimus voluptatem, quod D. V. jam in eccleſiaſticum ordinem cooptatam (2) & veluti lumen in medio tenebrarum iſthic effulgere, ad magnam Dei gloriam & Eccleſiæ utilitatem, intelligamus. Datum in arce noſtra Dilinga, die Sanctorum martyrum Abdon & Senonis anno Domini M. D. LXVI. C. D. V. Ex animo amicus

OTHO *Cardinalis Auguſtanus.*

(2) *In eccleſiaſticum ordinem* &c. *Viglius* Sacerdos initiatus eſt an. 1562. *V. Vitam N. LXXIX.*

EPISTOLA CLXXII.

Ex fasciculo epistolarum A. Schurii pag. 334.

F. CARDINALIS ALCIATI (1).

Magnifico & excellenti Viro, uti fratri carissimo, domino Viglio Zuichemo.

Bruxellam.

1568. *Alciati J. C. hæreditas potiore sui parte doctorum virorum necessitudo cum sit, Viglio benevolentiam suam defert, ac bene de eo merendi cupiditatem declarat.*

Vir ornatissime. Ut primùm adii *Alciati* nostri hæreditatem (2) cognovi ejus partem potiorem hæreditatis esse, bonorum doctorumque hominum necessitudines: quas ut ille vivens coluit multas diligentissimè, ita mihi moriens visus est nullius magis officii, quàm hujus commendatas partes reliquisse. At verò inter plurimos viros omni laude præstantes, quos ille habuit conjunctissimos, cùm te scirem esse unum inprimis, detuli tibi per literas, jam inde ab *Alciati*

(1) *F. Cardinalis Alciati*] Franciscus Alciatus, natione Italus, patria Mediolanensis, *Martini* nobilis Mediolanensis filius, *Andreæ Alciati* J. C. clarissimi imitator & gentilis, nec non cognatus, rogatu *S. Caroli Borromæi*, quem auditorem habuerat cùm Ticini jus doceret, a *Pio PP.* IV. die 12. Martii 1565. S. R. E. Diaconus Cardinalis creatus fuit. Obiit Romæ an. 1580. ætat suæ an. 58. Eximias hujus laudes *V. apud Ciacon. tom.* 3. *col.* 972.

(2) *Alciati nostri hæreditatem*] nempe ex testamento. *Andreas* enim instituit *Franciscum* magni spei adolescentem & cognatum, sed propinquetate valde remotâ, hæredem universalem. Quanta hæc fuerit, nullibi occurrit, sed cum *Andreas* & pecuniæ avidior fuerit, & magna ubique meruerit stipendia, non exigua fuisse videtur ejus hæreditas. *V. Baylium in Dict. hist. crit. Niceron. tom.* 32. *aliosque.*

Alciati obitu (3) Ticini ſcriptas, meam benevolentiam, ac ſtudium univerſum: quibus tu literis, opinor magnis diſtrictus occupationibus, aut quòd minimè neceſſarium duxeris, cùm nihil reſcripſeris: fuit ab hoc quidem genere officii inops mea in te benevolentia: ſed tamen ardenti in te tuaque commoda affluens cupiditate. Quod & tui hic prō-curatores non omnino numquam cognoverunt: & ut poſtremò tu nunc cognoſceres ex *Granvelani* Cardinalis ampliſſimi literis, fuit ſanè mihi gratiſſimum. Non quòd neſciam me in rebus tuis nihil præter ſtudium, ac diligentiam, præſtitiſſe: ſed quòd idipſum confirmari tibi, ſummi teſtimonio viri, permagni intereſt ad eam declarandam, quam jam dudum factis teſtari cupio, incredibilem erga te voluntatem meam. Quod ſi ullo umquam tempore conſequi potero, explevero meam bene merendi de te cupiditatem, tuæ non modò virtuti, ac doctrinæ præſtanti, ſed ſummæ etiam cum *Alciato* neceſſitudini debitam. Cura ut valeas, ac mihi in amore par ſis. Roma. Nonis Junii M. D. LXVIII. Excellentiæ veſtræ uti Frater amantiſſimus.

F. Cardinalis ALCIATUS.

EPISTOLA CLXXIII.

Ex faſciculo epiſtolarum A. Schurii pag. 340.

FREDERICI ARCHIEPISCOPI TRAJECTENSIS.

Clariſſimo Domino præſidi Viglio.

De tribus Catalogis librorum prohibitorum ab Duce Albano ad ejus cenſuram transmiſſis, varium præſulis judicium, eleganter propoſitum. 1569.

CLariſſime Præſes, idemque modis omnibus reverende, & inclyte Domine Præpoſite. Vetus dictum eſt, *Quam quis-*

(3) *Ab Alciati obitu*] qui contigit pridie Idûs Januarii 1550. cùm vixiſſet annos 56. menſes octo, dies quatuor. De quibus

quisque novit, in hac se exerceat arte. Equidem professione Jurisconsultus literas sacras utcumque delibavi, non ad confutandos convincendosve hæreticos, aut ut de illis mihi censuram vindicarem: sed ut verum divinæ legis & genuinum intellectum assecutus, tum meæ, tum aliorum consulerem saluti. Proinde non potui, ut par erat, obire provinciam ab Illustrissimo Duce mihi demandatam. Ne tamen immorigerus omnino, aut refugus viderer, id quod potui, obiter præstiti, juxta inclusum his exemplar, obnixè rogans, ut adjunctas litteras Illustrissimæ ejus Excellentiæ reddendas curare digneris. Mihi sanè vehementer cordi est, ut nova quapiam gratitudine veterum tuorum erga me beneficiorum meritorumque memoriam renovare possim. Cujus rei occasionem omnibus modis, ne præterfluat, complectar opitulante fortunanteque Christo, qui reverendam & inclytam Claritudinem vestram prosperet & sospitet in omnibus. Ex Duerstede 28. Junii anno 1569. Claritudinis vestræ reverendæ deditissimus Frater, ad omnia promptissimus

FREDERICUS *Archiepiscopus Trajectensis.*

Exemplar literarum
ad Illustrissimum Ducem Albanum.

Scribit *Plutarchus*, Illustrissime Dux, Heros inclytissime, chorum Lacedemoniorum fuisse trifidum, nempe senum, puerorum & juvenum. Canebant autem senes, se quondam robustos

bus jam dubitari non debet (quidquid alibi dixerim) cùm hæc legantur in epitaphio a *Francisco* Cardinali in marmore scripto, apud *Ciaccon.* cit. Quid igitur de chronica inscriptione, quam Papiæ seu Ticini in D. Epiphanii templo exstare contendit *Guil. Budæus in Thanatologia p.* 224. juxta quam obitus ejus anno uno retardatur, nempe ad an. 1551. his verbis:

IVra IaCent, strepItVsqVe forI, LegesqVe saLVbres,
CVr? IaCet AnDreas DVX & ApoLLo foRI

Rem in medio relinquo.

robuſtos fuiſſe juvenes: pueri verò, ſe futuros longè his robuſtiores occinebant: juvenum verò chorus, ſe jam id eſſe pangebat, quod vel illi fuiſſent, vel hi ſe futuros ſperarent. Ego ſanè priori choro jam dudum ſum aggregatus: & ſi quid aliquando roboris habuit vel ingenium, vel judicium, jam ætate penè totum emarcuit. Nam, ut inquit ille, *Omnia fert ætas, animum quoque*: & non ſolum memoriam theſaurum eloquentiæ, ut *Fabius* ait, ſed omnium diſciplinarum quoque promptuarium aufert: vigorem animi tollit: mentis alacritatem pellit: denique ſenſuum omnium vivacitatem & perſpicuitatem peſſumdat. Succedit his triſtitia, morborum omne genus, & pondus illud grave, quod apud Comicum videre eſt: ſcilicet onus annorum ſexaginta quatuor, quos ego jam pridem ſupergreſſus, credere cogor, ſenectutis onus vel Ethna gravius eſſe, id quod relatum eſt apud *Ciceronem*. Quum hæc in me ipſo quàm velim experiar veriora, magnum impedimentum præſtant, quo minus cenſuram eam, quam a me Ducalis veſtra Excellentia ſuis literis, decima octava præteriti menſis Maii exaratis, ſuper trini catalogi libris a me flagitavit, impendere queam: Sed omnium maximè, quòd juris utriusque diſciplinam ab ineunte ætate complexus, rem theologicam ab ipſis fidei Catholicæ fontibus, non è lacunis ſiccisque hæreticorum ciſternis, hauriendam mihi eſſe in animum ſemper induxerim: quo fit, ut prælibati catalogi libros non evolverim, ſed a Doctoribus eccleſiaſticis pependerim perpetuò, velut nauta Sidonius a cynoſura. Negabat *Tullius* lecturum ſe poëtas lyricos, etiamſi duplicaretur ætas: eadem & mihi ſedet ſententia de legendis eorum libris, qui ab orthodoxa noſtra fide delirant. Scio claros quoſdam profeſſione theologos palam teſtari, ſe magis trahi ad ſolidam atque genuinam ſcripturarum tractationem, quàm ut ſe exerant contra hæreticos. Mecum profecto pulchre deciditur, in hac degente ſenecta, ſi concreditum mihi gregem genuino ſacrarum literarum pabulo, non aliunde quàm e veteribus & catholicis auctoribus conquiſito, paſcere queam: ad quod omnem ſenilis animi vim, induſtriam, operam, aſſiduumque laborem, mihi conferendum puto. Ut ut hæc ſe habeant, ne tamen vel prorſus tanti herois detrectaſſe juſſa, vel ne pilos quidem caprinos ad ta-

bernaculum (1) Domini conferre videar voluiſſe, pro moduli mei captu rem imis labiis delibabo, fiducia ea, quam Excellentia veſtra mihi indulſit, fretus. Sit igitur hæc regula perbrevis & methodica. Non ſolùm blaſphemias omnium hæreſiarcharum, quorum nomenclaturam complectitur regula ſecunda Indicis, *Pii IV.* Pontificis maximi auctoritate confecti, ſed etiam libros eorum, qui poſt annum decimum quintum reſtitutæ ſalutis ſupra milleſimum quingenteſimum, extra unitatem Catholicæ fidei ſe conſtituentes, ſcripſerunt diſſona ab univerſalis Eccleſiæ decretis, circa materias hic mox ſubſequentes, penitus abjiciendos, eliminandos ac abolendos eſſe: videlicet qui ſcripſerunt,

De Peccato originali.
De Fide & Juſtificatione.
De Prædeſtinatione.
De libero arbitrio.
De Sacramento Baptiſmi.
De Sacramento Confirmationis Baptizatorum.
De Sacræ Euchariſtiæ Sacramento..
De Communione ſub utraque ſpecie.
De Sacrificio Miſſæ.
De Sacramento extremæ Unctionis.
De Sacramento Pœnitentiæ.
De Sacramento Ordinis.
De Sacramento Matrimonii.
De Purgatorio.
De Reliquiis, & veneratione Sanctorum.
De Sacris imaginibus abolendis.
De Votis monaſticis.
De Indulgentiis.
De Ceremoniis, & ritibus Eccleſiæ.
De Jejuniis.
De Ciborum delectu.
De abrogandis Feſtis.
De Juriſdictione laicorum in Clericos.

In libris autem illis, qui non ex profeſſo tendunt ad ſcopum

(1) *Ne pilos quidem caprinos ad* &c. Deſumptum eſt ex *Exodo* cap. 25. v. 4. v. cap. 35. v. 25. & 26.

ſcopum hæreſis, ſeu thema pravi dogmatis, ſed aliqua forſan in medio orationis curſu incidunt, hæreſim aut impietatem ſpectantia, ſervetur id, quod habet regula octava Indicis præfati. *De certorum auctorum libris prohibitis.* Cur autem in alio Indice cenſeantur vetitæ lectionis eſſe Imperatorum & Cæſarum Vitæ, ſatis equidem non aſſequor. Nam ſi id contigit ob improba quædam Imperatorum vel dicta vel facta, cur non e diverſo reſpectus habetur ad multorum Cæſarum nunquam ſatis laudatas virtutes, & eas quidem imitatione digniſſimas: qui non ſolùm verbis, ſed rebus ipſis, Chriſtianiſſimos ſe fuiſſe, ſanctoſque pietatis cultores, palam evincunt? Quot malorum impiorumque regum, ac hominum peſſima exempla Libri bibliaci produnt? Et tamen ob id illos exploſit nemo. Si verò id factum eſt, quòd vel Imperatores, vel eorum vitæ deſcriptores, non ſemper ſteterint pro dignitate a Clero, eorumve Conſtitutionibus, jam magna voluminum jureconſultorum pars exulabit: præcipuè *Joannis Petri de Serraviis, Cyni, Baldi, & Angeli Peruſini:* & apud Canoniſtas Abbatis Siculi, poſtea Archiepiſcopi Panormitani: qui liberiùs de his nonnunquam locuti, nunquam tamen ob id exterminati fuêre. Si denique hoc evenit abolendæ concertationis ergò, quæ fuit inter Sacerdotium & Imperium, profecto res ea tam multorum libris, etiam hiſtoriam non ſcribentium vulgata eſt, ut vix unquam antiquari poſſe videatur illius memoria: quamquam hîc parum videatur eſſe periculi, invento contra hunc morbum antidoto. Nam *Marſilio* illi *Patavino* (2) qui in hoc argumenti genere pro Imperio contra Sacerdotium mirè ſibi placet, abunde reſponſum eſt per orthodoxos: præſertim acutè per Dominum *Albertum*

(2) *Marſilio illi Patavino*] Scripſit librum cui titulus: *Defenſor pacis, ſive de poteſtate Papæ & Imperatoris* in folio 1515. *Idem* in octavo Francofurti 1592. *Idem* ſub titulo: *Legiſlator de jurisdictione Pontificis Romani & Imperatoris per Patterſonium* in octavo 1613. Apud Goldaſtum Monarch. S. Rom. Imperii tom. 2. in fol. Francof. 1614. & 1621. habes *Marſilii Menandrini Patavini tractatum de tranſlatione Imperii.* Porro *Marſilius de Padua* in Indice Romano relatus eſt inter Auctores prohibitos primæ claſſis.

bertum Pighium (3) Campenſem, in libris de eccleſiaſtica hierarchia. Diſpunctus quoque videtur *Sebaſtianus Monſterus*, (4) qui Chronographiam ſuam inſcripſit Imperatori *Carolo* Quinto: opus varium, laborioſum, amœnum, & frugiferum lectu, quod præter multarum rerum cognitionem, provincias & urbes pleraſque graphicè nobis exhibet, cas in tabella depictas. Non memini me autem legiſſe quicquam in eo Catholicæ fidei adverſum, aut offendiculo reſperſum: niſi quod uno in loco laudes parum veras adſcribat Wittenbergenſibus. Denique *Moria* & *Lingua Deſiderii Eraſmi* Roterodami (5) (ſalva venia) nuſquam oppugnant dogmata Catholicæ

(3) *Per D. Albertum Pighium*] De hoc auctore, qui fuit præpoſitus S. Joannis Ultrajecti, Vide *Catal.* meum *præpoſitor.* & *decan. Ultraj.* Item *Niceronium tom.* 39. *a p.* 372. qui tamen de libris de *Hierarchia* hîc laudatis jejune loquitur, adeò ut illos ſibi viſos eſſe addubitem. En titulum: *Alberti Pighii Hierarchiæ Eccleſiaſticæ aſſertionum libri ſex: & componendorum diſſidiorum & ſarciendæ in Religione Concordiæ ratio.* in folio Coloniæ 1544. Item 1572. Opus tam polemicum, quàm canonicum. Libri III. IV. & V. ſpectant ad jus eccleſiaſticum, illuſque *Roccaberti* inſeruit *tomo* 1. *Bibliothecæ Max. Pontif.* Quintus liber præcipuè conſcriptus eſt contra *Defenſorem pacis Marſilii Patavini.* Ceterùm, quidquid *Schenckius* eos hîc libros extollat, memores nos eſſe oportet judicii quod tulit de illis ipſis ſapientiſſimus Cardinalis *Bona*, his verbis: *Albertus Pighius, vir acutiſſimi ingenii, theologus, philoſophus, & mathematicus peritiſſimus, ſed liber ejus* de Eccleſiaſtica Hierarchia *cautè legendus eſt, quòd non ſemper ſolidam tradat doctrinam.*

(4) *Sebaſtianus Monſterus*] potiùs *Munſterus.* „ Engelheimen„ ſis, Ordinis Franciſcani, quem olim Tubingæ profeſſus fue„ rat, deſertor, mathematicus & Coſmographus præſtans, „ Hebraicæque linguæ, cujus admodum peritus erat, Baſileæ „ profeſſor . . . mortuus eſt ex peſte (*an.* 1552.) vigeſimo ter„ tio Maii, ætatis anno ſexageſimo tertio," inquit *Spondan. ad an.* 1552. N. XX. *V. Guil. Budæi Thanatolog.* Nihil in illo auctore *legit Schenckius, offendiculo reſperſum.* Verùm non legerit omnia. *V. Sexti Senenſis bibl. Sanctam. lib.* 8. *hæres.* 13. Et ipſe *Sebaſtianus* inter auctores primæ claſſis prohibitos locum habet in *Ind. Rom.*

(5) *Moria & Lingua Eraſmi &c.* Utrumque opus prohibitum eſt in *Ind. Rom.*

licæ fidei: licet multo ſale defricent orbem. Videntur igitur poſſe tolerari propter ſermonis elegantiam & proprietatem; ſicut in antiquis ethnicorum libris, etiam obſcœnis, id permittit regula ſeptima Indicis, auctoritate præfati Pontificis conſcripti. (6) Videt Excellentia veſtra, Dux Illuſtriſſime, quæ pro opibus noſtris mœnia ſtruamus: non enim omnia poſſumus omnes: & vetus eſt proverbium, *Nequid ultra crepidam ſutor.* Super Decanatibus autem, qui curam animarum & parochialem habent annexam; reſtaurandis Delubris per Iconoclaſtas vel afflictis, vel everſis, nuper Excellentiæ veſtræ reſpondi, ut potui. Nunc verò negotium dedi Officiali meo, totam noſtram Diœceſim viſitaturo, ut de his exactè & diligenter inquirat. Vicarius quoque meus, unà cum ſuis collegis a Clero deputatis, totus eſt in Seminarii negotio. Cùm primùm licuerit, Excellentiam veſtram de cunctis reddam certiorem: quam Deus optimus maximus floreniſſimam, omniumque votorum compotem, fœlici longoque ſoſpitet ævò: cui me totum modis omnibus ſubmiſſè commendo. Ex Duerſtede 28. Junii anno 1569. (7).

EPI-

(6) „ Quin utinam abolitis omnino obſcœnis veterum poë-
„ tarum, aliorumque Gentilium libris, ea demum ſubſtituan-
„ tur *Eraſmi*, unde cum ſermonis nitore & elegantia, ſimul
„ hauriri Chriſtiana pietas poſſit: quorum in vaſtis magni
„ Viri voluminibus abunde ſatis eſt. Quæ ſi quis vir doctus
„ & orthodoxus ſeligere, atque in communem uſum edere
„ collecta vellet, fortaſſe non ineptè operam ſuam colloca-
„ ret. Nam quæ nunc recuduntur, & parantur nobis Opera
„ *Eraſmi*, nollem ab ea manu." *A. Scburius pag.* 347. Reſpicit ad noviſſimam, elegantiſſimamque editionem Lugduno-Batavam *Petri Van der Aa*, anno 1703. decem tomis in folio curatam a *Joanne Clerico*. De *Eraſmo* ejuſque ſcriptis varii varia. Videri poteſt *Spondan. ad an.* 1536. *N. XVII. & XVIII.*

(7) „ FREDERICUS *Schenck à Tautenborg*, primus fuit,
„ idemque ultimus, Trajectenſium Archiepiſcopus, a S. Willi-
„ brordo Epiſcopus ſexageſimus primus. Obiit Trajecti ad
„ Rhenum, anno Domini 1580. ætat. 75. aut 76." *A. Scburius ibid.* In *hiſt. mea Eccleſ. Ultraj. p.* 8. *col.* 2. ſcripſi, eum ætatis an. 77. ac die 25. menſis Auguſti, (ſignato ab *Andrea Scburio anno*,) diem ultimum egiſſe. Cæterùm ejus verbis totus ſubſcribo, quantumvis reluctentur ſchiſmatici Ultrajecti-

EPISTOLA (1) CLXXIV.

CARDINALI GRANVELLANO.

1570. *Commendat Ludovicum Comitis Berlaymontii filium ad archiepiſcopatum Cameracenſem nominatum. Negotium ſuum proprium Cardinalis arbitrio permittit. Ducis Albani nomen unde odioſum? Vargæ iracunda violentaque conſilia, ſine quibus Dux foret laudandus. De ſucceſſoris manſuetudine bene ſperat. In quas hic difficultates incurret? Cardinalis reditum poſcunt omnes. Fonckius in ſecretum Conſilium cooptandus. Blaſerius ad Burgundiam viſitandam miſſus, ubi Biſontini ab antiqua religione defecturi timentur.*

CUm Dominus *a Barlemont* curſorem ſe Romam verſus mittere indicaſſet, nolui occaſionem omittere literis meis Illuſtriſſimam D. V. ſalutandi: & licet ſummo favore negotium filii ejus eamdem proſequi nihil addubitem, tamen quod facit, lubentius ut faciat, deprecandi. Etenim eſt ille jam non juvenis, ſed vir, qui plurimam de ſe ſpem omnibus promittit. Quod autem ad meum negotium (2) pertinet, id eò ex proximis Ill.^mæ D. V. literis deductum intellexi, ut

ni, qui ſymmyſtæ ſuo non aſſentiuntur. Sed de his aliàs. Subjicit *Schurius* ſequentia: „ In dorſo epiſtolæ hæc erat Epigra„ phe: *Clariſſimo Viro, & modis omnibus reverendo inclytoque Do„ mino, Præpoſito apud Divum Bavonem Gandavi, harum ditio„ num Præſidi conſulari ſummo, Domino ſuo plurimum obſervando, „ velutque Fratri chariſſimo.* Et ante hæc, manu ipſius præſu„ lis: *Clariſſimo Domino præſidi Viglio.*"

(1) Excerpta ex Codice mſ. epiſtolarum *Viglii* ad *Hopperum* poſt CXXII.

(2) Nempe de præpoſitura S. Bavonis Gandavi, quod explicui ad *Teſtamentum Viglii.*

ut nihil ſuperſit, quàm ut ſuper taxæ moderatione Illma D. V. ſuum (uti rogavi) arbitrium interponat. Succeſſor Ill^mi Ducis quando adventurus ſit, adhuc incertum eſt. Et ego ſane deſiderarem, ut nonnulla quæ pro confirmanda Regiæ Majeſtatis auctoritate hîc non male inchoata videbantur, ante abitum ſuum ad felicem finem perduxiſſet: quæ ſucceſſorem vereor difficulter perfecturum eſſe. Reddidit autem nomen ejus apud vicinos ac pleroſque intraneos non parum odioſum, tot jam annis continuata, adverſus eos qui proximo tumultuum tempore, vel ſui officii obliti ſunt, vel illud parum ſedulo præſtiterunt, perſecutio. Et quamquam contributiones ſint graves, langueſcentibus ubique commertiis, attamen multo graviores exiſtunt querimoniæ de militum nimium licentioſa indiſcretaque vivendi diſſolutione, qua illos moderatius uti plerique optaſſent. *Vargæ* autem iracunda violentaque conſilia ab ipſo initio judicavi terrorem timoremque quidem populo incuſſura, ſed ad res conſtabiliendas parum profectura: ac ſine hiſce profecto nevis ipſius Ducis adminiſtratio multo gratior fuiſſet. Eſt enim princeps qui prudentia rerumque experientia ac facundia vix parem habeat. De ſucceſſoris autem manſuetudine ac humanitate omnia bona nobis promittunt, qualem & ego eum apud Gravelingam cognovi: ſed magnas ei difficultates præbebit ærarii anguſtia, provincialiumque paupertas, ac proximæ inundationis calamitas. In tanto autem vicinorum odio, perpetuiſque exulum ac rebellium noſtrorum inſidiis, terraque ac mari deprædationibus, multum vereor ut ſine *Thæſeo* ſpartam hanc tueri nequeat: Illuſtriſſimæque D. V. reditum (de quo multus hîc eſt ſermo) omnibus votis populus noſter expoſcit. De *Fonckio* in ſecretum Conſilium cooptando Rex tandem reſcripſit, pluresque conquiri juſſit, qui ei Collegio adjungantur, quod jam pene ad triarios redierat. Quod nepotibus meis ſolitum favorem humanitatemque Illma D. V. tam benigne offerat, immenſas habeo gratias. Ipſos autem ſalvos Ticinum adveniſſe intellexi, proximaque Quadrageſima ad eamdem ſalutandam Romam adire conſtituerunt. *Blaſerius* (3) jam pridem in Burgundiam abiit, ſed quodnam prin-

(3) *Meſſire Jean de Blaeſere, Chevalier, cidevant Conſeiller du Conſeil Provincial en Flandre, ſucceda (au Grand Conſeil) a Meſ-*

ſire

principium visitationi commisse cum collega suo dederit, adhuc ignoramus. Vereor autem ne difficulter finem illi ante Ducis hinc discessum imponere valeant, & si non major ex ea resultabit utilitas, quàm olim ex Brabantica, ei superfediſſe præstasset. Dolenter autem intelligo, Bisontinos ad sinistram declinare, multumque per quosdam sollicitari ut ab antiqua religione inveterataque Burgundionum amicitia discedant, quorum technæ, si effectum sortirentur, non levia inde mala non modo ipsi Civitati Bisontinæ, sed toti Comitatui nonnulli eventura augurantur. Deus [illegible] D. V. incolumem diu conservet. Bruxellæ x. Decembris 1570.

Ex fasciculo epistolarum A. Schurii p. 338.

EPISTOLA CLXXV.

OTHONIS CARDINALIS AUGUSTANI.

Otho Truchses de Waldburg S. R. E. Episcopus Cardinalis * * * Reuerendo D. Domino Viglio * S. P.

1571. *Occasione nepotis Archidiaconi Iprensis, Roma in Belgium revertentis, commendat rem quamdam suam.*

REVERENDE ac Magnifice, nobis syncerè dilecte, salutem ac benevolentiam nostram. Pergratum nobis accidit, quod reverendum & ornatissimum Virum *D. Buchonem* Zuichemum, Iprensis Ecclesiæ Archidiaconum, consangui-

sire Laurent de Grebovál par lettres patentes du 18. *Decembre* 1562. *Il fut en apres Président du Conseil Provincial de Flandre.* Butkens supplement. tom. 2. p.[a] 315. Erat Gandavo ortus. Anno 1566. Tornacum missus fuit cum *Christophoro Affonvillio* ad comprimendos ibi seditiosos templis & imaginibus inhiantes. Anno 1568. in Consilium turbarum ab *Albano* adscitus, anno 1582. Præses Flandriæ renuntiatus est. *Ex Schedis J. F. Foppens.*

guineum tuum hîc noverimus: atque ipſi quapiam in re commodare poſſe cupiviſſemus. Ei verò hinc proficiſcenti iſtud ad te literarum dare voluimus, ut tecum perveteris noſtræ neceſſitudinis non ſine animi noſtri voluptate mentionem haberemus, atque ipſi operam & officia noſtra quæcumque deferremus, ſicuti quidem libenter facimus. Quemadmodum (1) autem res noſtræ hactenus ſucceſſerint, quales nos erga *Caroli Quinti* auguſtæ memoriæ partes ſemper præſtiterimus, quamve facultatum jacturam (2) non tamen ingratam, bella ipſa & inſitum conſervandæ avitæ religionis ſtudium, nobis attulerint, te nonnihil ſaltem antea intellexiſſe exiſtimamus: nuncque fuſiùs accipere poteris, tum ex ipſo Domino Archidiacono, cùm ex ſcriptis & inſtructionibus, quas noſtra ſuaſit amicitia, ut ad te cum fiducia mitteremus, ſperanteſque, ac etiam, ſi pateris, rogantes, ut rem noſtram, ubi ferat occaſio, juvare velis, juxta ea quæ verbis noſtris D. Archidiaconus vobis explicabit. Noſque ſedulò operam dabimus, ut te amicum benevolum & gratum beneficio devinxiſſe intelligas. Intereaque id tibi perſuaſum habeas velimus, nos ad mutua quævis officia ſemper pro te ita paratos ac promptos eſſe, ut a te nihil amplius ex nobis optari poſſit. Valè. Romæ. Idibus Auguſti M. D. LXXI. R. D. V. ex animo deditiſſimus Frater

OTHO *Cardinalis Auguſtanus.*

(1) *Quemadmodum*] *Quamobrem*, erat in Antigrapho. Sed mendum eſſe, manifeſte arguit orationis contextus. *A. Schurius.*

(2) *Facultatum jacturam*] Magnam ſanè paſſus eſt *Otho* a *Mauritio* Saxone & *Alberto* Brandenburgico Proteſtantium ducibus anno 1552. in Cæſarem moventibus; qui Kal. April. Auguſtâ occupatâ, totâque fere dioceſi potiti, *Carolum* Œni ponte ejecerunt, ubi *Ferdinandi* quidem Regis ac civium bonis pepercerunt: „ quicquid verò rerum Imperatoris, Hiſpa„ norum & Cardinalis Auguſtani, ultra modum fœderatis in„ viſi, repertum, eſt, direptum fuit" inquit *Spondan.* ad hunc annum N. VII. in fin. Idem *Pont. Heut. rer. Auſtr. lib.* 13. *cap.* 15.

EPISTOLA CLXXVI (1).

CARDINALI GRANVELLANO.

1575. *De rebus Hollandicis, Zelandicisque nihil læti nuntiare potest. Chappini Vitellii obitus. Nonnulli Status Antverpiam convocati. Pecuniæ inopia. Remedia ex Hispania promissa, & ab Hoppero aliisve perferenda. Tisnacquio Successor datus Arnoldus Sasbout.*

ILlustrissime & Revme Dne. Expectavimus jampridem lectum nuncium de felici Illmæ D. V. reditu in urbem, meritoque inter tot accurrentium congratulationumque voces, officio nostro, pro eo amore affectuque quo eandem amplexi veneratique semper sumus, deesse non debemus, speraveramusque læti aliquid nos hinc vobis potuisse significare de Reipublicæ nostræ statu ad meliorem aliquam spem reverrente. Et quidem sydus aliquod melius aliquamdiu nobis illuxit, sed prope triumphum ante victoriam cecinimus. Nam neque apud Hollandos fortunam, quæ nobis arridebat, prosequi licuit ob *Hiergii* * adversam valetudinem, stipendiorumque non solutorum intempestivam militum quiritationem. Ac alia ex parte, cùm insulas Zelandiæ nostri tenta

* *Egidius Berlaymontius, militarium tormentorum præfectus.*

(1) *Epistola* CLXXVI.] Hæc & tres proximè sequentes, non ex codice quodam, prout epistolæ selectæ hucusque, sed ex dissolutis foliis descriptæ sunt, quæ eadem manu exarata videntur qua minutæ epistolarum ad *Hopperum*. Quibus foliis, alia manu adscripta sunt hæc verba: *Epistola Dni Viglii ad Cardinalem Granvellanum. Et ceciderunt ex libro quodam singulari per* . . . . . Unde conjecto hæc folia decidisse *ex libro minutarum Domini Viglii Zuichemi ad Illustrissimum Dominum Cardinalem Granvellanum a mense Januario* 1566. *usque ad finem Februarii* 1576. quem in præfatione, deperditum dixi, ac doleo.

terra marique fortiter invasissent, ac propugnacula quædam cepissent hostium, Scauniamque (2) insulam occupassent, ante Xirixeam nostræ copiæ subsiterunt, multis ex nostris militibus, morbis, aliisque incommodis affectis, ut vix ad obsidionem continuandam milites in castris retineri queant. Unde *Chappinus* quoque *Vitellius* (3) ex cujus consilio & auctoritate res bellicæ potissimum dirigebantur, ob adversam valetudinem redire coactus, in reditu animam efflavit. Ac paulo post Gubernator noster (4) Antverpiam quoque reversus, ibi evocatis nonnullis Statibus, provinciarumque Gubernatoribus, super rebus agendis deliberat. Maxime autem nos premit rei pecuniariæ inopia, cùm nostri milites longius ob stipendia non soluta, ab direptione subditorum contineri nequeant, graviterque conqueritur Ex^tia sua de Regio adversus Genuenses edicto, quo interrupta mercatoribus fides data creditum pene amisit. Conceperamus tamen aliquam spem, quod ab Rege, *Hopperoque* nostro, ac nonnullis aliis scriptum ad nos fuit, Maj^tem suam vera illa remedia, quæ tam diu in Hispania sub incude fuerunt, tandem resolvisse, mittique nonnullos a Maj^te sua commissarios, inter quos *Hopperum* quoque quidam nominant, qui mandata ea perferat, quæ hactenus tam diu a nobis desiderata fuerunt. Nondum autem rescire nobis licuit, unde solidam aliquam spem concipere possimus, & quidam quoque refrixisse eam legationem ajunt, ubi in Hispaniis de rerum Zelandicarum

(2) *Scauniamque*] Intellige Schaldiam insulam, vulgo *Schouwen*, a Schaldi fluvio, quæ quinta est insula Zelandiæ septem milliaria in ambitu complexa, in qua urbes duæ Ziriczea & Brouwershavia. *Vol. Andr. in topograph. Belg.*

(3) *Chappinus Vitellius*] seu *Chiappinus Vitellius*, Cetonæ marchio, generalis castrorum præfectus, Tiphernæ (*Città di Castello*) in Umbria natus, dum obsidioni Ziricxeanæ perintentus huc atque illuc, adhuc recens a morbo, gestatur, sella forte (an dolo?) eversa ex aggere decidens, repente exanimatus, paulo post mortem obiit. *Vide Stradam Dec. 1. lib. 8. ad an. 1575.*

(4) *Gubernator noster*] Ludovicus Requesenius magnus Castellæ Commendator.

rum ſucceſſu vana illis ſpes facta fuit. Mihi autem privatim hoc boni accidit, quod tandem ab Rege impetravimus, ut ſucceſſorem Dno *Tyſnaco* (5) (piæ memoriæ) poſt triennium pene deſignarit D. videlicet *Arnoldum Sasbout* (6) Geldriæ Cancellarium, virum ſane probum, doctum, & prudentem, qui me unâ parte laborum, & cuſtodia ſigillorum, vicariatuque quem interea ſuſtinere coactus ſum, exonerabit: quamquam enixiſſime deprecatus fueram, ut cùm amplius domo cubiculove exire, curiæque obire negotia nequeam, hoc inani titulo Præſidis conſilii Status exonerarer, quod nondum impetrare potui. Præſidis Flandriæ dignitas Dno *Guilielmo Pamelio* (7) collata fuit, præterito *Blaſerio* (8) qui ad majora (ni fallor) reſervatur. Quidam quoque *Bouterſius* (9) ex commendatione, ut audio, Gubernatoris Burgundiæ, cooptatus ibidem eſt in Præſidem. Et de aliquot in ſecretum conſilium allegandis deliberari audio, faxit Deus ut conſilio illi bene provideatur. In Atrebatenſis Epiſcopi locum adhuc Majᵗᵃˢ ſua perſiſtit, ut Abbas Sᵗⁱ Giſleni promoveatur, retenta aliqua penſione ſuper eadem Abbatia. Senatus Burgundiæ huc ad Gubernatorem miſit *Boiſetum* conſiliarium, ut de quibuſdam negotiis, provinciam eam auctoritatemque ejus concernentibus, ad Exᵗⁱᵃᵐ ſuam referret, qui expeditus eò remittitur. De ſententia quorumdam ſenatorum circa edicta Religionis, plurimùm uti par fuit Scandalizata fuit Exᵗⁱᵃ ſua, ac *Cripio*, qui eò miſſus fuit ut *Blaſerio* aſſiſteret, mandatum dedit, de eo ſerio inquirendi De Statuum

(5) *Dno Tyſnaco*] Carolus Tiſnacq præſes fuit Conſilii privati, de quo dixi in Not. ad Vitam N. XCIV.

(6) *Arnoldum Sasbout*.] V. notas ad Epiſt. Viglii ad Hopperum XXIX. & CCLX.

(7) *Guilelmo Pamelio*] V. ad Epiſt. CXCVII. ad Hopperum.

(8) *Blaſerio*] Joanne. Vide epiſtolam proxime præcedentem. Hic dicitur *ad majora reſervatus*. Nempe in Hiſpaniam miſſus, ſupremi ibi Conſilii rerum Belgicarum aſſeſſor fuit, unde in Belgium redux, præſes Flandriæ, & *Guilielmi Pamelii* ſucceſſor fuit. V. *Sand. Flandr. tom.* 1. *p.* 171.

(9) *Bouterſius*] Nullibi occurrit. Et difficile intellectu eſt, quod hic legitur.

Statuum autem convocatione ibidem nihil reſcivi, niſi re jam decreta; nec ceſſavi admonere eos, qui apud Gubernatorem ſunt, quàm ſemper diverſum hic viſum fuerit. Deus concedat ut melius opinione noſtra res ea ſuccedat. Genuenſium diſcordia importune in hoc tempus incidit, veremurque ne Gallicæ pacis faba in noſtrum caput cudatur, non deſunt enim, qui, quod Admiralius olim contra hanc provinciam machinabatur, effectui tradere geſtiant, ac id omni ſtudio contendit Auraicenſis ejuſque factionis conjurati. Dnus Præpoſitus *Morillon*, *Bironiuſque* nondum huc rediere ex monaſterio S^ti^ Amandi. Deus Ill^am^ D. V. in multos annos incolumem conſervet. Bruxellæ 5. Decembris 1575. Adjunxi hiſce exempla binarum literarum 4. & 24. Septembris datarum, quarum cùm mentionem nullam Rev. D. V. faciat, vereor ne ſatis fideliter vobis redditæ fuerint.

EPISTOLA CLXXVII.

CARDINALI GRANVELLANO.

Quare rarius ſcribat, cauſam adfert. Periculum a propriis militibus. Quorum adventu lactentur Belgæ. Gubernator infirma valetudine. Ipſe in morte ſolatium ponit. De ſtatu Conſilii privati. Principis Auraicenſis nova conjux gravida. D. a Champaigny legatus in Anglia. 1576.

Illuſtriſſime & Rev^me^ Dne. Literas Romæ D. V. xv. Januarii ad me datas, hiſce diebus accepi. Meæ autem cur tardius iſthuc pervenerint, ſatis ex illis intellexi. Neque gravarer crebrius Ill^am^ D. V. meis interpellare, ſi materia paulò plauſibilior præberetur, aut ea quæ hîc feruntur, geruntur que, certiores haberent ſucceſſus: unde ſubinde ve-

remur, ne quod hodie ſcribimus, ſequens dies vanum eſſe demonſtret. Fuimus ſiquidem ſuperioribus in aliquam meliorem ſpem erecti, ſed eventus non reſpondit, & quotidie deteriora ſequuntur. Ac a propriis militibus agrum paſſim depopulantibus, qui ob non ſoluta ſtipendia ſeditiones nobis movent, periculum nobis imminet, ut vix hic tuti ſimus. Interea autem Marchionis. *Haurechii* (1) ac *Hopperi* adventu lætamur, licet Gubernator noſter, ſe aut quemquam ſuorum, eorum quæ allaturi ſint, ignarum affirmet, jamque proverbium nobis occinitur: *parturiunt montes, naſcetur ridiculus mus.* Gubernator autem non ſatis firma valitudine præditus, rerumque adverſarum ſucceſſu tædio affectus, cœlum quoque ipſe mutare deſiderat, & intellexit dubio procul, noſtræ gentis humores contra nationis exteræ gubernationem, ſub qua pene in extremam ruinam collapſam ſe queritur; & hoc nomine valetudinis meæ diſpoſitio mihi minus gravis eſt, quòd non videam vel opera vel conſilio remedium afflictis rebus patriæ afferre me poſſe, ſed in morte ſolatium ponere deinceps cogor.

Præſes *Sasboutus* jam huc advenit, quem in meliora quoque tempora incidiſſe deſiderarem. Eſt enim uti ab omnibus audio, vir prudens, probuſque, ſed optaremus illi coadjutores aliquot dari, nam hic fere nullus ſupereſt, preter (2) *Indeveldium* & Præpoſitum *Fonchium*, cum *Aſſonvillius*

(1) *Marchionis Havrechii*] Carolus Croius, Marchio Havræus, Arſchoti Ducis frater, menſe Auguſto hujus anni ex Hiſpania advenit cum literis *Philippi* Regis ad ſenatum ſeu Conſilium Status, cui provinciarum adminiſtrationem Rex commiſerat, quibus brevi adfuturum ſpondebat *Joannem Auſtriacum* Belgii præfectum. Marchionis ad Senatum verba vulgò *Rapport*, dedit *Burrius lib. 9. fol. 163. vſo. prim. edit.* Porro *Hopperus* in Belgium numquam rediit, & in Hiſpania exceſſit e vita.

(2) *Indeveldium & præpoſitum Fonchium*] Nicolaus Micault Dominus d'Indevelde, & *Joannes Fonckius* præpoſitus B. M. Ultrajecti hic deſignantur, de quibus V. *Epiſt. ad Hopperum* CXIV. CC. & LXXXVII.

lius (3) rebus Status apud gubernatorem ferè intentus sit. Principis *Auriacensis* nova conjux (4) uterum ferre dicitur, ac ipse Hollandos, Zelandosque eò adduxit, ut apud Reginam Angliæ (cui se dedere omnino decreverunt) protectiones quærant, ac eo missus Dnus *a Champaignii* (5) in eorum consiliis disturbandis laborat: estque nobis ab Germanicis Gallicisque copiis non modicus metus, qui bonis maturisque consiliis facile aversi potuisse, plerisque persuasum est, nisi nos hîc nostris satis agitaremur. Hisce Illma D. V. omnem salutem prosperitatemque comprecor. Bruxellæ XXVI. Febr. 1576.

EPISTOLA CLXXVIII.

CARDINALI GRANVELLANO.

Significat mortem Commendatoris Ludovici Requesenii, Belgii gubernatoris generalis, petitque ut apud Regem intercedat, ut rebus Belgii sine mora provideat. 1576.

ILlustrissime ac Revme Dne. Dedi ad Illustriss. D. V. postremas litteras meas 26. Februarii, scripsique tum Gubernatorem nostrum non satis firma valetudine præditum, de cœlo mutando cogitare. Id autem re ipsâ confirmans cùm huc rediisset, morbo increscente, quinto hujus animam Deo reddidit, uti Ill^mam D. V. ex amicorum litteris plenius intellexisse

(3) *Assonvillius*] Christophorus ab Assonville. V. *Not. ad Comment. de x. den. n. XXXI.*

(4) *Auraicensis nova conjux*] Charlotta Borbonia, filia Ducis Monpenserii.

(5) *D. a Champaigny*] Fredericus Perenot de Granvelle, Cardinalis frater. V. *Epist. ad Hopper. CXXXVI.* & *Bor.* lib. 8. p. 133. prim. edit.

lexiſſe non dubito. Incidit autem hic caſus nobis tempore valde importuno, cum de Regis voluntate nihil adhuc reſciverimus, Marchione *Haurechii*, ac *Hoppero* noſtro adventum ſuum tardantibus, neque * quæ mandata deferant, ipſo Gubernatore penitus ignorante. Quod ipſum non parum anxit, ac interea hîc rebus parum ex ejus ſententia ſuccedentibus, & militibus ob ſtipendia non ſoluta ſeditionem paſſim moventibus, moleſtiæ illum tandem confecêre. Nos autem mox certiorem Regem fecimus, ac ſtatum miſerum calamitoſumque patriæ indicavimus: valdeque veremur, ne populum in officio ſatis continere poſſimus, & tædio rerum affecti, interea dum Regiæ Maj.tis voluntatem ac ſententiam preſtolamur, ne novæ mutationes nobis moveantur. Quamobrem Illuſtriſſ. D. V. enixiſſime rogamus, ut quantum poteſt apud Regiam Maj.tem intercedat, quo rebus noſtris ſine ulteriore mora provideat, conſulatque, ne in extremam, ruinam confuſionemque patriam noſtram corruere ſinat. Deus Illuſtriſſ. D. V. incolumem conſervet. Bruxellæ XII. Martii 1576.

* *lege*: atque.

EPISTOLA CLXXIX.

1576. ## CARDINALI GRANDVELLANO.

Poſt obitum Commendatoris res opinione quietiores. Adminiſtratio Belgii tributa Conſilio Status, in quod novi adlecti conſiliarii. De Hieronymo Roda. Conſilium Bellicum inſtitutum. Populus ad pacificationem adſpirat.

ILluſtriſſime ac Rev.me Dne. Scripſi nuper ad Illuſtriſſimam D. V. a morte Commendatoris ac Gubernatoris noſtri, poſt quam tranquillius quietiuſque res noſtræ hactenus ſucceſſerunt, quàm ſperare auſi fueramus. Et Regia quoque Ma-

Majtas attribuens auctoritatem administrationis harum provinciarum, donec de successore provideat, Consilio Statûs (1) utcumque populum subditosque placavit, ac in officio continuit. Erant autem ex nostratibus, qui ad præeminentiam aliquam aspirabant, sed cunctis in æquali gradu relictis, non data fuit contentionis aliqua occasio. Consilio autem Status ex antiquis solus Dux *Arschotensis* (2) *Berlaymontius* (3) & ego supersumus. Cooptati autem deinde in illud fuêre ex diplomate Regio *Hieronymus Roda* (4) *Assonvillius*, Dnus a *Rassenghien* (5) ac Præses Consilii secreti Dnus *Arnoldus Sasbout*. Sunt & alii quidam qui eodem aspirant, sed citra Regis jussum neminem in id assumi hactenus visum fuit. Et *Rodam* nonnulli non satis ferunt, quod eum arbitrentur consilia sua non satis cum nostris convenientia, Majti suæ ac Hispanis renunciare, & quod idem tamquam Vargæ successor, turbulenti (quod aiunt) Consilii auctoritatem nimis mordicus tueri videatur. Est & aliud novum consilium, penes quod rei bellicæ administrandæ est auctoritas, quod ferè ex Hispanis constat. *Mansfeldius* (6) quoque hic agit, cui tutela hujus urbis per Consilium Status commissa fuit, donec Rex aliud jusserit. Totus autem populus noster ad pacificationem horum tumultuum mirabiliter

(1) *Consilio Statûs*] Literas Regias, quibus administratio generalis huic Senatui tribuitur, exhibet *Borrius lib.* 8. *pag.* 135. *prim. edit.*

(2) *Dux Arschotensis*] Philippus de Croy.

(3) *Berlaymontius*] Carolus, Comes; qui religionis ac Regis partes domi bellique strenue constanterque defendit, docuitque easdem artes liberos suos. Obiit Namurci anno 1578.

(4) *Hieronymus Roda*] Hispanus, de quo V. Borrium *lib.* 9. *p.* 169 & 171.

(5) *D. a Rassenghien*] Maximilien Vilain de Gand. Chevalier, Comte d'Isenghien, Baron de Rassenghien, grand threforier, Gouverneur & Capitaine general des Villes & Chatellenies de Lille, Douay & Orchies. *Butkens suppl. tom.* 1. *p.* 168.

(6) *Mansfeldius*] Petrus Ernestus, Comes.

ter aſpirat, ac eamdem Rex noſter deſiderare videtur, Conſilioque Status magnopere eam commendavit, ſed non cognita ejus intentione ſuper difficultatibus in communicatione Bredana (7) cum adverſariis exortis, Conſilium auctoritatem ſuam interponere non ſatis audet: præſertim cum ex Hiſpania perſcribatur accuſari ibi eos, qui communicationi interfuerunt, quòd inconſideratius adverſariis quædam conceſſerint. Et cùm Regia Majᵗᵃˢ ante ſeptem menſes huc ſuos miſſura ſignificarit, qui de voluntate ejus plenius nos inſtruerent, & vera pacis remedia adferrent, nihilque ejus hactenus ſubſecutum ſit, anxii dubiique rerum hæremus, *reliqua deſunt.*

Ex Tomo V. fol. 15. vſo.

EPISTOLA CLXXX.

RUARDO TAPPER.

Incerti temporis.

De Petro Lombardo, Magiſtro ſententiarum, corrigendo, augendo, & novis typis vulgando.

HAbito nuper ſermone cum quibuſdam Catholicæ Religionis viris ſtudioſis, de libro *Lombardi* (1) quem Ma-

(7) *In communicatione Bredana*] Hæc habita fuit menſe Martio 1575. inter delegatos Regios, & qui a Principe Auriaco atque Hollandiæ Zelandiæque Ordinibus eò miſſi fuerant, datis utrimque obſidibus. *V. Borrium lib.* 8. *a fol.* 88. & confer quæ *Joannes Bapt. Taſſius* a nobis inter hæc analecta editus, hac de re ſcribit.

(1) *Lombardi*] Nemo ignorat, *Petrum Lombardum*, Epiſcopum Pariſienſem, *Magiſtrum Sententiarum* dictum; aut ſimpliciter *Magiſtrum* appellari, quòd ob nobilitatem doctrinæ, & ſubtile ingenium, ac perſpicuitatem eloquii (ſuo ſcilicet ævo) omnibus ſcholis theologicis, ipſique Sancto *Thomæ Aquinati* venerationi fuerit. Sed accidit illi, quod nobiliſſimis antiquioris ſeculi juriſconſultis, *Bartholo*, *Baldo*, *Alciato* & *Zaſio* &c. qui non leguntur amplius.

Magiſtrum Sententiarum vocant, ac multis hinc inde perpenſis, viſum fuit, operæ pretium fore, & ad Religionis Catholicæ tum conſervationem tum defenſionem neceſſarium, ut pro *Lombardi* libro (qui Theologiæ corpus & ſummam continere cenſetur) aliud opus ejuſdem planè argumenti conſcriberetur, idemque approbatum in lucem prodiret. Cujus conſilii rationes tibi communicandas putavi, ut ſi in eis fundamentum aliquod eſſe judicares cæteris ejuſdem profeſſionis, ac collegii Symmyſtis, eaſdem proponere earumque cenſuram exquirere poſſes.

Primum enim cur *Lombardus* huic ſæculo, ac pleriſque doctis non faciat ſatis, illud in cauſa eſſe videtur, quòd multa ille interſerat, quæ ſcholaſtici palam reprehendunt. Deinde quòd ſuæ ſerviens ætati omittat plurima, quæ noſtris hominibus ac temporibus ſcitu non ſolum utilia, ſed etiam neceſſaria jure videantur. Tractat pleraque tam prolixè, quàm ſubtiliter & ſpinoſè, ut cùm de Trinitate philoſophatur; unde ſolent non pauci Theologi, quum aut legunt aut diſputant, integras hujus libri diſtinctiones, ut vocant, præferire, magnoque labore, alia quæ ad præſentem Eccleſiam magis faciant, ſubſtituere coguntur.

Adhæc quæ *Lombardus* Patrum citat teſtimonia, non per omnia congruunt cum ipſis fontibus, ut norunt docti, & ipſa docet locorum collatio. Jam quæ citat, hujuſmodi ſæpe ſunt, ut lectori cordato, qui ſolidiora quærit, parum ſatisfaciant, idque in libro quarto, qui nunc maxime juvare debebat, frequenter uſu venit. Hoc ſæculum probatos, atque ipſa etiam antiquitate commendatos, autores requirit, præſertim ubi de rebus gravibus fidei ac religionis noſtræ diſceptatur. Conſtat autem ætate *Lombardi* pleroſque Theologos, qui nunc extant, Græcos & Latinos omnino latuiſſe, ac multo poſt *Lombardum* primùm e tenebris erutos, lucem accepiſſe. Quanti verò referret ex illis ipſis firmiora magiſque oportuna, quàm quæ in *Lombardo* leguntur, argumenta proferri, & Sectariis opponi, unde ſcriptores ætatis noſtræ, qui cum Hæreticis pugnant, longè profectò feliciùs quàm Theologi ætate Lombardi, tum ex Synodis,

tum ex Patribus doctrinam, ſenſum atque conſenſum Eccleſiæ perpetuum aſtruunt.

Et poſt ætatem *Lombardi* Concilia celebrata ſunt, in his multa definita, quæ liber Sententiarum non attingit, & tamen ad rem maxime faciunt. Ut cùm diſputatur de juſtificatione, & iis quæ ad Sacramenta ſpectant, qualia certè priùs non tam apertè, certò, ac ſolidè intelligebantur. Itaque multi dolent, ſic mutilum extare corpus hoc Theologiæ, in quo deſiderare non pauca cogaris, ſive quæ ſacra vetuſtas tradidit, ſive quæ poſterior Eccleſia mortuo *Lombardo* decrevit, & hæc ætas magis magiſque diſcutit, ac requirit, ob natas tot tantaſque diſſenſiones. Morbos ubique videmus, remedia oportuna deſideramus, præſertim ut ſacræ doctrinæ ſtudium rectius inſtituatur.

Summa querelæ eſt, nonnulla in hoc *Lombardi* opere ſupereſſe, quæ citra diſpendium omitti poſſint, ac fortaſſe debeant: rurſus complura deeſſe, quæ, hoc quidem tempore, ſint & Theologis & Eccleſiaſticis viris cognitu utiliſſima.

Adhæc quæ ritè Magiſter docet, ex probatis Synodis & idoneis autoribus magis illuſtranda videri, illudque demum modis omnibus optandum eſſe, ut a doctis viris aliquid ſubſtituatur, in quo melius cohæreant omnia; quæ ad uſum hujus ætatis perſpicua methodo tradi & accommodari, quæ optima ſunt, poſſe videantur. Nam ita fiet profectò, ut faciliore negotio, & majore cum fructu ſincera Theologia paſſim doceatur atque diſcatur, nec ſolum in Scholis, ſed etiam in omnibus Eccleſiis, ac præſertim in Germania noſtra, conſtaret certa & expedita quædam Sacræ doctrinæ ſumma, ſeu methodus, quam in tantis errorum ac opinionum tenebris docti ſimul & indocti tutò ſequerentur.

EPI-

EPISTOLA CLXXXI.

Ex Tomo VI. fol. 91.

PETRO BACHERIO GANDENSI ORDINIS S. DOMINICI (1).

Ut docti Concionatores ex Ordine F. F. Prædicatorum in Frisiam mittantur, poscit.

Incerti temporis.

NOn obtulit se antea, Eximie Pater, occasio ut litteris tuis responderem, ac pro libello ad me misso gratias agerem, nisi nunc cùm ad *Bunderium* (2) aliquid rescriberem.

(1) *Petro Bacherio* &c.] Vulgo *de Backere*, erat „Gandavensis, ord. FF. Præd. Sac. Theol. Doctor in Academia Lovaniensi renunciatus anno 1568. die 12. Octobris, illiusque „professor eximius, Poëta elegans, per annos quadraginta „duos concionator facundus ac vehemens, & Bacchico hæreticorum furori refundendo natus" ut habet *Bibl. Belg. novæ edit.* Obiit Gandavi an. 1601. prid. Idus Febr. æt. 84. Sibi ipsi epitaphium scripsit versibus Latinis, quod vide *ibid.* ubi & elenchus scriptorum ejus.

(2) *Bunderium*] Qui *Joannes*, item „Gandavensis, Ord. FF. „Præd. S. Theol. Lector (non tamen Doctor) prædicator „Generalis, atque a Paulo III. Pont. Max. institutus hæreticæ pravitatis Quæsitor, tertiùm Gandavi Prior, vir gravis & eruditus; decessit in suo Conventu Gandavensi 8. Junii „1557. æt. 76." *Bibl. Belg.* Ad hunc scribebat *Viglius* hæc verba: „Accepi, Venerande Pater, quinque lucubrationum „tuarum libellos, quos jam dudum avidè expectabam. Et „quamquam publica negotia haud multum temporis mihi relinquant, quod lectioni tribuam, jam tamen ad provectiorem vergenti ætatem, subit nonnunquam religionis studium; ut si quid aliis occupationibus queam succidere, id „sacris literis lubenter impendam. Quod in hisce tuis libellis eò faciam lubentius, quò eadem occasione amicitiæ „nuper inter nos contractæ memoriam renovem. Expecta„bo autem & noviſſimum opus contra *Veluanum.* * &c."

* *Scutum fidei Orthodoxæ adversus Joannem Anastasium Veluanum. Antverpiæ* 1569. 8.

rem. Gaviſus autem ſum multum, meo deſiderio tuam accedere ſententiam, ac voluntatem. Nam hæc certe lues purgari non poterit, niſi Catholicorum Concionatorum fideli ac diligenti opera atque induſtria. Utinam verò Friſiæ tantum bonum ſuccederet, ut vel te vel tuî ſimilem haberet, qui hoc ſtudium ibi exequeretur. Sunt autem in tota ea Provincia conventus Ordinis Veſtri dumtaxat duo, quos ego novi: unus Groningæ; Leovardiæque me aluit alter, olim quidem doctis Patribus celebris, verùm nunc magna eorum laborans penuria. Lubens autem de meo aliquid contribuerem, quo is ad priſtinam dignitatem reſtitui poſſet, ac uberiorem prædicationis fructum Patria mea perciperet. Quo populus olim valde pius in lege divina ſinceriter ambulare & contra falſa dogmata, Orthodoxorum fida ac recta doctrina muniri poſſet. Cujus deſiderium me exſtimulat, ut P. T. rogem, quo præbita aliquando occaſione inter tui Ordinis patres, Friſiam ipſis commendare velis: quo eam uno alterove Concionatore inſigni juvent, exornentque. Pro libello tuo aliquid Carthacei muneris remiſiſſem: ſed cùm neſcirem quid tibi magis gratum eſſe poſſet, non contemnes parvum, quod alicui emendo impendas. Bene vale, Pater Honorande.

Epiſtolarum ſelectarum.

FINIS.

IN-

INDEX NOTARUM AD EPISTOLAS SELECTAS.

Litteræ numericæ Romanæ Epiſtolam, Arabicæ Notam deſignant.

A.

ABbatia Gorzenſis Ord. S. Bened. ſeculariſata. CLVII. 6.

Accurſius (Mariangelus) XLV. 1.

Adrianus (Matthæus) quis, qualis? prof. linguæ Hebraicæ in Collegio trilingui Lovanii. CLXVI. 4.

Agninus (Hieronymus) LIX. 3.

Agninus (Marcus) LIX. 3.

Agricola (Rodolphus) Vir omni diſciplinarum genere inſtructus. CXXXIV. 5.

Alciatus (Andreas) quo dolo uſus? XIX. 2. Laudat Car. Sucquetum ac Viglium. XV. 1. Ejus emblemata quanti fecit. J. C. Scaliger. XX. 5. Vanitatis & gloriæ notatus. XX. 8. Nobiliſſimus J. C^us XXI. 1. Ejus epitaphium ex Sweertio. *Ibid.*

——— Inſtituit Franciſcum Alciatum hæredem. CLXXII. 2. Ejus mortis annus incertus apud Auctores. *Ibid.* 3.

Alciatus (Franciſcus) Cardinalis creatus rogatu S. Caroli Boromæi. CLXXII. 1. Hæres Andreæ Alciati J. C. *Ibid.* 2.

Aleander (Hieronymus) XLIV. 4. Qui Cardinalis Brunduſinus. CVI. 1.

Amazeus (Romulus) quis? quos libros edidit? XXX. 5.

S. Ambroſii ſermones contra Arrianos, apocryphi. L. 1.

Amerotius (Adrianus) prof. linguæ Græcæ in Collegio trilingui Lovanii. CLXVI. 4.

Amicus (Petrus) XXXIII. 9.

Anacharſis. XXIV. 1.

Andreas (Valerius) prof. linguæ Hebraicæ in Collegio trilingui Lovanii. CLXVI. 4.

Annales Friſiæ mſſ. apud quem? LVII. 1.

Antiſthenes Philoſophus, Socratis auditor, quid Diogeni minatus ſit. LXVII. 3.

Aponus, vicus in Italia. CIV. 2.

Appianus (Petrus) aſtronomus & coſmographus. CXIII. 2.

Aquarius, Zodiaci ſignum quale. CIV. 1.

Archilochus poëta Græcus. LXXVIII. 2.

Arnol-

INDEX NOTARUM

Arnoldus (Beatus) XL. 4.
Aſſendelfi (Gerardus ab) præſes Hollandiæ. CLX. 3.
Aſſonvilleus (Chriſtophorus) *remiſſ.* CLXXVII. 3.
Aſulanus (Andreas) XXII. 2.
S. Athanaſii opera a Nannio Latine edita CLXVI. 2.
Auguſtenſis Magiſtratus quid adverſus Clerum decrevit. XCII. 1.
Aulus (Caſellius) XXXIII. 10.
Aurelius (Doctor) Cameræ Imp. Aſſeſſor. CXLVI. 2.
Auria (Andreas de) ſeu *Doria*. XLV. 6.
Aytta (Bernardus Bucho ab) Regens Friſiæ. LVII. 1. Vigilii patruus, ſumma amicitia conjunctus fuit parenti Cardinalis Auguſtani. CLXXI. 1.

B.

Bacherius (Petrus) Ord. F. F. Præd. S. T. D. CLXXXI. 1.
Baldungus (Hieron.) XXVI. 1.
Baptiſmus. De ejus ritibus quis accuratè ſcripſit. CIX. 2.
Bardes (Wilhelmus Theodori) Scultetus Amſtelodamenſis, accuſatus errorum anabaptiſticorum. CLXII. 3
Barlandus (Adrianus) prof. linguæ Latinæ in Collegio trilingui Lovanii. CLXVI. 4.
Bayſius (Lazarus) XXII. 3.
Bedda (Natalis) a quo Beddaica factio. XXXIII. 5.
Berlaimontius (Carolus) Comes. CLXXIX. 3.
Bernartius (Vulmarus) J. U. D. interfuit Concilio Tridentino. Nominatus ad ſenatoriam dignitatem in Parlamento Mechlinienſi, licet non candidatus. CLXIX. 1.
Blaſere (Jacobus de) Præſes Flandriæ. CLXX. 3.
Blaſerius (Joannes) vulgò *De Blaeſere*, præſes Flandriæ. CLXXIV. 3. CLXXVI. 8.
Blioulus (Laurentius) *Du Blioul*, Pater & Filius. CLVII. 2.
Blumental (Andreas) Cameræ Imp. Aſſeſſor. CXLVI. 2.
Bockholt (Henricus) ultimus Lubecenſis Epiſcopus Catholicus. CXLV. 5.
Bona (Joannes) Cardinalis. Ejus judicium de libris Alberti Pighii de Hierarchia. CLXXIII. 3.
Bononienſis Academia quando excitata. XVIII. 4.
Boiſotus (Carolus) *remiſſ.* CXX. 1.
Botnya (Tzalingus) Eques, Regens Friſiæ. LVII. 1.
Bredanus congreſſus anni 1575. CLXXIX. 7.
Budæus (Guilielmus) a quo Budaici. XXXIII. 5.
Bunderius (Joannes) Ord. F. F. Præd. CLXXXI. 2.
Burchbardus (Franciſcus) primarius Juris Pontificii profeſſor Ingolſtadii. Ejus repentinus obitus. CXI. 1.
Burmania (Upko à) VIII. 2.
Buſlidius (Hieronymus) fundator Collegii trilinguis Lovanii. CLXVI. 4.
Brunus (Conradus) J. C. Canonicus Auguſtanus. CXLI. 1.
Burmannia (Tyardus à) Eques, Regens Friſiæ. LVII. 1.

Can-

C.

Antiuncula (Claudius) J. C. Ejus elogium ex Paulo Frehero. LXXI. 1.
Caliſtratus. XXVI. 2.
Camera Imperialis quibus conſtat. CXLVI. 3.
Camillus (Julius) in Eraſmum convitiosus. XXX. 3.
Caminga (Hajo) XLIV. 3.
Camminga (Renicus) Regens Friſiæ LVII. 1.
Campegius (Laurentius) Cardinalis, Pater Alexandri quoque Cardinalis. XXX. 4.
Caria, dicta Aldinelli, Turcis paret. CLXIV. 2.
Carinus (Ludovicus) quis. Ejus cum Eraſmo ſimultas. XC. 1.
Carolus V. Imp. novarum ſedium epiſcopalium in Belgio erectionem in animo habuit. CLVII. 4.
Carolus Lotharingiæ princeps, Epiſcopus Metenſis, Abbatiam Gorzenſem ſecularizat. CLVII. 6.
Catus (Ludovicus) XX. 4.
Chaimus (Marcus Antonius) nobilis Mediolanenſis. CXI. 5.
Chantonejus, quis. CXLVI. 4.
Cholerus (Joannes) XLI. 1.
Chorographia Friſiæ quomodo illuſtranda. CXIII. 1.
Chrychbingen (Baro à) *remiſſ.* CXXI. 2.
Ciceroniani, qui? XXV. 3.
Ciceronis epiſtolæ familiares ab adoleſcentibus legendæ. XCVII. 2.
Ciconiariæ leges, quæ. II. 1.
Clericus (Joannes) vulgò Le Clerc, curavit ultimam editionem operum Eraſmi. CLXXIII. 6.
Cognatio ſpiritualis ex baptiſmo, quæ. Quis ejus effectus. CIX. 3.
Confeſſio Auguſtana. Quid de ejus autographo factum. CXVIII. 1. *remiſſ.*
Colinus (Joannes) *Colins*, vel *Collius*, ſenator Mechlinienſis & Conſilii privati. CXLIII. 1.
Collegii trilinguis profeſſores primi. CLXVI. 4. Quando inſtitutum, qua ratione &c. *Ibid.*
Comites Palatini, qui? *remiſſ.* CLXX. 1.
Contarenus (Gaſpar) Cardinalis, quo anno obiit. CXXXVII. 1.
Corſelius (Gerardus) prof. linguæ Græcæ in Collegio trilingui Lovanii. CLXVI. 4.
Corteneius (Eduwardus) Devoniæ Comes. CLXI. 6.
Craneveldius (Franciſcus) Eques, ſenator, Græcè doctus LX. 1.
Crabbe (Petrus) Ord. minor. theologus, Conciliorum collector diligentiſſimus. CLVIII. 1. Quod ejus opus deperditum. *Ibid.*
Craſſus (L.) XXV. 5.
Crequi (Antonius) nominatus ad Epiſcopatum Morinenſem, Nannetenſi præficitur. CLXIII. 3.
Crequi (Franciſcus de) ultimus epiſcopus Morinenſis. CLXIII. 3.
Croius (Carolus) Marchio Havræus. CLXXVII. 1.
Cunon (Gaſpar) Cameræ Imp. Aſſeſſor. CXLVI. 2.
Curtius (Jacobus) certat cum Petro Nannio. LX. 2. Ejus pa-

paraphrafes exeudit Reſcius. *Ibid.* 3.
Curtius (Franciſcus) junior, XIV. 4.

D.

Dandinus (Hieronymus) Cardinalis, Imolenſis dictus. CLXI. 2.
Daventrienſis (Jacobus alias *a Daventria*, geographus. Quem librum delineavit pro Philippo II. Quomodo ſervatus CLXX. 4.
Decius (Philippus) V. 1.
Dejotarus (Zacharias) XLIV. 1.
Deſterto, is, ui, etc. Verbum A. Perſio uſitatum. VII. 1.
Diogenes quem præceptorem habuit, & quid ei reſponderit. LXVII. 3.
Duxinus (Jacobus.) XI. 1.

E.

Eckius (Joannes) *remiſſ.* CXXV. 2. Quid de eo prodiderit *Viglius*, occultatum ab aliis. *Ibid.*
Egberti (Florentius) paſtor Amſtelodami, & alibi. CLXII. 2.
Egkb (Leonardus ab) Cancellarius Ducis Bavariæ. CXXXIV. 2.
Egnatius (Baptiſta) ejus elogium. XIII. 1. Vir diſertiſſimus. XXII. 1.
Eiſinga (Tzalingus ab) VIII. 2. Senator in Friſia. CLXX. 2.
Eliſabetha, dein Angliæ Regina. CLXI. 5.
Emmanuel Philiberius Dux Sabaudiæ Belgii gubernator. CLXVIII. 1.
Epborinus (Anſelmus) XXIX. 2.
Epimetheus frater Promethei. XX. 7.
Eppbendorpius (Henricus) nobilis Saxo. XXXIII. 3.
Equites creati anno 1515, inter Regentes Friſiæ. LVII. 1.
Eraſmus, ſub ejus nomine vulgatum carmen in mortem Thomæ Mori. LXXXV. 1. Ejus cum Lud. Carino diſſidium. XC. 1. Moria, & Lingua, opera prohibita. CLXXIII. 5. Ultima ejus operum editio curante Joanne Clerico, Lugduni-Batavorum an. 1703. CLXXIII. 6. Ejus Polyphemus, quis; quid egit cum Ludovico Carino. XC. 1.
Everardus (Nicolaus) præſes Senatus Mechlinienſis, XXVIII. 2.
Everardus (Nicolaus) Amſtelodamenſis, aut certe Hollandus: Aſſeſſor Cameræ Imp. Spirenſis. Profeſſor Ingolſtadienſis. CXI. 3.

F.

Fabius (Guilielmus) prof. linguæ Græcæ in Collegio trilingui Lovanii. CLXVI. 4.
Fabius Romanus. remiſſ. CXI. 4.
Falcomontanus (Henricus) bis in Cameram Imperialem aſſumptus. CXVII. 1. LXX. 2.
Ferenbergerus (Joannes) LIX. 3.
Fichardus (Joannes) de methodo ſeu arte juris, quod a Zaſio reſponſum tulit. XXIX. 3. Ubi docuit; quorum vitas conſcripſit. LXXX. 1.
Fonckius (Joannes) *remiſſ.* CLXXVII. 2.

Præcaſtorius (Hieronymus) Ejus elogium. XXXIV. 2.
Friſiæ Chorographia quomodo illuſtranda. CXIII. 1.
Friſiæ Regentes anno 1515. Qui? LVII. 1.
Froberius (Hieron.) quid ei damno fuerit in editione Inſtitutionum Græcarum. LX. 3. Quid timeat Eraſmiano nomini, & ſibi. LXXXV. 1.
Fuggerus (Raymundus) LXXII. 3.
Furſtenbergius (Guilielmus) commendatarius Abbatiæ Gorzenſis. CLVII. 6.

G.

Augerici (S.) eccleſia Collegiata Cameraci, ad parochialem S. Vedaſti tranſlata. CLVII. 7.
Gauricus (Lucas) Epiſcopus Civitatenſis, aſtrologiæ judiciariæ addictus. XLV. 2.
Gebuillerus (Hieron.) LXXXV. 1.
Gelenius (Sigiſmundus) typorum corrector. CXXVI. 6.
Glareanus (Henricus) XXXIII. 10.
Goclenius (Conradus) XXXIII. 9. Prof. Linguæ Latinæ in Collegio triſingui Lovanii CLXVI. 4.
A Gouda (Hermannus) CXLVII. 3. ſive Lethmatius. CLXII. 1.
Gorzenſis Abbatia Ord. S. Benedicti, ubi? Eſt ſeculariſata. CLVII. 6.
Garmont (Gabriel de) Cardinalis, Epiſcopus Tarbenſis. XXXVI. 3.
Grebovallius (Florentius) Senator Mechlinienſis. Quas uxores habuit. XXXIII. 8. XLV. 3.
Grebovallius (Petrus) XXXIII. 8.
Gropperus (Joannes) S. T. D. Ejus munia. Cardinalatum recuſavit. Obiit Romæ, ubi & inhumatus. CXLIV. 1.

H.

Hagerus (Chriſtophorus) XXIV. 4. LXXII. 2.
Haloander (Gregorius) a Viglio laudatus. Quæ opera publicarit pro Juris Studioſis. XXXIV. 1.
Haſſelius (Joannes) CXLVII. 2.
Helds (Matthias) obtulit filiam ſuam notham, Viglio uxorem. LXXX. 2.
Herema (Geroldus) Regens Friſiæ. LVII. 1.
Heresbachius (Conradus) XVIII. 2. LX. 5.
Hermannus (Hajo J. C^tus Friſius, Viglium in fortunæ ſocietatem vocavit. XXIV. 2.
Hervagius (Joannes) typographus. Quid a Viglio petiit. Excudit Corpus Juris Civilis. CX. 1.
Hipponax poëta Epheſius. LXXVIII. 3.
Hoetfelder (Judocus) Epiſcopus Lubecenſis, ſeu *Monſfilter*. CXLV. 5.
Holtmannus (Joannes, quid ei Viglius odtulerit. LXVII. 2.
Hopperus (Joachimus) Ejus libellus de Magiſtratibus inditus. CLXIV. 1.
Hornung (Felix) Cameræ Imp. Aſſeſſor. CXLVI. 2.
Horſtius (Jacobus) *remiſſ.* CLXV. 1.
Hoxvirius (Hector) XLIV. 2.
Hundt (Vigilæus) Doctor. *remiſſ.* CXI.

CXI. 6. Cameræ Imp. Aſſeſſor delectus. CXLVI. 2.
Hungerus (Wolfgangus) Cameræ Imp. Aſſeſſor. CXLVI. 2.
Huysmannus (Guilielmus) prof. linguæ Latinæ in Collegio trilingui Lovanii. CLXVI. 4.

I.

Jeſuitæ. Quo anno acceperint Peutingerorum bibliothecam Auguſtæ Vindelicorum. LXXXI. 1.
Jeſuitæ Muſſipontani quid & quando acquiſiverunt ex proventibus Abbatiæ Gorzenſis. CLVII. 6.
Indultum nominandi ad dignitates eccleſiaſticas, eſt perſonale. CLVII. 5.
Inſtitutionum Græcarum a Viglio vulgatarum exemplaria duo diverſa. XLIX. 1.
Intero, intriſti, apud Ter. VII. 2.
Interim. Famoſum Edictum Caroli V. Qui ejus auctores? CXLV. 1.
Jougema (Godſcalcus à) Regens Friſiæ. LVII. 1.
Julii Cæſaris Commentaria ab adoleſcentibus legenda. XCVII. 2.
Julius III. Pont. Max. quo anno electus, & mortuus. CLVII. 3.
Juris Civilis methodus ſeu ars, a quibus tentata. XXIX. 3. De ea Zaſii ſententia. *Ibid.*
Jus Civile ſub quo Imp. revixit? XVIII. 4.

K.

Kebitz (Andreas) Cameræ Imp. Aſſeſſor. CXLVI. 2.
Koch (Gaſpar) Cameræ Imp. Aſſeſſor. CXLVI. 2.

L.

Langemantel (Leonardus) XX. 4. XXXIX. 1. Ducis Bavariæ Conſiliarius. LVIII. 1.
Langemantel (Udalricus) LVIII. 1.
Langius (Matthæus) Cardinalis Gurcenſis, a quo laudatus. XXIII. 1.
Langius (Theodoricus) prof. linguæ Græcæ in Collegio trilingui Lovanii. CLVI. 4.
Lararium, quid? XCVIII. 1.
Laſco (Joannes à) Poloniæ Baro. Quis, qualis. LXXXVI. 2.
Latomus (Bartholomæus) Cameræ Imp. Aſſeſſor. CXLVI. 2.
Leonicenus (Nicolaus) medicus, ſenex immortalitate dignus. XXII. 4.
Lipſius (Juſtus) prof. linguæ Latinæ in Collegio trilingui Lovanii. CLXVI. 4.
Logus (Georgius) XXIV. 3.
Lombardus (Petrus) Magiſter Sententiarum. CLXXX. 1.
Longolius (Chriſtoph. XXV. 6.
Lotharius Saxo, Imp. ſub quo jus revixit, & excitata Bononienſis Academia. XVIII. 4.
Lycus, fluvius in Germania. CIV. 3.

M.

Madrutius (Chriſtophorus) XVIII.
Magius (Vincentius) ſeu *Maggi*. XLV. 7.
Mantua (Marcus) aliàs *Benavidius*,

dius, qualem librum ſcripſit. LXXX. 1.
Margareta Auſtriaca, Maximiliani 1. filia, Caroli V. amita. XV. 3. Ejus epitaphium ex Locrio. *Ibid.* Quibus titulis uteretur in actis publicis. *Ibid.* Ubi mortua. *Ibid.*
Maria Regina Hungariæ vidua, Belgii gubernatrix. *remiſſ.* CXXI. 1. Venatrix dicta. CXLVIII. 1.
Marſilius Patavinus, vel Marſilius de Padua, quos libros ſcripſit. Auctor prohibitus. CLXXIII. 2.
Martena (Heſſelus) Eques, Regens Friſiæ. LVII. 1.
Martena (Kempo à) Vir ſummus, Eques, Regens Friſiæ. LVII. 1.
Maſius (Jacobus) Penſionarius Antverpienſis. CXLVIII. 3.
Matrina in baptiſmo. CIX. 1.
Maximilianus II. Imp. quam duxit uxorem. CXLVI. 5.
Melanchton (Philippus) CXVIII. 1. Quid de autographo Confeſſionis Auguſtanæ factum ſit, *remiſſ. Ibid.*
Mepſchius (Joannes) quis? quis ei pater? CLI. 1.
Metius Suffetius. XII. 6.
Fr. Michael ad. S. Sulpitium Biturigibus. Qualis. XXXV. 1.
Micault (Nicolaus) dominus de Indervelde. *remiſſ.* CLXXVII. 2.
Mieropius (Cornelius) IX. 1.
Mimermnus, quis? Locus emendatus. CVIII. 1.
Minſinger (Joachim) Cameræ Imp. Aſſeſſor. CXLVI. 2.
Miſſeram, miſſi, remiſſit. Quis ita? XX. 2.
Mons Aureus (Petrus) XXV. 1.
Monſfilter (Judocus) idem qui *Hoetfelder*, Epiſc. Lubecenſis. CXLV. 5.
Morinenſis dioceſis, quam latè patens. CLVII. 4.
Morinenſis eccleſia ſciſſa in tres partes. CLXIII. 3.
Moronus (Joannes) Cardinalis Mutinenſis dictus. CXXV. 5. Variam ejus fortunam ubi deſcriptam invenias. *Ibid.*
Morus (Thomas) carmen in mortem ejus ſub Eraſmi nomine excuſum, cujus ſit. LXXXV. 1.
Mulert (Gerardus) e Conſilio privato tranſit ad Mechlinienſem Senatum. CXXIX. 2. LX. 1.
Munſterus (Sebaſtianus) Ordinis Franciſcani deſertor, ceterùm vir præſtans. Ejus opera prohibita. CLXXIII. 4.
Muſculus (Wolfgangus) monachus Benedictinus, apoſtata. CXLV. 4.

N.

Nannius (Petrus) quæ illi concertatio cum Jacobo Curtio. LX. 2. *remiſſ.* CLXVI. 1. S. Athanaſii opera Latina fecit. Laudatus a novis editoribus operum S. Athanaſii. Ejus verſio cenſurata. *Ibid.* 2. Prof. linguæ Latinæ in Collegio trilingui Lovanii. *Ibid.* 4. quos libros ſcripſit pro Inſtitutionibus Græcis. XCIV. 1.
Naugerius, ſeu *Navagiero* (Andreas) XXXIV. 4. Ubi, & quando obiit. *Ibid.* 5.

Navius (Joannes) Vice-cancellarius Cæsaris. CXXI. 3.
Neser (Matthæus) Cameræ Imp. Assessor. CXLVI. 2.
Nigri (Philippus) Senator privati Consilii. Ejus munia & elogium. CXXV. 1.
Niphus (Augustinus) cujas? Ejus de auguriis libri. XXXIV. 3.

O.

Omphalius (Jacobus) quis? CIII. 1. Quem librum scripserit, & cui nuncuparit. *Ibid.* 2.

P.

Palma (Joan. Bapt.) X. 1.
Pamelius (Guilielmus) *remiss.* CLXXVI. 7.
Parisius (Petrus Paulus) Cardinalis. XXI. 2. Non præsedit in Concilio Tridentino. CXXV. 3.
Patavium. Quantum annuè professorum honorarium? XV. 5.
Patrinus baptismi, quis. CIX. 1.
Paulus III. Pont. Max. post duos dies ab ingressu Conclavis, electus. CXXXIX. 1.
Paulus IV. Pont Max. senex electus. CLXIII. 2.
Peckius (Petrus) *remiss.* CLXVIII. 3.
Perenot de Granvelle (Fredericus) D. a Champaigny. *remiss.* CLXXVII. 5.
Peutingerus (Claudius) XVIII. 1. XX. 3. 4. LIX. 4.
Peutingerus (Conradus) XVIII. 1. LIX. 4. An cum Maximiliano Imp. in Belgio fuerit? Ejus numerosa bibliotheca quibus cessit: LXXXI. 1.
Persius (Hippolytus) quale donum obtulit Viglio. LXVI. 2. Ejus elogium. CLV. 1.
Persius (Cornutus) XII. 2.
Philippus II. Hispaniarum Rex, quos instituit professores Juris Lovanii. CLXVIII. 1.
Picus Jo. Francisc.) XXV. 7.
Pighius (Albertus) scripsit de *Hierarchia ecclesiastica*. Quod de illis libris judicium Cardinalis Bona. CLXXIII. 3.
Pistorius (Simon) J. C. Cancellarius Ducis Saxoniæ, invitatus ad professionis munus in Academia Ingolstadiensi. CXI. 2. CLIII. 1.
Politianus (Angelus) multarum literarum vir. Lis de anno obitus. Notator Trithemii, & Baylius correcti. Epitaphia duo. CXLII. 1.
Potieri (Guilielmus de) nominatus ad Episcopatum Morinensem, Audomarensi præficitur. CLXIII. 3.
Polus (Reginaldus) Cardinalis, Vir princeps. CXXV. 4. Quid ei Cæsar prohibuerit. CLXI. 3.
Pholyphemus Erasmi, quis. XC. 1.
Prometheus Japeti filius. XX. 6.
Professores Juris Lovanii a Philippo II. instituti. CLXVIII. 1.
Puteanus (Erycius) prof. linguæ Latinæ in Collegio trilingui Lovanii. CLXVI. 4.

R.

Ramus (Joannes) J. U. D. & prof. Lovanii & Duaci. ubi & quando obiit? CLXVIII. 4.

Re-

Regentes Frisiæ anno 1515 qui? LVII. 1.
Resius (Rutgerus) cujus paraphrases excudit. LX. 3. Prof. Linguæ Græcæ in Collegio trilingui Lovanii CLXVI. 4.
Richebé (Joannes) *remiss.* CLXIII. 1.
Ripa (Joan. Franc. à) amens obiit. Ejus epitaphium. LXX. 1.
Rivallius (Aymarus) I. 5.
Roda (Hieron.) CLXXIX. 4.
Ruardus Tapperus. CXLVII. 4. Quas explicationes scripsit. CLIX. 1.
Rupilius (Franciscus) XII. 1. Interlocutor dialogorum Viglii. *Ibid.* Ejus olim discipuli a Viglio instituti. *Ibid.*
Ruysch (Jacobus) IX. 3.
Rymius (Gerardus) *remiss.* CLXVII. 1.

S.

Sadoletus (Jacobus) Cardinalis. Ejus elogium ubi? CXVI. 1.
Sasbout (Arnoldus) Cancellarius Gelriæ post patrem Judocum. CXXXIII. 3. CLXXVI. 6.
Sasbout (Judocus) Cancellarius Gelriæ. CXXXIII. 3.
Scævola (Q. Mutius) XXV. 5.
Scepperus (Cornelius) Senator, sæpius legatus. Ejus epitaphium. CXXXVIII. 1.
Schaldia, Vernaculè *Schouwen*, insula Zelandiæ. CLXXVI. 2.
Schenck a Tautenburch (Fredericus) quis? XLVI. 1. primus & ultimus Ultrajectinus Archiepiscopus, rectè dictus ab A. Schurio, invitis schismaticis Ultrajectinis. CLXXIII. 7.
Scipio Æmilianus. XXVI. 3.
Schurff (Hieronimus) Cameræ Imp. Assessor. CXLVI. 2.
Schurius (Andreas) aliàs Van der Schuur, quid ex Erasmi operibus seligi optet. CLXXIII. 6.
Secundus (Joannes) poëta. XXVIII. 1. Unde ei id cognomen. *Ibid.* Non fuit Pauli IV. Secretarius. *Ibid.* Ejus *Basiorum* Liber. LXXVIII. 4. CXIX. 1. An ejus opera Frobenius excudit? CXXVI. 3.
Seldius (Christophorus) J. U. D. CXXXII. 1.
Seldius (Georgius Sigismundus) Vice-Cancellarius Caroli V. Ejus vita & obitus. CI. 1.
Septemviri (Imperii) cui Ordinum Conventui adfuêre omnes. CXXXVI. 2.
Sichardus (Joannes) cum quo J. U. lauream accepit? LXXX. 1. Cameræ Imp. Assessor, CXLVI. 2.
Sinapius (Joannes) medicus. XXXIII. 13. Invitatus 300. flor. honorario ad profitendum Ingolstadii. CXXXIV. 1.
ocimus (Marianus) junior, quis. XIV. 5. Locus ex notis ad Vitam Vigilii, correctus. *Ibid.* Avus Fausti Socini. *Ibid.* Ejus epitaphium ex Montfauconio. *Ibid.*
Sonnius (Franciscus) CXLVII. 1.
Socrates, quem auditorem habuit. LXVII. 3.
Smits (P. Wilhelmus) Ord. F. F. Minor. Recoll. Sac. Scrip. proff. CLVIII. 1. Ejus observatio in græcum textum Mimermni. CVIII. 1.

INDEX NOTARUM

Speculator, nomen interpretis Juris. XCIX. 2.
Spirenſi Conventui. Ordinum Imperii, anno 1544. adfuere Septemviri omnes. CXXXVI. 2.
Stella (Petrus) Quam controverſiam habeat cum Udalricho Zaſio. XXXI. 3.
Stilpo Philoſophus. XII. 3.
Sucquetus (Antonius) quis? XV. 4. Ejus epitaphium. *Ibid.*
Sucquetus (Antonius) filius. XV. 2.
Sucquetus (Carolus) XI. 5. Ab Alciato laudatus. XV. 1.
Sucquetus (Joannes) XV. 2.
Suſceptoris Officium in Baptiſmo. CIX. 1.
Suys (Cornelius) Senator & Præſes Hollandiæ. Secedit cum ſenatu Ultrajectum. CLX. 1.
Sweertius (Franciſcus) multa vitioſa valdè in ejus Selectis orbis deliciis. LXX. 1.

T.

TAratantara quid? XIX. 4.
Tautenburch (Georgius) Baro à XLVII. 2.
Terentius ab adoleſcentibus legendus. XCVI. 2.
Terouana urbs ſolo æquata an. 1553. CLVI. 1. Dioceſis quàm latè patens. CLVII. 4. ſciſſa in tres partes, Epiſcopum dein nullum habuit. CLXIII. 3.
Thebarum portæ quot? XXXIX. 2.
Tiara (Petrejus) Friſius. Quibus locis moratus eſt. Ubi obiit. CXXXIV. 4.
Tiletanus (Judocus) aliàs Raveſtein. *remiſſ.* CLIX. 2.
Tiſnacq (Carolus) *remiſſ.* CLXXVI. 5.
Tonſtallus (Guthbertus) Epiſc. Londinenſis, a Thoma Moro laudatus. XLVIII. 1.
Totleben (Valentinus) ſeu *Teutleuwen*, Epiſcopus Hildeſemenſis. CXXV. 6. Ejus munia; a quibus è ſede pulſus. *Ibid.*
Trantmonſtorff (Wilhelmus) XLIII. 1.
Truchſeſius (Gebhardus) Cardinalis Auguſtani nepos, Imperii Septemvir, Archiep. Colonien. CLXXI. 1.
Truchſeſius (Otho) Card. Auguſtanus. XVIII. 3. XCIX. 1. Epiſcopus ac princeps Auguſtanus, quo anno Cardinalis. CXXXVI. 1. Ejus elogium. CLXXI. 1. Magnam facultatum jacturam ubi paſſus. CLXXV. 2.
Turnon à *Turnone* (Franciſcus) Cardinalis. XXXVI. 2.
Turzo (Staniſlaus) Epiſc. Olmutzenſis. Quem ei librum Eraſmus dedicavit. XXX. 2.

V.

VAlerius (Cornelius) Prof. linguæ Latinæ in Collegio trilingui Lovanii. CLXVI. 4.
Valla (Laurentius) XXV. 4.
Van Daele (Engelbertus) Cancellarius Brabantiæ. Ejus epitaphium. CXLIX. 1.
Vander Houf (Adrianus) Senator Hollandiæ. Diſcedente Senatu, ſolus remanſit Hagæ. CLX. 1.
Venduillius (Joannes) *remiſſ.* CLXVIII. 3.

Ve-

Velius (Caſpar Urſinus) Poëta. Ab Eraſmo celebratus. XXIII. 1.

Velſius (Juſtus) vulgò *Welſens*, Hagæ-comitanus. Ejus geſta. Homo fanaticus. CLII. 1. 2. 3. 4. Ejus Epiſtola ad Viglium. CLXV. 2. An ad Catholicam Eccleſiam reverſus ſit, de loco ac tempore obitus, nihil compertum. CLXV. 2.

Veltwyck (Gerardus à) *Veltwykius*, Ravenſteinienſis, aut Ultrajectinus, Cæſaris Caroli V. Secretarius, Senator, legatus & ubi, & quando obiit. CXXIX. 1. E Conſilio privato tranſit ad Mechlienſem Senatum. *Ibid.* 2.

Veneta Reſp. quantum annuè impendat in profeſſorum Patavinorum honoraria. XV. 5. Quæ ibi celebritas in aſcenſione Domini. XXX. 1.

Vida (Hieronymus) Poëta Chriſtianus. Ejus epitaphium. XLIV. 5.

Vilain de Gand (Maximilianus) D. a Raſſenghien. CLXXIX. 5.

Vinda, Fluvius. CIV. 4.

Vitellius (Chiappinius) Cetonæ marchio, ubi & quo modo obiit. CLXXVI. 3.

Vigilius quid ſentiat de Jacobi Duxini in ſe animo. XI. 2. Ejus Juriſconſulti Inſtitutio, quæ. XII. 4. Rupilii olim diſcipulos inſtituit Patavii. *Ibid.* Quibus facientibus ad Inſtitutionum profeſſionem promotus? XVIII. 3. Ejus ſcriptum de Controverſia Udalrici Zaſii, & Petri Stellæ a nobis vulgatur. XXXI. 3. Laudat Gregorii Haloandri opera. XXXIV. 1. Habuit duo exemplaria diverſa Inſtitutionum Græcarum a ſe vulgatarum. XLIX. 1. Cur in academia Dolana, & apud Lantgravium Haſſiæ Jus Civile profiteri non voluit. LV. 1. 2. Cur non apud Electorem Brandenburgicum. LIX. 2. Ejus generoſitatis exempla. LXVII. 2. Noluit filiam notham Mathiæ Heldt, uxorem ſibi. LXXX. 2. Narrat Hiſtoriam, ſimultatis Ludovici Carini cum Eraſmo. XC. 1. De Auguſtani Magiſtratus decreto adverſus Clerum. XCII. 1. Tradit rationem rectè inſtituendi adoleſcentem. XCVII 1. Et qui ei auctores legendi. *Ibid.* 2. Anno 1532. cogitat reviſere patriam a qua decimum tertium annum abfuerat. CII. 1. A Parentibus ſuis deſertus. *Ibid.* Judicium ſuum de corpore Juris Civilis per Hervagium edendo. CX. 1. Deſcribit repentinum obitum Doctoris Franciſci Burckhardi. CXI. 1. Nec ſolus fuit, nec ultimus qui ſponte factus eſt è conſule rhetor, id eſt, ex Aſſeſſore Cameræ Imp. Profeſſor Juris. CXI. 3. Non Friſiam dumtaxat, ſed totam inferiorem Germaniam, patriam ſuam appellare conſuevit. CXX. 2. Scripſit Germanicè & Latinè de negotio belli Juliacenſis. CXXI. 4. Quare id ſcriptum abortivum partum dixit? *Ibid.* Quid de Joanne Eckio prodidit, occultatum ab aliis. CXXV. 2. Quare labores ſuos literarios ſiverit interire. CXXVI. 2. Ver-

ſio Latina ſcripti ſui in cauſa belli Clivenſis, quem titulum habet. CXXVII. 2. Anno 1534. Cancelliaratus Gelriæ ei offertur. CXXXIII. 1. a Principe Auriacenſi Gelriæ gubernatore. *Ibid.* 2. Tredecim Juris conſultos, Cæſaris nomine ad Cameram Imp. Spirenſem mittit. CXLVI. 1. Commentarius ejus ſuper forma celebrandi Concilii, non a Viglio, ſed ab alio videtur conſcriptus. CXLVII. 7. Juſti Velſii Hagani fanatici hominis epiſtolas occluſas remiſit. CLXV. 2. Quomodo ſervavit libros, ſeu tabulas geographicas Jacobi Daventrienſis. CLXX. 4. Quo anno factus ſacerdos. CLXXI. 2. Ad provectiorem vergens ætatem, ex religionis ſtudio, ſacris ſe literis dedit. CLXXXI. 2.

W.

Witt (Joannes De) ærarii Cæſarei Bruxellis regens quod mſ. poſſidet. LVII. 1.

X.

Ximenius (Petrus) quis? CLXVIII. 2.

Z.

Zaſius (Udalrichus) de arte ſeu methodo Juris, quid ſentiat. XXIX. 3. Viglii ſcriptum de ejus controverſia cum Petro Stella. XXX. 3. Ejus elogium ex Sweertio. LXXII. 1.

Zoeſius (Henricus) Prof. linguæ Græcæ in Collegio trilingui Lovanii. CLXVI. 4.

FINIS.

TABULÆ ERECTIONIS CONSILII PROVINCIALIS HOLLANDIÆ PER PHILIPPUM BONUM

Burgundiæ Ducem.

CORNELII PAULI HOYNCK VAN PAPENDRECHT

ARCHIPRESBYTERI MECHLINIENSIS

DISSERTATIO

DE CAMERIS RATIONUM PUBLICARUM ET TRIBUNALIBUS JUSTITIÆ

PER

Duces Burgundiæ in Belgio erectis.

DE ætate inſtitutionis Curiæ Hollandicæ, ſeu Conſilii Provincialis, quod Hagæ-Comitum ſedem ſtabilem fixamque habens, Juſtitiæ adminiſtrationem, & juris dicundi auctoritatem obtinet ſuper Hollandia, Zelandia ac occidentali Friſia, ſeu boreali Hollandia (1) diſputari cœptum eſt ante hos triginta annos: occaſione acris Concertationis inter jam dictum Conſilium, Magiſtratumque Haganum, excitatæ ſuper jure ac jurisdictione in quosdam viros nominatos, locaque, intra ſeu oppidum, ſeu vicum, ſeu pagum Haganum.

Qui calamum ſtrinxerunt pro ampliſſimi hujus Senatûs Conſiliariis, contendunt, Corpus illud æquare ætatem (2) Comitum Hollandiæ, & anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo (3) a Rege *Wilhelmo*, XVIII. Comite Hollandiæ accepiſſe

(1) Noord-Holland.

(2) Van de erectie van het welke alſoo men nergens iets geſchreven vind, men dat moet houden ſoo oudt te zyn als de Graaf ſelf. *Ampele Deductien van den Hoven van Holland, ende 's Gravenhage. Te Delft* 1738. *in* 4. *pag.* 427.

(3) Dat het ſelve Hof-gericht, eerſt wel altydt te vinden is geweeſt ter Plaatſe daar deſelve Graven hare Reſidentie wa-

accepiſſe ſedem firmam in palatio Hagano, & quinimo in eodem illo Conclavi, in quo hodieque jus dicunt. Veneranda ſane antiquitas, quæ ſuperet omnium fere per Europam tribunalium ſecularium ætatem.

Addunt, originem Hagæ recentiorem eſſe (4) eumque locum excitatum fuiſſe occaſione jam dicti palatii, Regisque in eo, nec non Conſilii, ſtabili commoratione: unde contigerit, ut non tantum Nobiles plures, aliique viri ſpectabiles & conſpicui, ædificia ibi excitarint, ſed & opifices, negotiatores, mercatoresque domos ſibi conſtruxerint, quò Regi & aulicis, aliisque palatii inquilinis operam darent. Unde affirmant, *notorium* fore, (quantumvis fateantur, hæc meris niti conjecturis) quod primis illis temporibus, nulla alia, quàm Conſilii, juriſdictio Hagæ obtinuerit: donec ignobiles loci incolæ in *Viciniam* (5) creverunt; quando, ne Conſilium nimiis obrueretur cauſis minoribus, excitata fuerit ſedes Scabinalis pro his *vicinis*, negotiatoribus &c. Et hanc eſſe, ajunt, creduntque, primam originem Magiſtratus Hagani, quam ex veriſimilitudine placita, ſtatuunt centum annis poſteriorem Rege *Wilhelmo*.

Magiſtratus Haganus contendit, (aſt non probat, imo ne probare quidem tentat,) quod Conſilii inſtitutio facta ſit per *Ibi-*

ren houdende, als blyckt uyt de *Chartres* der Steden *Dordrecht*, *Haarlem*, *Leyden* ende *'s Graveſande*; doch dat in den Jaere 1250. door Koningh Willem de XVIII.de Grave van Hollandt aen dit Hof-gericht een vaſte Plaatſe is gegeven, in dit ſelfde Gebouw, en (ſoo wy niet anders vinden of gelooven) in die ſelfde Raad-Kamer, daar wy noch jegenwoordigh vergaderen. *Ibid. p. 6.*

(4) Ibid. pag. 7.

(5) Tot dat deſelve tot een formeele *Buurt* geworden zynde, om de Raaden ende Juſticieren van het gemelde Hof niet al te ſeer te obrueren met de adminiſtratie der Juſtitie in kleyne ſaken, tuſſchen *Gebuuren* aldaar Neringh doende, een Schepenſtoel voor deſelve zal zyn opgerecht, die de eerſte oorſpronck ſal geweeſt zyn van het Gerechte van 's Gravenhage, het geene, na alle apparentie wel *hondert jaren* later zal zyn geſchiedt als de gemelde tydt van Koningh Willem. *Ibid.*

Philippum Burgundiæ Ducem (6) anno vigeſimo nono ſupra milleſimum quadringenteſimum. (7) Et conjecturis pro parte Senatûs adductis, reſpondit, illas (8) nullo niti fundamento; ſed & veritate carere, quod excitatus ſit hic locus opportunitate erecti in palatio Conſilii, quaſi ante fuiſſet horridus, agreſtis, incultus & inædificatus locus; quod ſi verum eſſet aut fuiſſet, non potuiſſe ineptiorem ſeligi locum in quo ſederet Conſilium Provinciale, ad quod totius regionis incolæ deceſſum habere, eaque occaſione manſionem figere debuiſſent in vico, ubi diverſorium nullum fuiſſet quo advenæ tecto reciperentur & menſa. Quin, quod conceſſa tantiſper hypotheſi, de invecto per *Wilhelmum* Regem Conſilio in palatium noviter exſtructum, ſtatuendum ſit, Hagæ originem *notorie*, & priorem eſſe inſtitutione Conſilii, & locum, ſeu vicum, aut pagum, aut denique oppidum (Et quidni oppidum? Non enim de ratione eſt oppidi, muris eſſe cinctum.) non adeo fuiſſe miſellum, inops & inane.

Cum nec hi nec illi perſuaſiſſent, factum eſt (quod fieri aſſolet) ut hæc controverſia nequiverit abſtinere publico. Anno 1711. anonymus ſcriptor unus (9) & anno 1740. anonymus alter (10) in arenam deſcenderunt, & ſyſtemata contraria duo, multo cum labore & ſudore, & non ſine laude ingenii elegantis & politi, fabricarunt. Et jam hujus inſtitutionis epocha quoddam quaſi problema factum erat, in quo ſe torſerunt ingenia, dum non actis & diplomatibus, certam adferentibus originem, ſed ratiociniis, conjecturisque utrimque certabatur. Doctas & ſane eruditas obſervationes attulerunt ambo, quæ & nobis ad illuſtrandas inventas jam tabulas facem præbent, & a controverſo Inſtitutionis tempore, per ipſas jam tabulas definito, omnem hæſitationem, dubitationemque auferunt.

In hac controverſia non videtur illud plane ac unice in diſpu-

(6) *Ibid. p.* 325. (7) *Ibid. & p.* 6. (8) *Ibid. p.* 375.

(9) Brief behelzende twee preuven, dat het Hof van Holland voor den Jaere 1429. is opgeregt. Amſterdam 1711. in 8.

(10) Het Hoge-Gerechts-Hof van Holland, mitsgaders Braband en Vlaenderen den huyzen van Bourgondien toegekent. Te Delft 1740. in 8.

disputationem venire: an Hagæ ante imperium Domus Burgundicæ, Justitia administrata & jus incolis dictum fuerit ab alio quam a Magistratu loci aut tribunali municipali. Sed illud porro quæritur, an ante tempora jam dicta, Hagæ fuerit Tribunal Justitiæ, majus tribunali municipali; ordinarium, uti hodie loquimur; jus dicens juxta Principis Constitutum (*Instructionem* vocant) stabile, permanens; non ambulatorium cum Comite de uno intra Hollandiam loco ad alium, imò de una Belgii provincia in aliam: prout consueverunt præteritorum seculorum Comites Hollandiæ, motoriam habentes sedem, non Curiam tantum, id est, aulicos, sed Consiliarios quoque suos, seu Nobiles seu togatos, prout musicos, medicos, Capellanos & Capellam, abducere secum & reducere.

Senatorum patronus videtur consentire: (11) non posse *positive* (id est: *sine dubitatione*) affirmari, quod Hagæ post *Wilhelmi* Regis, & subsequentium Comitum Hollandiæ tempora, aliquot *Consiliarii ordinarii*, operam dantes juxta Principis Constitutum, fixam sedem habuerint. Et concedere videtur rem ita se habere: Ut Comites, qui nunc in uno, nunc alio in loco hærebant, non consueverint relinquere in palatio Hagano, quamvis anno 1250. exstructo, Consiliarios quosdam suos, qui vel ad vitam vel ad certum tempus instituti, ibidem jus dicerent, absente Comite, continue & stabiliter, atque Ordinariorum Judicum more; sed potius Justitiæ administrationem, suosque in administratione adjutores, nunc Consiliarios dictos, secum duxerint: privatorum causas in reditum suum reservarint; & usi fuerint consiliariis illis suis, ad dirimendas rixas aliis in locis ortas, & ad Comitis, quovis in loco imperii sui degentis, cognitionem, compositionemque, referri solitas. Qua de re constat plenissime, & ab ipsismet ex *Cornelio Alkemadio* ineluctabiliter adstruitur. (12)

Qui, qualesque fuerint hi Comitis Consiliarii, evidenter adeo & luculenter ostendit laudatus anonymus Scriptor secundus, ut mea opinione refelli non possit. *Nobiles* nempe, erant Consiliarii Comitum Hollandiæ. (13) *Homines terræ nostræ.*

(11) Ampele Deductie p. 14. (12) *Ibid. p.* 201.
(13) Het Hoge-Geregts-Hof van Holland. pag. 26.

noſtræ. (14) Cum quibus Comes quidlibet, & ſine quibus nihil gerere poterat; videnturque fuiſſe, atque appellari poſſe, *Status Hollandiæ*: (15) præter quos & alios habuit Conſiliarios, qui an nobiles eſſent an ignobiles, haud conſtat ſatis, qui *Boni Viri* appellati. (16) Proindeque pronuntiatum *Alberti* Comitis Bavariæ, Hollandiæ tutoris ſeu *Ruardi*, quod prior Anonymus (17) primus attulit ex ms. non eſt judicium ab Ordinario tribunali juſtitiæ emanatum, ſed a Comite, Nobilibus, Civitatum Hollandiæ Deputatis, & a Conſiliariis extraordinariis ex Hannonia, Hollandia & Zelandia vocatis, factum. Qui conſiliarii fuerunt *Nobiles* trium provinciarum, & Deputati Civitatum, qui in ipſius Judicii ſubſcriptione exprimuntur: *Juſſu Domini Ducis Alberti. P. Conſilium Hanoniæ, Hollandiæ, Zeelandiæ tunc præſens & per Conſilium Villæ Dordrach. Delf, Leyden, Amſterdam.* Qui moroſius contendere vellet, per *Conſilium Hanoniæ Hollandiæ & Zeelandiæ*, non intelligendos *Nobiles*, & *Homines terræ noſtræ*, ſed homines togatos conſtituentes Tribunal Juſtitiæ ordinarium, is neceſſe haberet reſpondere, docereque nos, quibus cum perſpicillis hic detegat deceſſores modernorum Conſiliariorum Hollandiæ, quibus *Hannonia* attributa fuit numquam. Ut paucis abſolvam, qui antiquitus *Conſiliarii*, ii erant pro rebus *Status*, ſeu *Reipublicæ*; qui poſterioribus temporibus, & inprimis ſub imperio Burgundico, hi erant pro *adminiſtratione Juſtitiæ*: & quamvis illis attributa quoque ſit conſervatio ſupremæ poteſtatis etiam per *Philippum Bonum* (*de garder nos droits, hauteurs, Seigneuries & Domaines*) non capiunt tamen partem in Reip. adminiſtratione.

Quæ verò ex conjecturis fortunæ commiſſis nata eſt opinio, Magiſtratum Haganum eſſe Conſilii provincialis Hollandiæ *fœtum* aut *propaginem* (18) ea videtur conſenſum extorquere nec poſſe, nec debere. Cum quæritur de prioritate

(14) *Ibid. p.* 27. (15) *Ibid. p.* 27. 28. (16) *Ibid. p.* 38. 39.
(17) Brief behelzende twee preuven &c. pag. 44. *Et*: Het Hoge-Gerechts-Hof. p. 67. 73.
(18) Dat men die van den Hage . . . . . alleenlyck moet conſidereren voor een *Fœtus* ende *Afzetſel* van het ſelve Hofgeright. *Ampele Deductie pag.* 8.

tate judicum ac tribunalium in uno eodemque loco, oppido aut civitate ſedentium, prima ſtatim fronte, ob rei ipſius ideam, quæ etſi non cernitur, mente tamen concipitur, pronuntiandum videtur pro Magiſtratu loci, judice ordinario & naturali, contra Conſilii tribunal, judicem quidem majorem, ſed a Principe ſuperimpoſitum ſeris temporibus, cum cauſæ multiplicarentur, appellationes frequentes eſſent, & ipſius Principis, cujus dominia creverant, commodis, juribus & prærogativis propius inſpiciendum & cavendum eſſet. Et ita exiſtimandum puto in univerſum, niſi ſpeciales loci circumſtantiæ exceptionem conſtituant a theſi. Quid enim? Unde nata eſt, unde orta, prima Magiſtratuum auctoritas & jurisdictio? De prima quæro, ſeu primitiva, non de privilegiis a Principe conceſſis, unde unis major quàm aliis eſt auctoritas tributa; quæ poſterioribus quoque temporibus congruit. Ajo ego: Ubicumque eſt hominum adunatio & frequentia in eodem loco ubi ſedem figunt, ubi res ſuas ac fortunas collocant, ubi victum & amictum quærunt & ubi invicem coutuntur, ſocietatemque ac commune conſtituunt (ſive eos *vicinos*, ſive incolas, imo ruricolas appelles, nil refert) ibi, Magiſtratum aut judicem eſſe ut mente concipias, omnino neceſſe eſt ex ipſius rurſus rei idea. Nempe oportere ibi eſſe leges ſine quibus nulla conſtet ſocietas, res ipſa tibi loquitur. Et cum quæris; Quid ad rixas dirimendas, componendas diſſenſiones, ſuum cuique ſervandum, ablata reſtituenda, vim propulſandam? Tibi ipſi, velis nolis, ex concepta ſemel idea, reſpondes: eſſe ibi Magiſtratum, eſſe Judicem. Et, exigua ſi ibi communitas, exiguum ibi Magiſtratum, ſed tamen Magiſtratum eſſe, & judicem, qui initio pedaneus, lapſu temporis ſedem acceperit ac tribunal. Certe in ipſis coloniis, & apud *Iroquios* Americæ Septentrionalis barbaros populos, non niſi in caſis ac tiguriis habitantes, magiſtratum eſſe ac judicem, docebit qui de horum moribus & vita nuper ſcripſit non minus erudite quam eleganter. (19) Nuda adhuc & nuper nata ſocietas hominum, habet ordi-

(19) Mœurs des Sauvages Ameriquains, comparées aux mœurs des premiers temps. Par le P. Lafiteau de la Compagnie de Jeſus. Paris 1724. 2. Vol. in 4.

ordinem suam, ne aliàs societas non fiet: & qualiscumque politicæ compositio, dispositio, ordinatio, ubi ubi mihi occurris, secum adfert Magistratus ideam, animum percellentem, ac persuadentem.

Dum hæc principia accommodantur ad rem quæ præ manibus est, mirum videbitur, & nonnullis forte subinsulsum, quod Consilii Provincialis Hagani advocatus, originem Magistratus Hagani, *centum annis* statuat posteriorem Rege *Wilhelmo*. Id non affirmat planè, prorsus, absolute. Fateor. Præcauto opus erat. Ait, id esse *admodum verisimile*. *Na alle apparentie*. Sed unde illud ei apparuit? Quid si ego affirmavero, Magistratum Haganum esse *centum annis* verisimiliter anteriorem Rege *Wilhelmo*? Poscentur testes, poscentur tabulæ. Et has ego non reperi hactenus, uti nec ille reperit suas. Id unum occurrit mihi, quod *centum* omnino *annis* ante erectum per *Wilhelmum* Regem palatium Haganum, exstiterint SCABINI IN OPPIDIS ET VILLIS HOLLANDIÆ. Id me docuit *Wilhelmus* Rex ipse, confirmans pactum pacis inter *Philippum* Flandriæ & *Florentium* Hollandiæ, Comites, initæ Brugis anno Dominicæ Incarnationis MCXLVII. quod exstat in Edmundi Marene Thesauro nov. anecd. tom. I. col. 1036. ubi hi Principes statuunt: *Quod si quis mercatorum Comitis Flandriæ per terram Comitis Hollandiæ transierit, & aliquis eum de debito aliquo impetierit, mercator transiens, si debitum negaverit, in navi sua ne moram faciat, juramentum impetenti faciens, sine reprehensione sola manu se purgabit. Quod si impetens accipere noluerit, in oppidum vel in villam in qua mercator manet, eum sequetur, & judicio* SCABINORUM *illius* OPPIDI *vel* VILLÆ *causa inter eos terminabitur*. Hæc per parenthesim.

Verum enim verò, Tribunal Justitiæ, Consilium Provinciale, togatorum congregatio composita, destinata, instituta ad examinandas ac decidendas majores causas; adstricta supremi Principis Constituto, seu *Instructionibus*; præposita uni vel pluribus regionibus; coagmentata a Viris legum scientia & universi juris scripti & non scripti peritia præditis; & quos, nisi patria Academia formaverit, ad Judicis in superiori illo subsellio officium obeundum admittere recuses; tandem, quos esse oportet judices justos, æquos, fortes, constantes,

ſtantes, patientes, vacuos ab affectibus, muneribus abſtinentes, ab avaritia alienos, non iracundos, prudentes, ſobrios, clementes, benignos, ſeveros, probos ac ætate maturos; talis, inquam, congregatio, eſt Corpus minus fortuitum, ejusque idea menti imprimit originem plane diverſam, imperatque ut intelligas, illud cum magna ſapientia conditum, & ad magnam reip. utilitatem deſtinatum, ſub certis modo & forma, rebus publicis ita exigentibus, a ſupremo Principe erectum, inſtitutumque eſſe. Sane tribunalia ſuperiora omnia, Conſilia, Parlamenta, Audientiæ &c. ſuas habent fixas & certas epochas, a quibus eorum origo computatur: quæ quandoque obſcuratur, dum conamur illam retroagere quò illuſtrior fieret & venerabiliòr.

Nam quod pro Conſilii Provincialis Hollandiæ antiquitate ſtabilienda productum eſt argumentum (ſi tamen argumentum eſt) nempe quòd æquet ætatem Comitum; illud, inquam, nimium probat, adeoque nihil. Et ſi admittendum eſſet, tamquam non vitioſum, jam commune foret omnibus omnino tribunalibus juſtitiæ, quæ ſuperiorem aliquam in ſubditos jurisdictionem a Principe mandatam habent: quod nemo dixerit. Habent Hollandi domi ſuæ, prout & nationes aliæ, tribunalia ſuperiora, imo ſuprema, quæ recentiſſimæ ſunt ætatis. Et, niſi diſtinguas inter præteritorum ſeculorum Conſiliarios ambulantes hærentesque lateri Principis, & hodiernos ſedentes in tribunalibus, inevitabiliter delabêris ad abſurda. Si confundis, ſi miſces hodiernos Conſiliarios Parlamenti Pariſienſis, cum illis priſcis Conſiliariis ambulantibus, qui de comitatu erant ac de familia Regum primæ ac ſecundæ ſtirpis, concludendum erit, Parlamentum Pariſienſe æquare ætatem Monarchiæ Franciæ.

Unde non ſatis ego aſſequor, quid lucri quæratur in hac controverſia ex *Joannis Veldenarii* Chronico (20) qui ſcribens,

(20) Daer na toech die Coninck in ſyn Greffchap in Hollant, daer hi mit groter eren ende weerdicheyt ontfanghen wort. Ende hi dede in den Hage tymmeren een Coninckſlick pallaes, *daer hi van boge ſaken des rycs te recht ſat*; die ſtadtluden ende die borchſaten die gaven goetwillichlic den Coninc tins, ende brochten in des Keyſers camer, ſo dat ſyn camer overvloedich

bens, *Wilhelmum* Regem, de quo ſupra, palatium regium Hagæ exſtruxiſſe, addit: *in quo pro majoribus cauſis Imperii pro tribunali ſedebat.* Eſſet quod mecum reputarem, ſi *Veldenarius* dixiſſet, eum pro *majoribus cauſis Hollandiæ Zelandiæ & Friſiæ pro tribunali ſediſſe:* quamvis ne inde quidem conſequens eſſet, Conſilium provinciale ab eo in palatio illo ſuo eſſe inſtitutum. Hujus Chronici verba accipienda ſunt de Principe pro tribunali ſedente cum Conſiliariis lateri ſuo adhærentibus, & non niſi per vim imaginandi intelligi poſſunt de tribunali Juſtitiæ, aut de Conſilio provinciali quale ſupra deſcripſimus.

At at Conſilium Provinciale hodiernum ipſo illo in palatio ſedem habet ac tribunal. Quid tum poſtea? An id præter conſuetudinem, præter ſolitum? Galliam mente peragra, occurres Gratianopolitano Parlamento, quod ſedem habet ac tribunal in Delphini palatio (*Palais-Dauphin*) quod in illa eſt civitate; quodque incoluerunt Delphini Viennenſes unus poſt alium, ubi pro tribunali ſederunt & jus dixerunt ſubditis ſuis plus vice ſimplici. Et tamen dictum jam Parlamentum inſtitutionem ſuam acceptam fert *Carolo* VII. Francorum Regi an. 1435. Parlamentum Provinciæ, quod Aquis Sextiis congregatur, ſedet in palatio, hodieque appellato Regis *Renati.* (21) Nihilominus agnoſcit auctorem ſuum eſſe *Ludovicum* XII. an. 1501. Idem eſt de palatiis Burgidalenſi, Tholoſano, & Pariſienſi, antiquorum Regum domiciliis: quæ Parlamenta epocham certam habent, quam minime negant. (22)

Lubeat jam ad viciniores Hollandis regiones, eaſque Belgicas, oculum dirigere. Cum hæ Provinciæ diverſis adhuc Principibus parerent, non una fuit ubique & eadem ſeu reip. ſeu

vloedich ryck wert, ende groot van Schat. *Chronyck van Veldenaer pag.* 43. *edit. an.* 1650. *in* 4. Similiter Chronica de Hollant apud A. Matthæum Analect. tom. 5. pag. 541. in 4. „ Fecit conſtrui in *Haga Comitis* magnum palatium, ubi ſede„ re voluit judicans de aliis *Regni* negotiis. "

(21) Réne d'Anjou Roi de Naples, Comte de Provence, qui mourut dans ce palais en 1480.

(22) V. Paſquier Recher. de la France Liv. 2. Chap. 4. Dict. de Trevoux &c.

ſeu juſtitiæ adminiſtrandæ ratio. *Suis quæque legibus vivit & moribus*; donec Domus Burgundica, non ſtatim omnibus ſed præcipuis imperitaret, a qua inſtituta eſt & juſtitiæ & ærarii publici curandi forma, quam poſteriores Principes Belgii amplexi ſunt, uti in ſequentibus apparebit. Primus Burgundionum Dux *Philippus Audax* inſtituit Conſilium Provinciale Flandriæ anno 1385. quamvis *Pontus Heuterus* hanc erectionem in ſequentem annum rejiciat. (23) Certe quod Gandavi ſedet Conſilium Provinciale, auctorem illum ſuum agnoſcit, & nos mox probatum dabimus. *Philippus*, adita hæreditate Flandriæ, Comitis *Ludovici Malani* ſoceri ſui morte, anno 1384. ſublati, conſpiciens ſe, auctis ſibi dominiis, non poſſe curare imperium & rebus omnibus adeſſe, pacatamque habens Flandriam, quæ magis magisque frequentata per commercia ſua & fabricas, negotii plurimum & moleſtiæ creabat Principi, qui, uti adnotavit Marchantius, ob *Caroli Sexti* Galliæ Regis curatelam, frequenter una cum Conſiliariis abeſſe, neceſſe habebat, ſtatuit aliquam partem curæ publicæ in alios derivare, inſtituendo certum, firmum, ac fixum *Conſilium Juſtitiæ & Rationum publicarum*, quod erexit Inſulis Flandrorum, dato eidem primo præſide *Petro Van der Zype* (24) per tabulas quas hic exhibeo.

„ Pin-

(23) Inſulis Provinciale Flandrorum Concilium, ubi a ſententia ſui magiſtratus tamquam iniqua ad Principem ſuperioremque judicem, ut litem ex æquo & bono finiat, provocaretur, inſtituit. Sed cum Flandrice loquens Flandria domeſticis judiciis contenta, numquam inſulas (quod Gallica linguâ exercerent judicia) appellarent, Concilium negotiis litibuſque deſtitutum evanuit, manentibus tamen in hunc uſque diem Inſulis acceptorum expenſorumque Flandriæ Comitis Quæſtoribus, quod barbaré Cameram Computuum vocant. *P. Heut. Rer. Burgund. lib. 2. cap. 17.*

(24) Hunc primum fuiſſe præſidem ſcribunt Auctores omnes. V. Miræum & Sanderum, & audi L'Eſpinoy Recherch. de la Flandre pag. 305. *Noble, ſage & valeureux Chevalier Meſſire* Pierre de la Zype, *Gouverneur & Capitaine de la Ville d'Ypre en l'an mille trois cent quatre-vingt & trois . . . fut crée Chevalier par les mains de Meſſire Jean d'Oultre Chaſtelain & Viſcomte dudit Ypre, comme tesmoignent plus a plain les hiſtoires dudit temps, lequel* Che-

„ Philippe fils du Roy de France, Duc de Bourgogne,
„ Comte de Flandres, d'Arthois &c.

„ Cher & Feal. Comme depuis les dernieres emotions
„ avenues entre notre ville de Gand contre Monſeigneur &
„ beaupere *Louis de Maele* Comte de Flandres (que Dieu
„ abſolve) pour reduire ladite ville a ſon obeiſſance & a la
„ notre, le Conſeil ordonné en Flandres a été diſperſé, les
„ uns ſuivant notre perſonne, & d'autres retirez chez eux,
„ & qu'a preſent (Dieu merci) la dite ville de Gand eſt
„ remiſe a notre obeiſſance, ce que Nous donnant le temps
„ de pourvoir a la juſtice, Nous vous faiſons cette, pour
„ vous encharger de raſſembler tous nos Conſeillers, en
„ notre Ville de Lille, pour illec tenir le Conſeil tant de
„ Juſtice que des Comptes de Nos Comtez de Flandres,
„ d'Artois, Nevers & Rethel, & de nos Seigneuries &
„ villes d'Anvers & Malines, y compris Lille, Douay, &
„ Orchies, ayans donné les ordres neceſſaires pour vous
„ pourvoir de lieu convenable a *Tribunal de Juſtice & des*
„ *Comptes*, & d'une demeure & hotel pour votre particulier,
„ avec tous les privileges, franchiſes & exemptions, que
„ le Conſeil de Mondit Seigneur le Comte *Louis de Maele*
„ a joui, comme domeſtiques de l'hotel, & comptez par les
„ Eſcroues, (25) ſelon que les dits de Lille Nous ont pro-
„ mis

Chevalier depuis fut proveu du Gouvernement de Lille, Douay & Orchies, & pardeſſus ce pour ſa doctrine & ſageſſe, de l'eſtat de premier Preſident de Flandres, *inſtitué a Lille par Philippe le Hardy Duc de Bourgogne, Comte de Flandres, en l'an mille trois cent quatre-vingt & neuf.* Aberrat quadriennio: tabulæ inſtitutionis habent 1385.

(25) *Eſcroues.* Hæc vox torſit Ant. Matthæum cum ſcriberet ad Oliverii Marcani Rationarium aulæ Caroli audacis Analect. tom. 1. p. 249. edit. in 4. quam numquam plene intellexit. ESCROUE. *Chez le Roi ſe dit des rolles ou etats de la dependance de ſa maiſon.* Dict. de Trevoux. Hæc igitur vox ſignificat *album, indicem, catalogum.* Id detexit Matthæus. Sed quorum, qualiumve eſt index? Id non eſt aſſecutus. Liquet autem ex textu hic etiamſi aliunde non eſſet notum. *Eſcroues* ſunt indices habentes nomina eorum, ſeu Nobilium, ſeu togatorum, ſeu ſervientium, qui cenſentur *quaſi domeſtici* Principis. *Comme domeſtiques de l'hotel & comptez par les Eſcroues.*

„ mis de faire. A tant qu'il n'y ait faute, & ferez bien.
„ Donné a Paris le 1er. de Janvier 1385. Signé: *Gherbode.*
„ Et la ſuperſcription: A Notre Cher & Feal *Pierre Van den*
„ *Zype* Preſident de notre Conſeil ordonné en Flandre,
„ Artois &c. "

Prima pro novo hoc Conſilio Conſtituta ſeu *Inſtructiones*, editæ ſunt haud multo poſt, nempe die 15 Februarii ejusdem anni; (26) ante quem annum nullum per Flandriam, quamvis latiſſimam totius Belgii provinciam, Tribunal ſuperius cognitum fuit, nec ejus inſtituendi neceſſitas apparuit. Ipſa regionis conſtitutio, mores & uſus, tantam dabant Magiſtratibus & locorum dynaſtis auctoritatem ac Jurisdictionem civilem & criminalem, non excluſo appellationis remedio, ut agentibus urgentibusque Ballivis, Amannis, Schultetis, Mayeris aliisque hujusmodi Officiatis magno numero inſtitutis, cauſæ plurimæ deciderentur: adeo ut non niſi officiatorum immoderationes ſive exceſſus, & cauſæ majores, ad Principis audientiam pervenirent. Qui Comites animum popularem habentes & plebis ſalutis inprimis ſtudioſi, de negotio cognoſcebant cum nonnullis Vaſallis ſuis, aliisque miniſtris ac conſiliariis domeſticis; aut ex his judices delegabant; aut denique (& id frequenter) inter diſſidentes concordiam conciliabant ſine magna litium pompa vel apparatu.

Ludovicus Nivernenſis, qui & *Creſſiacus* dictus, primus inſtituit Conſilium quoddam ſeu Conſiliariorum adunationem, *Jointe* (27) dictam, vel etiam *La Chambre du Comte.* Non erat tribunal permanens, ſtabile, aut cui certæ cauſæ attributæ, vel territorium diſtinctum fuit, ſed quod Comes convocabat emergentibus cauſis majoribus, cauſis Principis (*Cas de Seigneurie*) quæ ſe præſente diſcuſſæ decidebantur.

Ludovicus Maleanus hujus *Creſſiaci* filius, habuit quorumdam pariter conſiliariorum adunationem, dictam *Audientiam Comitis*, *l'Audiance du Comte.* Hi erant qui medio ævo, *Miſſi Domi-*

Belgice dici poteſt: *Naamrollen, Naamlyſten des Princens bedienden; des Princens hof.*

(26) Lib. 1. Edictor. Flandr. pag. 234. ſub Rubr. XII.

(27) *Jointe* vox Hiſpana, *Junta.* Aſſemblée de gens, congregation. *Franc. Sobrino in Dict.*

Dominici, (saltem his proxime accedebant) hodie apud Gallos *Intendans* (28) appellati. Mittebantur qui Magistratuum & Officiatorum acta inspicerent, agendi modum examinarent, omnemque populi querimoniam audirent, atque ex eorum relatu Comes pronuntiabat in *Audientia* sua.

Qui attenta mente expendet *Instructiones* hodierno Consilio Provinciali Flandriæ scriptas, advertet eas formatas esse ad hos jam dictos mores & instituta: illosque Consiliarios, quos *Philippus Audax* in producto a Nobis diplomate, atque in ipsis *Instructionibus* (Art. XII.) loquitur, ac dicit lateri suo hærere, *Suivant notre personne*, *devers Nous*, *devers les Comtes*, qui etiam *lez Nous*, & apud Hollandos, *neffens Ons*; esse eosdem, quibus & *Ludovicus Nivernensis* & *Ludovicus Maleanus* ante *Philippum Audacem* usi sunt in administranda subditis justitia. Nec possunt horum duorum Comitum Consilia ambulantia, in eodem prædicamento seu categoria constitui cum hodierno Consilio Provinciali (cujus inde origo ad quadraginta annos retroageretur contra fidem diplomatis allati) quia memori mente recolendum est, fuisse Consiliarios meros delegatos, nudos Commissarios a Principe electos, pro re nata; & Consiliarios quidem illos, sed non judices fuisse. Solus enim Comes jus dixit, cum jus dictum fuit: & ipsi, ut loquar quod hodie dicimus, Votum consultativum habuerint, deliberativum aut decisivum non item.

Tribunal justitiæ hodiernum & de cujus origine quæritur, habet *notas* suas, ex quibus illud dignoscas, quæque secundùm quartum modum logicum, conveniunt omni & soli. Hæ *notæ* sunt tres: ut sit stabile, sedens, & territoriale. Ad has respexit *Philippus Audax* cùm erexit Consilium Provinciale Flandriæ, quod *stabile* voluit esse & permanens. Ita enim in secundis tabulis datis 5 Februarii 1385. quibus erectionem jam factam, ipsasque Instructiones confirmat: *Avons ordonné* &

(28) Les *Intendans* de Justice, Police, Finances, sont des gens de robe, que le Roi envoye dans les Provinces. Il y en a un dans chaque Generalité; pour donner ordre aux affaires extraordinaires. On les appelle aussy *Commissaires* departis en une telle Generalité pour l'execution des ordres du Roi. *Dict. de Trevoux.*

& deputé aucunes perſonnes notables, nos conſeilliers & gens de nos Comptes, nommez en nos autres lettres a chaſcun d'eulx ſur ce octroyez, POUR DEMOURER ET FAIRE CONTINUELLE RESIDENCE, *en noſtre ville de Lille.* (29) Per quæ verba illos Conſiliarios a latere ſuo avulſit, & in Corpus ſtabile ac permanens coadunavit. Fecit illud quoque *ſedens* ſeu ſedentarium, attribuendo firmam ſedem in loco definito, oppido nempe Inſulenſi. Et *territoriale* effecit, dum in prioribus tabulis ei juriſdictionem attribuit per Flandriam, Arteſiam, Nivernum, Retelium, & in oppidis Antverpia, Mechlinia, Inſulis, Duaco & Orchiaco.

Has notas reperias in tabulis quoque *Philippi Boni* erigentis Conſilium Provinciale Hollandiæ, Zelandiæ & Friſiæ, quod hodie primi vulgamus. Adeo ut, pace virorum eruditorum aliter hactenus ſentientium, dicendum videatur, errare illos, qui, dum in vetuſtis chartis ante ſeculum XIV. offendunt has voces, *Conſilium*, *Conſiliarii*, *notre Conſeil*, *Raedt*, *Raden* &c. inde concludunt, & concludi volunt, Ordinarium tribunal Juſtitiæ exſtitiſſe ante tempora Ducum Burgundiæ.

Antiquiſſimum inter omnia Belgica tribunalia Conſilium Flandriæ, exeunte ſeculo XIV. natum, non in exiguas incurrit difficultates, ob rei novitatem, cui populus ægre aſſuevit: quas juvat paullo attentius proſequi, quòd aliarum Provinciarum Belgicarum adminiſtratio, quamvis non per omnia mores moribus congruerent, ad aliquam ſimilitudinem accedat cum ea, quam in Flandria inſtitutam vidimus ratione tribuendi juſtitiam, jusque dicendi.

Conſilium a *Philippo* Inſulis conſtitutum, initio fuit *quinque-virale*, pro utriuſque objecti partitione: nempe *Petrus Van den Zype* præſes, & *Henricus de Mortagne* dictus *d'Epierres pro* juſtitiæ adminiſtratione; *Joannes Pais*, *Thomas le Begue* & *Henricus Lippin pro* Rationibus publicis; quibus nihilominus facultas fuit aſſumendi, ubi opus eſſet, Ballivum Inſulenſem & Quæſtorem Generalem, aliosque ex Comitis Conſiliariis illis quos diximus, & de quibus in ipſa *Philippi* Inſtructione ſic: *Appelleront avec eulx (toutesfois qu'il leur plaira) les aultres Conſeilliers de monſeigneur, qui ſont au pays.* (30).

Multam

(29) Lib. 1. Edictor. Flandr. Part. 2. fol. 237.
(30) Lib. 1. Part. 2. Edictor. Flandr. Rubr. XII. art. 2. fol. 234.

Multam ſtatim moleſtiam Conſilium ſuſtinuit a quatuor *Membris* Flandriæ: Gandavo, Brugâ ac Yprâ aperte refragantibus, quòd vetuſtam ſibi ſtare auctoritatem vellent. Et Gandavenſes palam negabant ſe tribunal illud Juſtitiæ agnituros, de Rationibus publicis Principis non curantes. Judices inferiores ſenſim ad illud adducebantur, accedentibus etiam poſtmodum inſignioribus aliquot oppidis, ſed unicè quoad ſingulares quaſdam cauſas, veluti cum de Jurisdictione quæſtio ac conflictus naſcebatur. Verum interceſſiones, contentioneſque ac detrectationes durarunt quamdiu *Philippus* vixit, qui obiit 1404. Et cum imperium accepit hujus filius Dux *Joannes*, *Intrepidus* dictus, nihil prius habuerunt quatuor Flandriæ Membra, quam contra niti: poſtulantes Conſilii abrogationem, vel, ſi Comiti firmum fixumque eſſet tribunal Juſtitiæ a patre erectum tueri ac ſuſtinere, ut cis Legiam aut Liſam fluvium collocaretur, ubi idiomate Flandrico & Curia haberetur & Audientia.

Ut eos placaret Dux *Joannes*, ſecundam viam ingreſſus eſt, & Conſilium ex oppido Inſulenſi tranſtulit Aldenardam, datis in eam rem literis 18. Auguſti 1405. Auxit quoque Conſiliariorum numerum, & biennio poſt Conſilium evocavit Gandavum per literas expeditas 30 Aprilis 1407. Illi dein addidit Equites duos (31) Conſiliarios *brevis togæ*, & novas præſcripſit Inſtructiones anno 1409. 17 Aug.

Interim pars Conſilii, quæ Rationibus publicis præerat, Inſulis permanſit, non poſtulatâ per quatuor Flandriæ Membra ejus abrogatione, aut evocatione cis Liſam. Proinde Camera Rationum ſedit Inſulis per tria ferè ſecula, uſque ad an. 1665. quando capto per *Ludovicum* XIV. oppido, ea Brugas migravit, dein tranſlata Bruxellas, ut ſuo loco videbimus.

Obſervandum eſt ex jam dictis, Conſilium Provinciale Flandriæ, non eſſe ex Camera Rationali Inſulenſi extractum, eductum aut deſumptum, uti vulgo affirmatur, ſed utriuſque erectio-

(31) Meſſire Jacques de Lichtervelde, Chevalier, Seigneur de Coolscamp & Aſſenbrouck. Meſſire Guilláume de Halewyn. *Lib.* 1. *Edict. Flandr. part.* 2. *fol.* 238. *ad marginem n. væ Inſtructionis.*

erectionem esse communem, in unum Corpus, institutum eodem die & loco, uti evincunt tabulæ *Philippi Audacis* a nobis adductæ, & *Institutio* prima, aliaque ex Edictis Flandriæ allegata. Viginti annis ab institutione communi elapsis, facta est separatio eo modo, eaque occasione, quam diximus; manente inter utrumque Corpus fraternitate quadam reverentiæ & honoris, etiam postquam Insulæ in Regis Galliæ dominium venerunt, a quo post annum 1668. pace publica apud Aquisgranum firmata, excitata & quasi resuscitata fuit Camera Rationalis pro rationum regiarum cura per Flandriam Gallicanam: constatque mihi, quod in mutuis epistolis se vicissim compellant Confratres: *Messieurs & Bons Confreres*; quo stylo usi sunt anno proximo elapso 1741.

Non una fuit post separationem, utriusque fortuna. Camera Rationum quiete & tranquille Insulis mansit, Consilium Justitiæ multis vicissitudinibus jactatum fuit, rebus per Flandriam turbatis. Anno 1405. Insulis Aldenardam, & hinc, ut dixi, an. 1407. Gandavum migravit. An. 1440. Cortraci sedit, & anno seq. secundò Gandavi. An. 1446. Teneramondæ, An. 1451. Ipris. An. 1463. tertio Gandavi usque ad an. 1487. cum fuit translatum Brugas. Hinc quarto Gandavi an. 1488. Missum fuit an. 1489. altera vice Teneramondam, & anno 1492. altera quoque vice Ipras, donec anno 1498. quintùm jam sedit Gandavi, ubi substitit usque ad tumultus universales seculi decimi sexti, quibus scissum fuit Belgium per Unionem Ultrajectinam anni 1579. Quo anno per jussionem Principis Parmensis expeditam Trajecti ad Mosam, profugit Duacum, ubi sedit annis sex. Reconciliata Gandavensi urbe, eam sextùm incoluit an. 1585. longo temporis spatio: donec eâ a Gallis interceptâ anno 1678. unum annum exulavit Brugis. Pace dein Neomagensi publicatâ antiquam sedem repetiit Gandavi anno 1679. quam hodieque tenet.

Non est quod loquar de aliis duobus in Flandria tribunalibus Consilio Justitiæ verustioribus, quorum uni nomen *Camera Legalis*, alteri *Hooftredenenga* apud Marchantium & Sanderum. Sufficerit notasse, quod Consilium Justitiæ in horum locum minime successerit, nec ex illis ducat originem suam. Existunt enim ambo etiam hodie, de quorum officio, munere, splendore & honore consulendi sunt auctores Flandri.

Pro-

Progrediamur ad declarandam originem Curiæ Hollandicæ, ſeu Conſilii Provincialis, cujus originis aſſerendæ cauſa, tota hæc noſtra inſtituta eſt diſputatio. Attendendum eſt ad ordinem vel ordinationem, quam pro rerum publicarum adminiſtratione induxit *Philippus Bonus*, primus e domo Burgundica Princeps qui Hollandis imperavit.

Non enarrabo infelices nuptias *Jacobæ Bavaræ*, Comitiſſæ Hollandiæ, nec res publicas ejus ævi, Hamatorum ac Aſellatorum factionibus turbatas, in quas ſe interpoſuit *Philippus*; has loquitur hiſtoria, & eæ nihil attinent ad propoſitum nobis ſcopum. Unum illud obſervo cum hiſtoricis noſtratibus: (32) *Anno* 1428. *quarta die Maji pax inter Ducem Philippum & Jacobam Comitiſſam renovata eſt, ipſaque Jacoba præſens ac volens in Hannoniam, Hollandiam, Zelandiam & Friſiam, unà cum Philippo profecta, per omnes civitates ſolemniter cum ut verum hæredem & Tutorem earumdem Provinciarum inaugurandum curavit.* Conciliationis tabulæ ſunt confectæ 3 Julii 1428. prout ex Codice Edictorum Hollandiæ citantur a conſentientibus hîc laudatis ſcriptoribus anonymis ambobus. Per has tabulas omnes reditus & proventus ad dominium harum Provinciarum ſpectantes reſervantur. (deductis oneribus) *Jacobæ* Comitiſſæ; quæ tamen illos non perciperet per ſuos homines, ſed per *Philippi* procuratores, cui tribuitur adminiſtratio annuarum obventionum omnium. Hîc opus cum eſſet diſpoſitione ac ordinatione explicata, expeditaque, qua & *Jacobæ* rationibus, & *Philippi*, hæredis deſignati, commodis conſuleretur, communi conſilio, mutuoque conſenſu ſtatuitur: ut *Philippus*, Tutor jam & Ruardus Hollandiæ (jure an injuriâ, nihil ad nos) inſtitueret, ſeu (33) *conſti-*

(32) Suffridus Petri in Append. ad Bekam pag. 158. Chronyck van Veldener blad. 130. Gouthoven pag. 455.

(33) *En Verba Conciliationis prædictæ deſumpta ex Codice Editorum Hallandiæ nov. edit. tom. 3. p. 15.* item, dat wy Hertoge ordoneeren ende ſtellen ſullen neegen Perſoonen, omme te verſtaan de ſaacken roerende den Lande van Hollandt, van Zeelandt ende van Vrieſlandt; te weeten drie, die onſe voorſz. Nighte ons noemen ſal: andere drie, die wy kieſen ſullen, ende drie anderen van andere Landen, ſulcke als ons goetduncken ſal, goede eerlycke Mannen ghenegen tot Peyſe en-

conſtitueret novem viros, quibus cura eſſet rerum publicarum per Hollandiam, Zelandiam ac Friſiam; nempe tres quos JACOBA *deſignaret, tres alios* PHILIPPUS *eligeret* (ex indigenis, uti videtur) *& reliquos tres ipſe quoque deſumeret ex aliis ditionibus ſuis, omnes viros bonos, probos, pacis ac concordiæ amantes, coram quibus omnes per Hollandiam, Zelandiam & Friſiam quæſtores, accepti & expenſi rationes redderent, præſentibus illis quos* JACOBA *mitteret ad contradicendum, refellendumque tabulas quæſtorum ejuſmodi. Qui verò per Hannoniam Rationatores eſſent, ii non bis Novemviris, ſed quibus conſueverant, rationes redderent.*

Atque ecce originem Cameræ Rationalis Hollandiæ, Hagæ-Comitum inſtitutæ, quæ vulgo dicta fuit *La Chambre des Comptes de la Haye*, vel etiam *La Chambre de la Haye*, ad diſtinctionem ſcilicet Cameræ Rationalis Inſulenſis, dictæ *La Chambre de Lille*, ante quadraginta annos inſtitutæ per *Philippum Audacem*, uti ſupra oſtenſum eſt: quæ diſtinctio in oculos inſilit vel ex eo, quod ab hujus Cameræ Rationalis Hollandiæ cognitione, vel ſi vis, Jurisdictione (*Reſſort*) excipiatur Hannonia. Hîc non inutiliter audietur *Goutboven*, cujus verba ſubjicio: (34).

Ano-

de tot Vreede. . . . . Ende die reeckeninghe van alle die Amptluyden ende Dienſtluyden van Hollandt, van Zeelandt ende van Vrieſlandt mitten toebehooren ſal men doen voor den negen voorſz. ende daar ſullen by moogen weeſen, die wy Hertoginne daar toe ſchicken ſullen, omme die te weederſpreecken ende te weederleggen. . . . . Ende die Amptluyden ende Dienſtluyden van Heenegouwen ſullen haire reeckeninghe doen voor den geenen daar dat gewoonelyck is.

(34) *Hertoghe Philips van Bourgoegne*, gewerden zynde Grave van Hollant, heeft noch ingheſtelt in den Haghe, een Collegie van ſeker getal van perſoonen, diemen de Meeſters ēn *Auditeurs* van de Rekeningen noemt, die het bewint, toeſicht ēn jurisdictie ſouden hebben, vander Graven van Hollant incomen, thienden, domeynen ēn andere Gerechtigheden, ēn voor dewelcke de Rentmeeſters van Noorthollant, Zuythollant, van Kermerlant, van Voorn, van Heuſden, van de Wilderniſſen ēn andere, ſoude comen Rekenſchap doen van haren ontfang ende uytgeven, als mede de Rentmeeſters van Beweſt ēn Beooſterſchelt in Zeelant, en namaels mede die van Vrieſlant en Wtrecht. *Goutboven pag.* 110. *col.* 2.

Anonymus ſcriptor primus (35) credidit ſe hic inveniſſe Conſilium ſeu tribunal Juſtitiæ, quod hodie Hagæ ſedet. E contrario Anonymus alter (36) Novemviris his nihil aliud tribuit niſi Rationum auditionem: & contendit, eos nullibi *Conſiliarios* appellari. (37) Neutrius judicium pronuntiandum eſt erroneum, in re huc uſque obſcura, de qua nos aliter ſentire non contingeret, niſi inventis jam tabulis ac diplomatibus, hactenus occultatis, quæ ab his viris eruditis inſpici haud potuêre.

Res plana apertaque fit ex diplomate *Philippi Boni* dato Brugis 14 Maji 1463. quod edimus in lucem, in quo hæc Camera Rationalis a ſe, ante triginta quatuor annos, tamquam Ruardo ſeu tutore, erecta, & a ſe, tamquam Comite Hollandiæ, Bruxellas migrare juſſa, appellatur: *Notre Chambre de la Haye*; *Notre Chambre du Conſeil de la Haye*; *Nos Conſeillers, Secretaires & Officiers.* Juriſdictionis porro fines clare commemorat *Philippus*, agnoſcens hujus Cameræ auctoritatem poteſtatemque ſeſe extendiſſe tam ad juſtitiæ adminiſtrationem, quàm ad rei æræriæ curam. *Tant en fait & exercice de juſtice, comme autrement ès affaires de Nous & de noſdits pays & ſujets de Hollande, Zelande & Friſe.*

Nempe *Philippus Bonus*, ut ſervaret pactum cum *Jacoba* initum, neceſſe habens Novemvirorum Cameram, Conſilium, Tribunal, Auditorium (de nomine non laboro) pro Hollandiæ, Zelandiæ ac Friſiæ rebus publicis erigere, avi ſui *Philippi Audacis* exemplum ſequi voluit, & apud Hagam-Comitis anno 1428. uti mox adductis tabulis evincemus, inſtituit Cameram Conſilii, plane ad normam Cameræ Inſulenſis, in qua ſimul *Cauſſarum & Rationum publicarum judicium* exerceretur per Hollandiam, Zelandiam, ac Friſiam. Et hæc Camera recte *Conſilium*, ejuſque Aſſeſſores recte *Conſiliarii* dicti, dicendique ſunt: quibus titulis omnes Cameræ Rationales Belgicæ, etiam Bruxellenſis, gaviſæ ſunt, gaudentque hodie, uti notum; appellanturque: *Conſeillers*

(35) Dit was het hof van Juſtitie, gecommitteert *ter zaaken van Holland.* Brief behelzende twee preuven. pag. 34.
(36) Het Hoge-Gerechts-Hof. pag. 109.
(37) Ibid. pag. 108.

ſeillers & Maitres. Raden en Rekenmeeſters. Quod ego iterum arbitror emanaſſe à *Philippo Audace*, qui Cameram Inſulenſem inſtituens pro Rationibus Galliæque Flandriæ, voluit illam appellari *Conſilium*. En verba inſtructionis Art. XIII. (38) *Item, es lettres & mandemens qu'ils donrone, ilz s'appelleront les gens du Conſeil de Monſeigneur le Duc, ordonnez en ſon pays de Flandres.*

Redeamus eò unde digreſſi ſumus. Conciliationis inter *Philippum Bonum* & *Jacobam Bavaram* tabulas, diximus datas fuiſſe die 3 Julii 1428. Hæ magno rei noſtræ hiſtoricæ auctoramento ſervatæ leguntur inter Edicta Hollandiæ. (39) Et quod ad rem facit, promittit ibi *Philippus*, ſe Novemvirorum, quos ſupra locuti ſumus, collegium, erecturum juxta litteras Mandati in hunc finem concedendi. Verba, quia rem conficiunt, addo in primigenia phraſi. *Welcke negen Perſoonen ſullen van ons Hertoge voornoemt wel en deughdelyck verſien, in die voorſz. ſtuecken naer inhoud der* Brieven van bevelinge, *die ſy van ons hebben ſullen, ende Ende daer af te doen in onſe handen, of in handen ons Canceliers of andere* &c. Atque ecce tibi hujus literas Mandati:

BEVEELINGHE DER NEGHENEN.

„ PHILLIPS &c. Doen condt allen luyden, want in
„ die ſoene gemaeckt tuſſchen onſen lieven ende gemin-
„ den Zuſter Vrouw *Jacob* Hertoginne in Beyeren, Gra-
„ vinne van Henegouwen, van Hollandt van Zeelandt, en-
„ de Vrouwe van Vryeſlandt, van den oorloge dat een
„ wyl tydts geweeſt heeft tuſſchen hoir aan een zyde, ende
„ ons aan die andre zyde, onder ander ſaken in eenen punte
„ begreepen is, dat negen perſoonen goede ende reckelyc-
„ ke

(38) Lib. 1. Edictor. Flandr. Part. 2. fol. 237.
(39) G. Placc. B. tom. 3. fol. 15.

» ke Manieren geneegen tot payſe ende tot Vreden, geſtelt,
» ende geordineert weeſen ſullen, van onſer weegen om te
» verſtaan ten ſaecken aenroerende den Landen van Hol-
» landt, van Zeelandt, ende van Vrieſlandt voorſchreeven,
» dats te weeten drye die onſe voorſchreeve Zuſter ons noe-
» men ſal, drye andere die wy neemen ſullen in die voor-
» ſchreeve Landen, ende drye andere van ander Landen
» ſulcke als ons goedt dencken ſal, SOO IS 'T, dat wy
» begeerende wail ende duechdelyck daar in te voorſien om
» dat goede betruwen ende gans geloeve, dat wy hebben
» ende dragen tot onſen Lieven getrouwen Heeren *Joban*
» Burchgrave van Montfoorde, Heeren *Joban van Vianen*
» Heer ter Noordeloofe, ende Heeren *Gberyt van Zyl* Rid-
» ders, die welcke in deſe ſaecke ons genoemt hebben ge-
» weeſt van weegen onſer voorſz. ſuſter, *Jacob* Heer tot
» Gaesbeeck &c. Onſe neve, Heeren *Hendrick van Borſel*
Heer van der Veer, Heeren *Willem van Egmonde*, Heeren
Roelandt van Wikerche Heer van Heeſtert ende van Heems-
roode, Heeren *Colairt van Comene* Heer van der Ruwer-
ſchure, ende *Bandyn van Zwieten*, die voornoemde ge-
ſteldt ende gemaghtight hebbe, ſtellen en machtigen met
deeſen brieve wel ende trouwelyck te verſtaan ende te voor-
ſien tot allen ſaecken die opcomen mooghen in die voorſchree-
ve Landen, te ordineeren, ende te ſetten van onſer wegen,
ende tot onſen weederſeggen, ende te ontſetten in die ſelve
Landen Bailjuwen, Schouten, Rentmeeſteren, ende alle
andere Rechteren ende Officieren tot alre tyt als hem dat
goet, ende oirbair dencken ſal, hoir reeckeninge te hooren,
ende te ſluyten, recht ende beſcheydt te doen ende te doen
doen in allen ſtucken, te corrigeren ende te doen corrige-
ren de quaetdoenders nae gelegenthydt der ſaecken, ende
anders alles te doen, nae inhout der voorſchreve zoene, dat
wy ſelve ſouden moogen doen, in onſen perſoon. Behou-
delyck onſe hervachticheyt, die wy hebben in den voor-
ſchreeven Landen, daar ſy hem niet off onderwinden en
ſullen, noch van onſer voorſchreve Suſter renten, breucken,
opcomingen ende vervallen, noch oock van den ſeltendeel
hoir toebehoorende, noch desgelyks van onſen vorderen *
bede nu tertyt gewillecourt derſelver onſer Suſter ende ons

* In alio apographo, in

quod menſe Auguſto 1742. vidi mſ. apud amicum Jureconſultum, Virum togatum Hagæ-Comitis, & antiquitatum patriarum peritiſſimum juxta ac ſtudioſiſſimum, legitur *vander* loco *verderen.*

in die voornoemde Lande van Hollandt, Zeelandt, ende Vryeſlandt, behoudelyck oock die Erffachtigheyt der ſelve Landen, giften ende Confirmatien van privilegien ende handtveſten, collatien ende preſentatien van geeſtelyke beneficien, ende van alle dienſten en officien, die vallen ſullen in die voornoemde Landen, daar geen ontfanck aen en kleeft; die welcke geheelyck aen ons blyven ſullen, van welcken ſaecken te doen wel ende denghdelyck in der manieren voirſchreeven onſe voirſchreve gemachtichde hebben eet gedaen in onſen handen; ende ſullen ſulcke wedden daer aff hebben als hem by onſen anderen brieven geordineert weeſen ſullen. Ontbieden daaromme ende bevelen allen den ampluden, Rechteren, dienaeren, ende onderſaeten der Lande voorſz. dient aengaen mach, dat ſy onſen gemachtigden bouven genoemt obedieren ende gehoorſaem zyn, ende in die ſaecken bouven vercklaert, troiſt, hulpe ende byſtant doen, indien dat ſys verſocht werden, want wy 't alſoo gedaen willen hebben. Dit ſal gedueren tot onſen weder ſeggen. In Oirconde &c. Datum Hage XIIIden dach in Auguſto, anno XXVIII.

By mynen Heer den Hertogh

J. Gros. †

† In alio cit. apographo perperam: J. Gand.

Et hæ ſunt tabulæ Erectionis Cameræ Rationalis Hollandiæ Hagæ-Comitis inſtitutæ, toties expetitæ, & in Hollandia cum anxietate quæſitæ, quod viderentur olim cum cæteris munimentis chartiſque ablatæ per Principem, & in Brabantiam avectæ fuiſſe, prout Conſilii Provincialis Hollandiæ patronus non ſine querela adnotavit. (40) Et hæc eſt illa Camera tam pro juſtitiæ adminiſtratione, quàm pro rationibus publicis inſtituta, quæ *Conſilii* appellatione venit in vetuſtis poſt annum 1428. diplomatibus. Tandem hæc eſt illa Camera, quam *Philippus Bonus* non præexiſtentem invenit, ſed *a ſe erectam, inſtitutamque* fuiſſe toties teſtatus eſt, in

(40) Ampele Deductien van den Hoven van Holland ende s' Gravenhage raakende haare Juriſdictie-Quæſtien, pag. 427.

in variis diplomatibus apud Hollandos obviis, quorum aliquot indicare lubet, quod non omnibus ad manum ſint.

Anno 1436. die 28 Auguſti teſtatur *Philippus* in diplomate Enchuſanis conceſſo (41) tabulas has, ſive Mandatum (*Beveelinghe*) a ſe emanaſſe, & hos Novemviros appellat *ſuos Conſiliarios* per Hollandiam.

Anno 1438. die 6 Martii teſtatur idem ipſe in diplomate iiſdem Enchuſanis conceſſo, cauſam quamdam ſeu litem inſtitutam fuiſſe coram *ſuo Conſilio* ad cauſas Hollandiæ ordinato. (42) Et in duobus aliis diplomatibus de 19 Decembris 1442. & 7 Novembris 1448. ad calcem amborum notatur, *Philippi* Ducis nomine jus dictum fuiſſe per *Conſilium Hollandiæ*. (43). Quid quod & alii occurrant teſtes, uti *Joannes de Lannoy* Hollandiæ gubernator pro *Philippo*, qui & Conſiliarios Ducis loquitur, & a Duce conſtitutos. (44) Et ipſa *Philippi* amita, *Margareta* in diplomate anni 1437. (45) Nequis vitilitiget, audiatur *Philippus* ipſe in tribus diplomatibus oppido Delphenſi conceſſis annis 1448. 1451 & 1452. in quibus ſingulis, Conſilium *a ſe inſtitutum*, ordinatumque pro-

(41) *Handveſten van Enckbuyſen pag.* 25. „ Niet tegenſtaende „ eenige macht, brieven, inſtructie of andre *beveelinghe*, die „ W y *onſen* Gouverneur of *Raeden van Hollandt*, of anderen „ voortydts mogen gedaan hebben, die wy in præjudici van „ deſen en willen van geenre waerden weeſen. “

(42) *Handveſten van Enckbuyſen pag.* 26. „ Philippus byder „ genade Godts &c. Doen kondt allen luyden, dat voor *onſen* „ trouwen Rade ghecommitteert de ſaecken onſer Landen „ van Hollandt, klachtelyck gekomen zyn onſe goede luyden „ van Enckhuyſen en Grootebroeck, over dié van Weſtwou- „ de, ſeggende &c. “

(43) *Ibid. pag.* 28. „ Aldus geteykent by Mynen Heere „ den Hertoge, ter relatie van de Heere van Laling (*Lalaing*) „ ende Rade van Hollandt. “

VRIESE.

(44) *Ibid. pag.* 29. „ Die Heer van Lannoy Steede-houder „ Generaal, ende andre die *Raden myns genaadigen Heeren* „ *s' Hertogen van Bourgonjen geſteldt ter ſaecke ſynre Landen, van* „ *Hollandt, Zeelandt en Vrieſlandt*. “

(45) *Privilegien en Handveſten van Rynlandt pag.* 704. „ Voir „ ons geminds Neeve Raade van Bourgongjen, gecommitteert „ ten ſaacken van Hollandt. “

pronuntiat. (46) Ubi obſerva eoſdem ab illo appellari *Conſilium Hollandiæ*, quos vocat *Cameram Rationum Hagæ-Comitis*.

Neminem porro movere debet aut ad dubitandum impellere, quod hi Novemviri ex proceribus, nobilibusque Hollandiæ ac Zelandiæ deſumpti ſint, quaſi infra procerum dignitatem foret, Rationibus publicis excutiendis dijudicandiſque præponi. Id Principibus Belgis in more poſitum fuiſſe reperies apud *Gouthovium* & *Chriſtophorum Butkens*, ut huic objectioni immorandum non ſit. Multo minus offendere debet, quod his Novemviris, ſeu Cameræ Rationali, detur auctoritas ac facultas inſtituendi ac deſtituendi Officiatos, Ballivos, Schultetos &c. qui juſtitiæ ſunt adminiſtri. Ea enim prærogativa olim, atque ab ipſa origine, fuit apud Cameras Rationales Belgicas omnes, dabanturque ejuſmodi officia *ad firmam* (*en amodiation*) pro nonnullo numero annorum, certoque pretio, uti patet ex *Caroli V.* ordinationibus pro Camera Inſulenſi. (47) .. Stetit hæc Camera Rationalis

(46) *Beſchryving van Delft pag.* 34. *Edit. in fol. anni* 1729. „ Ontbeyden daerom ende beveelen onſen Leyven ende getrouwen den Heer van Lamoy (*Lannoy*) Ridder, onſen „ Raadt, Caamerlinck ende Steede-houder in onſen Lande „ van Hollant, Zeelant, ende Vryeſlant, Onſe Raadsluyden „ *by ons geſtelds ende gecommitteert* ten ſaacken onſer voorſz. Lande weeſende in den Haach. „ *Ibid. pag.* 36. „ Ombieden „ daar om ende beveelen onſen Lyeven getrouwen Steede„ houder, ende *Raadsluyden by Ons geſtelt* totten ſaicken on„ ſer Landen van Hollant, Zeelant ende Vryeſlant, *onſen* „ *Luyden van de Reeckenhouwer in den Haage.* „ *Ibid. pag.* 37. „ Daarom iſt dat achter dyen, dat by onſen Lieven ende „ ghetrouwen Steedehouder Generaal, ende andre Raatſluy„ den *by ons geſtelt, ende gheordonneert* in onſe voorſz. Landen „ van Hollant, reſiderende in den Haage. "

(47) EXTRAIT *des Ordonn^ces. & Inſtructions pour la Chambre des Comptes à Liſle, faites le 5 d'8bre* 1541.

CHARLES &c.

Art. 85.

ITem ordonnons que doreſenavans les Officiers de Juſtice, qui ſe baillent par Admodiation, ſe donneront pour le moins

nalis Hollandiæ cum Juſtitiæ ſimul & rationum publicarum adminiſtratione, annis omnino triginta & quatuor, ab anno nempe 1428. uſque ad exeuntem annum 1462. cum prima intervenit converſio rerum & perſonarum, ſcriptis eidem Cameræ *Inſtructionibus* per *Carolum* Burgundum, Caroleſii Comitem, *Philippi* patris mandato: quæ *Inſtructiones* ſuperſunt hodieque, & reperiuntur inter Edicta Hollandiæ. Proinde, quod nobis dicendum reſtat, certæ prorſus fidei redditur ex monumento hoc publico. (48) In quo illud obſervo, quod diſertis verbis, & quæ nullam admit-

moins pour neuf ou dix ans, afin qu'on puiſſe trouver Gens de bien, qui les veulent accepter, & qu'ils gardent nos droits & hauteurs, mieux qu'on n'a fait par le paſſé quand on les bailloit ſeulement pour trois ou quatre ans.

(48) *Groot Placcaat-boeck van Hollant pag. 631. tom. 3. nov. edit.* „ Charles van Bourgoinge, Grave van Charralois, Hee„re van Chaſteaubelin en van Bethune: aen onſen lieven en„ de ghemindé den Stadthouder ende Luyden van *der Kaa„mere van den Raade reſidentie houdende in den Haage, geordineert „ by myn genaadigen Heere en Vaader, in ſyn Landen van Hollandt, „ Zeelandt ende Vrieſlandt*, Saluyt ende Minne. Alſoo onder „ andre onderwyſinge ons gedaan by Edelen en gedeputeer„den van de goede Steeden der voorſz. Landen, ons te ken„nen gegeven is, hoe dat by ſeeckere en ſonderlinge merc„kelycke redene van grooten noode is, te voorſien tot 'er „reformatie van der voorſz. Raadtkaamer in diverſche ſaac„ken *tot vermeerderinge en voorderniſſe van Juſtitie*, ende daar „aff dat wy tot begeerte van de voornoemde Edelen ende „gedeputeerden, onſe voornoemde genaadige Heere en Vaa„der geadverteert gehadt hebben, Die welcke by ſynen ope„nen brieven belieft heeft ons macht ende authorityt te „geeven, met ſulcke Proviſie daar inne te voorſien, en daar „by te ordineren, als daar toe behooren, ende ons goedt „en oirbaarlyck duncken ſal: Soo ist, Dat wy willende, „als wel redene is, daar inne obedieren t'bevel van mynen „genaadigen Heere ende Vaader voorſz. hebben by groote „ryphydt en deſiberatie van Raade geordineert, ende by dee„ſen teegenwoordigen ordineeren van weege myn voorſz. „Heere, op de ſaacke en t'geſtandt van der reformatie van „derſelver Raadt-Kaamer, die Puncten en articulen hier „naarvolgende:

admittunt diſputationem, dubitationemve, *Carolus* pronunciet, *Cameram conſilii ſedentis apud Hagam Comitis, inſtitutam fuiſſe per patrem ſuum pro Hollandia, Zelandia & Friſia.* Et quin imo *Maria* Burgundica *Caroli* Filia & hæres, clariſſimis quoque verbis prodidit, *Carolum* patrem, *Philippum*que avum, habuiſſe in Hollandia, *Cameram Conſilii ſedentem Hagæ pro conſervatione jurium, præeminentiarum, juriſdictioniſque, nec non pro juſtitiæ adminiſtratione.* (49) Nemo, ut ego quidem exiſtimo, gravate concedet, accipi hæc non poſſe

I.

„ Ten eerſten, overmidts dat inder voorſz. *Kaámere van* „ *der Raade* t'zeedert der inſtitutie van derzelver, by beede „ ende importune vervolge en anderſints, veele Raadtſluyden „ ontfangen ende onthouden geweeſt hebben, boven *t'getal* „ *datter een wyle tydts gheleeden*, aldaar geordineert waar, van „ den welcken veele die brieven van onthoude verkreegen „ hebben, om te dienen in abſentie van den geenen dieder „ teegenwoordigh niet en ſyn, by welcke meenigte van Raads- „ luyden dickwils groote confuſien ende veele inconvenien- „ ten geſchiedt; Waar op dat wy begeerende daar inne te „ voorſien, geordoneert hebben, ende ordoneren, dat van „ nu voortaen in der voorſz. *Kaamere van den Raade* niet meer „ weeſen en ſullen gecommitteert ende geordoneert van my- „ nen voorſz. Heere weegen en Vader, dan aght Raatſluyden „ met den Steedehouder. Welcke aght Raatſluyden weeſen „ ſullen *Notable Mannen wel beſoght ende geexperimenteert in ſaac- „ ken van Juſtitie.* Van welcke aght die een geordineert wee- „ ſen ſal, te præſideren in den Raadt in de abſentie van den „ voorſz. Steedehouder. Ende dat geen andre Raadt en ſal „ in die ſteede, off in die abſentie van eenige van die aght „ Raadtſluyden boven geroert, moogen dienen, nogh ſtaat „ hebben in de voorſz. Raadt-Kaamer tot wedden nogh ſon- „ der wedden. "

(49) *Groot Placcaat-boeck Tom.* 3. *pag.* 644. *nov. edit.* „ Alſoo „ by voorleeden tyden onſe harde, lieve, ende welgemide „ Heeren ende Vader, ende oude Vadere zalr. gedacheniſſe, „ als Grave van Hollandt, Zeelandt ende Vrieſlandt, onder „ andre ſaacken gehadt hebben, binnen haaren Landen voorſz. „ eenen Steedehouder ende Raadtkaamer, met ſeekere andere „ dienaaren ende officieren, reſideerende in den Haage, om „ de bewareniſſe ende onderhoudt van haare reghten, Hoog- „ hydt, Heerlyckhydt aldaar, ende ook van der Juſtitie &c. "

poſſe de alia Camera Conſilii, quàm de ea, quæ *Philippum Bonum* habet auctorem, & anno quidem 1428. juxta adductas ſupra tabulas.

Sed nondum manum de tabula. In proëmio, atque in primo articulo *Inſtructionum* narrat *Carolus*, delatas ad ſe fuiſſe querelas per Nobiles & Civitatum Hollandiæ, Zelandiæ ac Friſiæ Deputatos, de neceſſitate reformandi Cameram Conſilii, ad meliorem Juſtitiæ adminiſtrationem; quibus ad patrem delatis, poteſtatem ab eo ſibi factam, ut interim provideret prout expedire videret. Et quæ fuêre hæ querelæ? Duplices nempe. Primæ: Auctus nimium erat numerus Conſiliariorum, qui precibus, & importunis rogationibus, aliisque modis a Principe impetrarant diplomata reſervativa * quibus locus primo vacaturus, etiam per aliquanti temporis abſentiam, ſervabatur impetrantibus cum vel ſine ſalariis, ** prout Principi videbatur; auctus, inquam, erat ſupra numerum, non ab antiquo, aut ab immemoriali tempore, aut a tribus ſeculis conſtitutum, ſed *haud diu, haud ita pridem* † *ordinatum*, nempe ante triginta quatuor annos per patrem *Philippum*; & auctus erat uſque ad octo ſupra viginti, prout videre eſt in Sententia 119. inter ſententias typis impreſſas tam Supremi quod Hagæ eſt, quam Provincialis Conſilii, ubi pag. 418. expreſſis nominibus enumerantur. Porro *Carolus* numerum competentem reſtituere volens, ſtatuit, ut poſthac patris nomine, non niſi octo Conſiliarii cum Gubernatore Provinciæ in Camera Conſilii rebus Juſtitiæ præeſſent. Atque ecce novemviratus a *Philippo* primùm anno 1428. inſtitutus. Secundæ querelæ ſpectabant qualitates judicum, in quibus deſiderabatur doctrina, eruditio, intelligentia, ingenium, quos ſtatuit in poſterum eſſe debere jureconſultos, viros probatos & praxeos peritos ‡ quos non ſit neceſſe inter proceres ſeligere, nobileſve, quales fuerant Novemviri a *Philippo* inſtituti. Reliqua, quæ in dictis Inſtructionibus continentur ad propoſitum non pertinent.

Attributa per *Carolum* Novemviris adminiſtratione Juſtitiæ, ſupererant decem & novem in Camera Conſilii, qui rationibus publicis excipiendis (de quibus nullæ querelæ) eſſent intenti, quibus ab illo nihil cernimus imperatum. Aſt pater *Philippus*, octo poſt menſibus, nempe anni 1463. menſe

* *Brieven van ontboude. Brevets de Retenuë.*

** *Wedden. Gages.*

† *Boven 't getal datter een wyle tyds gheleeden aldaar geordineert waer.*

‡ *Notable Mannen, wel beſoght ende g'experimenteert in ſaacken van Juſtitie.*

Majo, filii provisionalem ordinationem examinans, eamque suprema auctoritate confirmans, Novemviros illos Justitiæ præpositos, e Camera eduxit, & in Consilium seu Tribunal Justitiæ ordinarium erexit per diploma, quod in Camera Rationali Bruxellensi inventum, & jam sæpe promissum mox subjungemus.

Actum est in Hollandia, quod olim, ut supra vidimus, actum fuit in Flandria. *Joannes Intrepidus* è Camera Rationali Insulensi eduxit, eo quem diximus, sensu, Consilium Provinciale Flandriæ; & *Philippus Bonus* e Camera Rationali Hagana eduxit Consilium Provinciale Hollandiæ, hac sola & unica interveniente differentia, quod pars Cameræ Insulensis, quæ Rationibus publicis præerat, gavisa sit possessione loci natalis, ut ita loquar; & pars altera, cui Justitiæ faciendæ tributa fuit cura, alias coacta fuerit sedes quærere: e contrario, Hagæ natale solum tenuerit Novemviratus Justitiæ præpositus, & pars altera Cameræ Haganæ cum Rationum publicarum curandarum auctoritate in vicinam migraverit Brabantiam.

Subjicio proinde Diploma *Philippi Boni*, quod systema nostrum, nisi egregie fallar, apertissime evincit.

EXTRAICT *du Regitre de la Chambre des Comptes de Brabant cotté N. 3. commençant a la St. Jean Baptiste* 1452. *ou se trouve entre autres fol.* 155. *& seq. ce qui suit.*

REFORMATION sur tous les Conseillers en Hollande, & la Chambre des Comptes a la Haye abolie & transferée a Bruxelles.

PHILIPPE par la grace de Dieu, Duc de Bourgogne, de Lothier, de Brabant & de Lembourg; (50) Comte de

(50) *Lembourg*) pro *Limbourg*. Ita semper illo tempore. V. Oliv. Vredium Geneal. des Comtes de Fland. part. 2. fol. 379. 381. Sigill. Co. Flandr. fol. 94. 97.

de Flandres, d'Artois de Bourgogne; Palatin de Hainau, de Hollande, de Zeelande & de Namur; Marquis du St. Empire, Seigneur de Friſe, de Salins & de Malines. A tous ceux que ces preſentes lettres verront, SALUT. Comme notre tres Cher & tres Amé Fils le Comte de Charolois, au mois de Septembre dernierement paſſé, etant en notre hotel de la Haye en Hollande, & illec beſoignant, pour & au nom de Nous, avec les Nobles du Pays & Deputés des bonnes Villes de Hollande, Zeelande & Friſe, ſur le fait de l'aide a Nous dernierement accordé eſdits Pays, entre autres choſes, par vertu du pouvoir par Nous a Luy baillé en cette partie, pour ſatisfaire a certaines remontrances a Luy lors faites au lieu de Nous & en notre abſence, par leſdits Nobles & Deputés deſdites bonnes Villes deſdits Pays, comment beſoin etoit & grande neceſſité de reformer notre Chambre audit lieu de la Haye en pluſieurs cas, & d'y pourvoir, au bien, avancement & adreſſement de Juſtice, des communes affaires, & du bien publique de noſdits Pays, & de nos ſujets d'iceux, ait par grande & mure deliberation, & memement par l'avis d'aucuns de notre Grand Conſeil y etans avec Luy par notre ordonnance, & d'autres notables deſdits Pays, fait de par Nous certaine ordonnance en notre dite Chambre a la Haye, tant ſur le nombre & conduite de nos Conſeillers, Secretaires & autres Officiers y neceſſaires, comme ſur le fait de leurs ſalaires, & memement ſur & touchant la conduite, l'exercice, & direction de la Juſtice en icelle notre Chambre, & le tout fait rediger & metre par ecrit en un cahier contenant pluſieurs articles, & de ce baillie ſes lettres patentes ſëellées de ſon ſëel, le double deſquelles Nous a été raporté par deça, & l'avons fait voir & viſiter bien mûrement par les Gens de notre Grand Conſeil etant lez Nous, SAVOIR FAISONS que Nous, qui toujours deſirons comme devons le bien & l'avancement de Juſtice & de la choſe publique de nos Pays, Seigneuries & ſujets, recommandons en ce le bon aquit de notredit Fils, attendu ce que dit eſt, leſdites reformations & ordonnances ainſy faites par iceluy notredit Fils en notredite Chambre du Conſeil a la Haye, & leſquelles tenons icy pour ſuffiſamment exprimées, avons par l'avis & deliberation deſdits Gens

Gens de notredit Grand Conſeil êtans lez Nous, & de notre certaine ſcience, loué, agrêé, ratifié & confirmé, luons, agreons, ratifions & confirmons, & de nouvel, en tant que metier ſoit, les ordonnons de notre authorité & pleine puiſſance, par ces dites nos preſentes, en tous & chacun leurs points & articles, ſauves les moderations ci après declarées; & avons voulu & ordonné, Voulons & Ordonnons par icelles preſentes, que doreſenavant nos amés & feaux Lieutenant General les Gens de notre Conſeil, Greffier, Avocat, Procureur, Secretaires, & autres Officiers d'icelle notre Chambre gardent & obſervent leſdites Ordonnances, & ſelon icelles, & les modifications ci apres declarées, comme dit eſt, ſe reglent & conduiſent chacun en ſon endroit, tant en fait & exerciſe de Juſtice, comme autrement ès affaires de Nous, & de noſdits Pays & ſujets de Hollande, Zeelande & Friſe, & gardent & obſervent icelles Ordonnances & ces preſentes de point en point, ſelon leur forme & teneur, ſans inover ou faire choſe au contraire, ſur tout-qu'ils Nous doutent deſobeir & peuvent fourfaire envers Nous; & afin que chacun en ſoit pleinement averti, & que nul ne s'en peut excuſer par ignorance, Voulons & Mandons que par notredit Lieutenant General ceſdites Ordonnances, enſemble cette notre Confirmation & moderation, ſoyent ſignifiées & publiées deuement en notredite Chambre du Conſeil a la Haye, en la maniere accoutumée, & qu'il appartient en tel cas: Mandons auſſii & Commandons a tous nos Juſticiers, Officiers & ſujets quelconques, & memement a ceux de noſdits pays de Hollande, Zeelande & Friſe, & a chacun d'eux, que a noſdites Ordonnances & modifications ils obeiſſent, chacun en ſon endroit, ſans refus ou contredit quelconque: Et pour ce que ſommes aſſez averti, que la grande multitude (51) de nos Conſeillers, Secretaires & Officiers, que par importunité des requerans ont depuis certains tems etant * en notredite Chambre, a donné cauſe & occaſion à la confuſion qui y a été, & que la Juſtice & les autres affaires n'y ont pas été adreſſés, ni conduits par bon ordre, au

* été.

(51) *La grande multitude de nos Conſeillers* &c.) Accreverat numerus ad viginti octo uti dictum.

en moins tel que faire ſe devoient; parquoi eſt beſoin d'en retraindre le nombre, & d'y mettre Gens notables, expres, ** aimant DIEU, le bien de Juſtice de notre Seigneurie & deſdits Pays. Nous par notre dite auctorité & pleine puiſſance, pour leſdites & autres cauſes raiſonnables à ce Nous mouvans, avons dechargè & deporté, dechargeons & deportons par ces preſentes tous & chacun des Conſeillers, Greffier, Avocat, Procureur & Secretaire, Huiſſier & Maſſagers de notre dite Chambre de Conſeil a la Haye en Hollande, & afin d'obvier a ſemblable confuſion pour le tems à venir, & pourvoir au bien de la Juſtice & de la choſe publique de noſdits Pays de Hollande, Zeelande & Friſe, qui grandement dependent de l'adreſſe & bonne conduite de notre dite Chambre de Conſeil a la Haye, avons ordonné & ordonnons que dores en avant ſoyent & ſeront en notredite Chambre du Conſeil a la Haye, ſeulement huit nos Conſeillers notables, avec notre Lieutenant General preſent & à venir, qui auront gages, tels que ci apres leur taxons & ordonnons, & a chacun en ſon degrè; un Greffier, tel que par autres nos lettres a ce commettons, ſans gages; notre Avocat & notre Procureur; le Garde des Regitres, & Clerc des fiefs de notre dit Pays de Hollande, Zeelande & Friſe ſignant en ſon office; & deux autres Secretaires ſignants, ſans plus, avec un Receveur des Exploits de notre dite Chambre, qui tous auront gages tels que ci apres auſſi leur taxons, exceptè ledit Greffier, qui n'aura aucun gage comme dit eſt: car Nous avons ordonnés & ordonnons par ces preſentes, que l'office de Greffier ſoit baillié dores en avant a ferme, a perſonne idoine, plus offrant & d'arrain † encheriſſeur. Item aura auſſy en notre dite Chambre de Conſeil deux huiſſiers & aucuns Meſſagers, qui n'auront point de gage, fors que pour les jours de leur vacations, & durant les voyages qu'ils feront pour Nous & pour nos affaires ſeulement. Apres, avons aboli & aboliſſons de notre ſcience & puiſſance notre Chambre des Comptes a la Haye, & avons dechargé & dechargeons par ces dites preſentes les Gens de nosdits Comptes a la Haye & chacun d'iceux, & ladite Chambre de nos Comptes avons transmuée & transmuons

** experts.

† *l.* dernier.

muons de nosdits pays de Hollande, Zeelande & Friſe, & l'avons jointe & joignons avec la Chambre de nos Comptes a Bruxelles. Et en outre pour les grands biens, vertus, merites & ſuffiſance des perſonnes de nos Amés & feaux Meſſire *Guillaume Dalcmair*, (52) Chevalier, *Gerard de Aſſendelf* (53) Ecuier, Maitre *Jehan de Halewin*, (54) *Jean Petitpas* (55) *Louis du Chesne*, & *Jehan de le Bouvrie* Licentié es Loix, *Henry Janſſoen de Wiſſenbeke* *, & Maitre *Woutre Janſz Zierezie* †, & de leur preud' hommie & loyauté, bonne diligence & experience en fait de juſtice, dont ſommes pleinement informé, Nous d'iceux confians, les avons faits, ordonnés, etablis & commis; faiſons, ordonnons, etabliſſons & commettons par ces preſentes, nos Conſeillers en notre Chambre de Conſeil a la Haye en Hollande, avec notre Amé & feal Chevalier Conſeiller Chambellan & Lieutenant General de nosdits Pays de Hollande, Zeelande & Friſe, le Seig^r. *de la Gruythuſe* (56) & avec ſes ſucceſſeurs pour le tems nos

* *Infra*: Wiſſekercke.
† *Infra*: Woutre Janſz de Zeericzée.

(52) *Guillaume Dalcmair*) Suſpicor eſſe mendum, legendumque: *Alkemade*. Apud Gouthoven fol. 173. ita lego: *Heer en Meeſter Willem van Alkemade, Ridder; Rechtsgeleerde ende Raet in den Hage, ſterf ſeer out ſonder kinders, An.* 1473.

(53) *Gerard van Aſſendelf*) Heer Gheerit: *Heer van Aſſendelft, Cralingen en Heemskercke, Ridder, Raet in den Hage: hadde te wyve Vrou* Beatrix van Dongen (*dat ander Dalem noemen, uyten huyſe van Arckel*) *Ambachtsvrouwe van Beſoyen en Heynenoort in Zuytbollant* &c.

(54) *Jehan de Halewin*) qui inter Conſiliarios Hollandiæ numeratur a Gouthovio p. 104. his verbis: *Mr.* Jan van Halewyn, *namaels Preſident ende gheexecuteerde*. De quo tamquam præſide ita ſcripſit p. 102. *Heer ende Meeſter* Joan van Halewyn, Heere van Swevegem *in Vlaenderen, wert Preſident van den Hove van Hollant ghenoemt, An.* 1475. *ende An.* 1477. *ende wert doen mede gedeporteert met den Stadthouder* Heer van de Gruythuyſen, *volghende het nieu Privilegie, dat de Vreemdelingben in Hollant niet meer regeeren ſouden. Ick bevinde dat den voorſz. meeſter* Jan van Halewyn *namaels gheexecuteert wert.*

(55) *Jean Petit-pas*) Is quoque apud Gouthovium legitur p. 104. nec non *Mr.* Wouter Janz. Et *Mr.* Jan de la Bouverye *uyt Walsvlaenderen*. Duo reliqui non occurrunt.

(56) *Le Seigr. de la Gruythuſe*) Audi Gouthovium fol. 100. Heer

nos Lieutenants en iceux pays, a la conſultation, deliberation, concluſion, adrece & conduite, tant de la juſtice, comme de nos propres affaires, droits, domaines, hauteur & Seigneurie, comme auſſy de toutes autres beſognes & affaires de nosdits pays de Hollande, Zeelande & Friſe, & de nos ſujets d'iceux: leſquels nos Lieutenant & huit Conſeillers connoitront de tous cas criminels & civils, & autres dont la connoiſſance Nous compete & apartient de droit ou de coutume eſdits pays de Hollande, Zeelande & Friſe, & a cauſe d'iceux, ſelon certain article de leur pouvoir incorporé plus au long ès ordonnances deſusdites. Auxquels nos Lieutenant & huit Conſeillers de notre dite Chambre a la Haye, Nous avons tauxé & tauxons les gages, qui ci apres s'enſuivent: C'eſt a ſavoir, audit Seigneur *de la Gruythuyſe* la ſomme de trois cents livres de gros de notre monoye de Flandre par an, & ce pour tous gages & de droits de robes, uſtenſilles d'Hotel, bois, tourbes, chariages, battellage, belle Chre, (57) & tous autres droits, emolumens & profits, que ſes predeceſſeurs en office ont par ci devant prins & eu de Nous a cauſe dudit office de notre Lieutenant, tant ſur la Recette de notre Receveur de Noort Hollande, que autrement; & moyennant leſquels gages de iij^{c}. L. de gros par an, ledit Seig^{r}. *de Gruythuyſe* n'aura, ne prendra de Nous autres gages pour voyages ou vacations qu'il fera pour les affaires

Heer Lodewyck van Brugghe, *Heer van der Gruythuyſen, Prince van Steenbuyſen, Grave van Wynceſter in Engelant, Heere van Haemſtede in Zeelant. Deſe was mede een Vlaemſch Heere van grooten huyſe, was Stadthouder xij. jaeren lang, met grooter eeren: maer na den doot van Hertogh* Caerl van Bourgoegne, *alſo deſen Stadhouder van den Edeldom van Hollant, beſonder van de Cabbelliauſche partye niet bemint was, en de Hollanders ſeyden,* dat ſy van de Vlamingen niet meer begeerden geregeert te werden, *ſo heeft hy goetwillichlyck vant Stadhouderſchap afſtant gedaen An.* 1477. *ontrent Paeſſchen.* V. Smallegange Chronyk van Zeelant fol. 687. Fuit Eques Ordinis aurei Velleris. V. Maurice N. LXI. fol. 65.

(57) *belle Chre*) Hujus vocis, per compendium ſeu abbreviationem expreſſæ, ſignificationem aſſequi nequivi, adhibito fruſtra conſilio.

affaires de nosdits pays; & audit Messre. *Guillaume D'alemaer* Chevalier, *Gerard de Assendelph*, Maitre *Jehan de Halewin*, & Maitre *Jean Petitpas*, a chacun d'eux seize sols par jour au prix de deux gros dite monoye de Flandre chacun sol, & Maitre *Loys Du Chêne* & *Jehan de le Bouvrie* treize sols par jour a chacun, & a *Henry Jans de Wisselkercke*, & Maitre *Woutre Jansz de Zeericzée* a chacun dix sols par jour; lesquels gages dessus declarés ils prendront de Nous, & leur feront compter pour autant de jours que au long de l'année ils auront vaqué & été presens en notre dite Chambre de la Haye, Nous servant en icelle selon les ordonnances dessus dites, & leur seront dores navant payés aux termes accoutumés par vertu de notre presente Ordonnance par notre Rentmre general de Hollande present & avenir, à la certification dudit Greffier de notre dite Chambre qui sera pour le tems, & lequel tiendra le compte de leur dites presences, pour les certifier comme dessus, & avec nosdits Lieutenant & huit Conseillers sera continuelement ledit Greffier de notredit Conseil, sans gages comme devant est couché, lequel se reglera selon qu'il est devis (58) & ordonnances dessus dites; & en cette notre modification touchant l'etat & exercice de son office; Au surplus avont commis & commettons par ces dites presentes nos amez & feaux Maitre *Matthias de Groothée*, notre Avocat en notredite Chambre de Conseil pour l'adresse de toutes nos causes, aux gages de huit sols par jour quand il sera present & nous servira en icelle notre Chambre; Maitre *Michel le Sauvaige*, notre procureur general, en & parmi nosdits pays de Hollande, Zeelande & Frise, aux gages de huit sols par jour; *Thierry de Zweten*, Garde de nos regitres & clerc de nos fiefs de Hollande, Zeelande & Frise, aux gages de six sols par jour; Maitres *Adam de Cleves*, *Thierry Poes* nos Secretaires signans, & Maitre *Jean de Ledye* * notre Receveur de nos Exploits & echoittes de notre avant dite Chambre, chacun d'eux aux gages de

* *Infra*: Lodyck.

(58) *devis*) Mot vieux & hors d'usage, qui signifie une declaration en detail. V. Dict. de Trevoux. Et lisez ici: *devis és ordonnances* &c.

de quatre ſols par jour, deſdits prix & monoye, quand ils ſeront preſents & Nous ſerviront en icelle notre Chambre, chacun de ſon etat & office, & autrement non; dont ledit Greffier tiendra le controlle & baillera ſa certificacion a chacun pareillement comme il eſt dit ci deſſus desdits huit Conſeillers. Nous avons commis & ordonné, commettons & ordonnons en outre *Guillaume Grain* & *Jehan de la Croix* nos huiſſiers d'icelle notre Chambre; & au regard du nombre des Meſſagers, Nous avons delaiſſé & delaiſſons la charge & commiſſion au dit Seigr. *de la Gruythuyſe* notre Lieutenant, pour y commetre tels & en tel nombre, par l'avis de nos dits Conſeillers de notre dite Chambre, que bon ſemblera; & ne prendront ne auront lesdits huiſſiers & meſſagers aucun gages de Nous, ni a notre charge, mais ſe contenteront de leurs journées & vacations, que par nosdits Lieutenant & Conſeil leur ſeront tauxées. Et en moderant & corigeant certaines ordonnances par Nous faites l'an cinquante neuf, incorporées eſdites ordonnances de notre dit Fils, faiſant mention & declaration des gages de nosdits Conſeillers, & autres officiers, au regard des voyages & vacations qu'ils feront au dehors de notre dite Chambre pour nos beſognes & affaires, leur avons tauxé & tauxons les gages qui s'enſuivent: c'eſt a ſcavoir, Nos Conſeillers qui ont xvj. ſols par jour, auront xxiiij. ſols par jour quand ils vaqueront pour nos beſognes & affaires en nosdits pays de Hollande, Zeelande & Friſe; & quand ils vaqueront dehors ledit pays, ils auront xxxij. ſols par jour. Ceux qui ont xiij. ſols par jour, auront vingt ſols dedans le pays, & xxvj. dehors le pays chacun jour. Ceux qui ont dix ſols par jour, auront xv. ſols dedans ledit pays, & dehors vingt ſols. Ceux qui ont huit ſols par jour, auront xij. ſols dedans le pays, & ſeize ſols dehors; & ſemblablement *Thierry de Zweten*, garde de nos regitres, Maitres *Adam de Cleves*, & *Thierry Poes*, nos Secretaires, & *Jehan de Lodyck* Receveur desdits Exploits de notre dite Chambre de Conſeil, auront chacun douze ſols par jour, quand ils vaqueront & beſoigneront pour Nous hors icelle notre Chambre dedans nos pays de Hollande, Zeelande & Friſe, & ſeize au dehors d'iceux

pays, tant pour leurs gages, que pour leurs battellaiges, charraiges & belle Chie. Tous leſquels nos Conſeillers & officiers deſſus nommés & chacun d'eux en ſon endroit, au regard de leurs etats & offices ſe regleront & conduiront par & ſelon lesdites ordonnances, & cette notre preſente moderation, & leurs avons donné & donnons, & a chacun d'eux en ſon degré, etat & qualité, pouvoir, autorité, & mandement eſpecial par ces dites preſentes, de bien, duement & loyaument exercer, porter & faire leursdits etats & offices, d'y garder nos droits, hauteurs, Seigneuries & Domaines, & faire par chacun ſingulierement & eſpecialement tout ce qu'a ſon Etat & a ſa vacation compete & apartient aux droits, honneurs, prerogatives, franchiſes & libertés acoutumez & qui y apartiennent tant qu'il Nous plaira: dont, tant nosdits Conſeillers, comme nos autres officiers deſſus declarés, feront & fera chacun en ſon endroit les ſerments acoutumés & requis, és mains dudit Seigneur *de la Gruythuyſe* notre Lieutenant, lequel avons commis a le recevoir d'eux, & commetons par ces preſentes. SI DONNONS en mandement a notre dit Lieutenant & a tous les nobles vaſſaulx, feodaulx & ſujets, & memement a nos Juſticiers & officiers de nosdits pays de Hollande, Zeelande & Friſe, que, lesdits ſerments ainſy faits par les ſusdits, delors en avant ils & chacun en ſon endroit, reçoivent tiennent & reputtent iceux Meſſre. *Guillaume D'alcmair*, *Gerard de Aſſendelf*, Maitres *Jehaen de Halwyn*, & *Jehan Petitpas*, *Loys du Cheſne* & *Jehan de la Bouvrie*, Licentié en loix, *Henry Janſſon de Wiſſenkercke*, & Maitre *Woutre Jans: de Ziericzée*, pour nos Conſeillers en notre dite Chambre du Conſeil a la Haye eſpecialement ordonnés auxdites affaires de nosdits pays; Maitre *Matthys de Grotbée* pour notre Avocat, Maitre *Michel le Sauvage* pour notre procureur, *Thierry de Sweeten* pour garde de nos Regitres & Clerc de nos fiefs, Maitre *Adam de Cleves* & *Thierry Poes* pour nos Secretaires ſignans, & Maitre *Jehan Lodyck* pour notre Receveur desdits Exploits & echoittes de notre dite Chambre a la Haye en Hollande, & *Guillaume Grain* & *Jehan de la Croix* pour nos Huyſſiers d'icelle notre Chambre de Conſeil, pour Nous y ſervir

ſervir par la maniere dite, leur entendent & obeiſſent, & faſſent obeir & entendre, & a chacun en ſon endroit en l'exercice de leursdits Etats & offices, en la maniere qu'il apartiendra, & au ſurplus d'iceux Etats & offices, enſemble des droits, honneurs, prerogatives, franchiſes & libertes y accoutumés comme dit eſt, les faſſent & ſouffrent & laiſſent pleinement & paiſiblement jouir & uſer, obeiſſant a nos ordonnances deſſus dites, ſans y faire venir au contraire en maniere quelconque, non obſtant quelconques retenues, commiſſions, lettres ou mandemens par Nous octroyés a qui que ce ſoit ſur aucuns desdits Etats & offices, a quelque couleur que ce ait êté ou puiſſe etre, car iceux avons caſſés & revoqués, caſſons & revoquons de certaine ſcience par ces meme preſentes, & Nous plait que ainſy ſoit fait. En temoin de ce Nous avons fait metre notre ſéel de ſecret a ces preſentes. Donné en notre ville de Bruges le xiiij. jour du mois de May l'an de grace mil quatre cent ſoixante trois. Ainſy ſigné par Monſeigneur le Duc, Evesque de Tournay (59) les Sires de Chimay (60) de Lannoy (61) de Montigny (62) & de Gaix (63) Chevaliers, Pierre Bladelin Maitre d'hotel (64) le Juſc de Beſanchon

(59) *Evesque de Tournay*) Guilielmus Fillatre, quem *Philippus* Dux invito Franciæ Rege *Carolo* VII. a *Pio* II. P. M. impetravit, & quem ad magna negotia adhibuit. V. Gall. Chriſt. tom. 3. col. 233.

(60) *Sire de Chimay*) Jean de Croy, Seigneur de Tour ſur Marne, & depuis premier Comte de Chimay, Chevalier de la toiſon d'or, mourut en 1472. V. Maurice N. XXII. fol. 24.

(61) *de Lannoy*) Baudoin de Lannoy dict le Beggue, Seigneur de Molembais & de Launaix, Chevalier de l'ordre, trespaſſa en 1474. V. Maurice N. XIX. fol. 21.

(62) *de Montigny*) Simon de Lalain, Seigneur de Hantes & Montigny, Chevalier de l'Ordre, mourut en 1476. V. Maurice N. XXVI. fol. 28.

(63) *de Gaix*) Non occurrit.

(64) *Pierre Bladelin Maitre d'Hotel*) Occurrit apud Oliv. Vredium in Sigill. Com. Fland. fol. 90. edit. Latinæ, ubi additur: *Seigneur de Middelbourg*.

chon (65) & Guillaume de Poupet, presens. Signé: *M. Steenberch.* (66)

Qui post hæc planè strictèque contendere, & quia *imo* poscere volet, ut hodierni Consilii Provincialis Hollandiæ Institutionis Epocha, non ab anno *millesimo quadringentesimo sexagesimo tertio*, quum è Camera Rationali Hagana eductum est, statuenda sit, sed ab anno *millesimo quadringentesimo vigesimo octavo*, cùm unis iisdemque tabulis (veluti olim in Flandria contigit) institutum est Corpus illud, quod *Cameram Consilii Hagani* appellatum fuisse, nos ipsi probatum dedimus, is non habebit me, cum indignationis incurrendæ periculò, contradictorem morosum: modò candide aperteque agnoscat, formam, quæ dat esse rei, a *Philippo Bono* inductam fuisse anno *millesimo quadringentesimo sexagesimo tertio*, quum hi Novemviri, Provincialis Consilii Senatores primùm renuntiati & constituti sunt pro Hollandia, Zelandia, ac Frisia, resciſſa per eumdem Principem unione, ex qua cum Consiliariis Rationariis unum idemque corpus effecerant.

Porro ad implendum argumentum hujus nostræ Dissertationis superſunt dicenda nonnulla de sorte Rationariorum Hollandiæ. *Philippus Bonus* post eductos an. 1463. e Camera Rationali Hagana Senatores illos Consilii Provincialis Hollandiæ, reliquos Consiliarios Rationarios univit Cameræ Rationali Brabantinæ, quæ Bruxellis sedet, attribuendo huic ita aucto Corpori Hollandiam, Zelandiam ac Frisiam. Decennio post, *Carolus Audax*, jam Dux Burgundiæ & Comes Hollandiæ, univit Cameras Brabantinam & Haganam * (jam connexas ac copulatas) primæ suæ ac vetustissimæ Cameræ Insulensi. Tribus his in unum Corpus compositis, dedit præsidem unum & novem Consiliarios ac Rationum Magistros, quibus subjecit curam Rationum publicarum omnium Provinciarum Belgii, cum collatione

* *Haganam* dico, non *Cameram Hollandiæ*. Ap-

(65) *le Jusc de Besanchon*) lege: *le Juge de Besançon*, uti apud Vredium loc. cit.

(66) *M. Steenberch.*) *Mr. Martin Steenbergh, fut Secretaire du Duc Philippe le Bon, signa en l'an* 1456. Butkens suppl. ad trophæ de Brab. tom. 1. pag. 192.

tione officiorum; ſedem illis aſſignans Mechliniam, in qua civitate hæ ita connexæ, &, ut ita dicam, combinatæ Cameræ ſederunt uſque ad menſem Martium anni 1476. quum *Maria* Burgundica *Caroli* filia & hæres, illas diſſociavit ac disjunxit, & antiquas ſedes repetere juſſit. Prima & præcipua pro Flandria, Arteſia, Hannonia, Namurco, Tornaco ac Mechlinia, rediit Inſulas: Secunda, pro Brabantia, Luxemburgo, Limburgo & tractu ultra Moſam, Bruxellas; Tertia pro Hollandia, Zelandia ac Friſia, Hagam.

pellationem enim ſuam a loco, non a Provincia, habuit, quod ſoli *Brabantinæ* convenit.

Illud dicam per tranſennam, quod ex prima illa unione Cameræ Haganæ cum Brabantina, & ex ſecunda trium Camerarum intra Civitatem Mechlinienſem, factum ſit, ut diplomata, quæ edimus, & ſignanter diploma *Philippi Boni* de 14. Maji 1463 inſtituentis Conſilium Provinciale Hollandiæ, expreſſis primorum Senatorum aliorumque officiatorum nominibus, ſalariis &c. apud nos, non vero apud Hollandos, inventa ſint.

Addo tria diplomata ex Camera Rationali Brabantina, de Unione ac diſſolutione Camerarum.

EXTRAIT *Du Regiſtre de la Chambre des Comptes a Bruxelles pour les affaires de Brabant. Commençant au mois de Mai l'an* 1467. *temps du Duc Charles N°. 4. ou ſe trouve* 163. *ce que s'enſuit.*

Pour l'entretenement de la Chambre des Comptes De par La Ducheſſe, & Marie de Bourgogne.

TRes Chers & bien amez. Vous ſavez aſſez la dure fortune, nagaires advenuë a Monſeigr. dont nous ſommes en ſi grand regret & deſplaiſance que plus ne pourrions comme raiſon eſt, & que bien être devons, Et combien que par pluſieurs nouvelles que avons de divers coſtez, nous

entendons & eſperons que graces a Dieu il eſt en vie de ſancté, & qu'il eſt plus apparant hors des mains de ſes ennemis en lieu ſeur que autrement. Dont nous rendons Loenges a Dieu, lui ſuppliant de tout nre cœur que ainſi puiſſe etre, Toutesfois pour & que a cauſe de l'incertaineté du lieu ou eſt ſa tresnoble perſonne, dont eſperons brief eſtre acerteûres aucuns murmures ſe pourroient enſuivre. Il nous a ſemblé eſtre neceſſaire d'entretenir tout le fait de la Juſtice entre les Pays & ſujets bien & doucement, & ainſi que l'on a accouſtumé de faire, que la Chambre des Comptes & toutes autres choſes chacun en ſa qualité, Et pour ce nous eſcripvons envers vous & vous prions & requerons que veulliez entendre & vacquer ſongneuſement chacun en ſon regard a l'entretenement delad. Chambre, & y faire les audicions des Comptes des Receveurs particuliers, & toutes autres choſes ainſi que avez fait juſques a ores, En quoy faiſant, nous ſommes certaines que Luy ferez tres grand ſervice, car le plus grand deſir qu'il a c'eſt d'entretenir le fait de ſadite Juſtice, ſadite Chambre des Comptes & autres Eſtats qu'elles ſont, en vigueur, A quoy auſſi de notre part nous tiendronts la main de notre pouvoir & en tous evenemens, ſi vous y veulliez employer, comme en vous avons la parfaite fiance, Tres Chers & bien amez nre Seigr. ſoit garde de vous, Eſcript a Gand le 15e. de Janvier.

Nous deſirons que vous Preſident des Comptes venez devers nous en ceſte ville de Gand, & que y ſoyez en dedans le dernier jour de ce mois, en delaiſſant les autres delade. Chambre beſoigner ſur le fait d'icelle juſques a votre retour. Ainſi ſigné. MARGARITE. MARIE. Et eſtoient lesd. lettres ſupſriptes ainſi qu'il s'enſuit : *A Noz Tres Chers & bien amez les Preſident & Gens des Comptes de Mon-Seigr. a Malines.*

De

De Par la Ducheſſe de Bourgne. de Brabt. de Limbe. de Luxembe. & de Guel-dre, Comteſſe de Flandres, d'Artois, de Bougne. de Hainau, de Hollande, de Zelande, de Namur & de Zutphen.

TRes Chers & bien amez. Pour aucune cauſes & Conſiderations a ce nous mouvans & par l'advis & deliberation des Chancelier & autres Gens du Grand Conſeil de feu notre Tres Cher Seigr. & Pere que Dieu abſoille, & des Deputez les Gens d'Egliſe, nobles & des quatre membres de notre Pays & Comté de Flandres, eſtans preſentement lez nous. Nous avons Conclu & deliberé, que par maniere de proviſion vous continuerez en l'exercice des Eſtats & offices deſquels par notred. feu Seigr. & Pere vous avez eſté pourveux, ainſi & par la forme & maniere que avez fait & accouſtume faire par ci devant du temps de mond. feu Seigr. & Pere, juſques a ce que en ce & autres noz affaires ayons plus amplement pourveu. Ce que vous ſignifions Tres Chers & bien amez, Et voulons & vous mandons que ainſi le faictes; Tres Chers & bien amez notre Seigneur ſoit garde de vous; Eſcript en notre ville de Gand le 28e. jour de Janvier l'an LXXVJ. Ainſi ſigné. MARIE, & du Secretaire Ratault, Et eſtoit la ſupcription desd. lettres telle que s'enſuit; *A nos amez & feaulx les Gens de noz Comptes a Malines.*

Commiſſie van de Camer van Reken. te Mechelen Inhoudende drie Leden te weten die van Brabant te Bruſſel, die van Ryſſele te Ryſſele, ende die van Hollandt ende Zelandt in den Hage, alſoo die te weſen plagen.

MARIE par la Grace de Dieu, Ducheſſe de Bourgne. de Lothier, de Brab., de Limbourg, de Luxembourg

& de Gueldres, Comteſſe de Flandres, d'Artois, de Bourgne. Palatine de Hainaut, de Hollande, de Zelande, de Namur & de Zutphen, Marquiſe de St. Empire, Dame de Friſe, de Salins & de Malines. A noz amez & feaulx les Gens de noz Comptes a Malines Salut & dilection. Comme paſſé a trois ans ou environ, il euſt pleu a feu nre Tres Cher Seigr. & Pere que Dieu abſoille, unier & joindre enſemble les trois Chambres des Comptes de ſes Pays de par deça, aſſavoir de Lille, de Bruxelles & de Hollande, & icelle mettre & Inſtituer en une ſeule Chambre en notre ville de Malines, ou pendant & durant lesdits trois ans & juſques a preſent elle ait eſté & reſidé, comme encore fait, Et il ſoit ainſi que puis nagaires pour aucunes conſiderations raiſonnables a ce nous mouvans, nous avons ordonné voulu & declaré par noz autres lettres Patentes, que pour le temps advenir lade. Chambre des Comptes ſera remiſe & ſeparé en trois, comme autrefois ont eſté. Aſſavoir celle de noz Pays de Flandres, Artois & Hainau en notre ville de Lille: celle de noz Duché de Brabant, & Luxembourg en notre ville de Bruxelles, & celle de noz Pays de Hollande, Zelande & Friſe, en notre ville de la Haye en notre Pays de Hollande, Savoir vous faiſons que nous voulans & deſirans notrede. ordonnance, volonté & declaration quant aux Chambres deſſus. etre executée, vous mandons & enjoignons expreſſement que vous & chacun de vous par nous ordonnez & inſtituez eſdites Chambres ſelon les inſtitutions nouvelles, qui ſur ce ſeront faites & tous les ſuppoſtz d'icelles y denommez, vous transportez, aſſavoir vous les Gens de noz Comptes ordonnez pour notre Chambre des Comptes de Flandres & autres Pays y reſortiſſans en notre dite ville de Lille; vous les gens denosd. Comptes ordonnés pour nos Pays de Brabant & autres y reſortiſſans, en notre ville de Bruxelles, & vous pareillem. les Gens denozd. Comptes eſleu pour noz Pays de Hollande, Zeelande & Friſe en notre ville de la Haye audit Pays de Hollande. Pour illec pour vous & chacun de vous en droit ſoy exercer & deſervir ſon eſtat & office, beſoigner a l'audience des Comptes,

Comptes des officiers de Justice & de Recepte illeq, & faire au surplus ainsi & par la maniere que l'on souloit faire par ci devant avant qu'elles fussent unies ensemble en notred^e. ville de Malines; vous accordant par ces presentes que pour cette année commencée au noël derrein passé, & qui finira au noël mil quatre cent lxxvj, vous jouissiez de telz & semblables gaiges que avez euz & prins denotred. feu Seig^r. & Pere pour le temps que avez fait residence en notre dite ville de Malines enled. an passé. Nous ordonnons & voulons desiorsenavant vosd. gaiges etre telz & semblables & non plus grans a notre charge que ils souloient être, & que vous & voz predecesseurs les prenoient a ceste cause d'icellui feu notre Seigneur & Pere au jour delad^e. union faite en notredite ville de Malines, Et aux autres droitz & emolumens quelzconques y appartenans. Car ainsi nous plaist il etre fait. Donné en notre ville de Gand le xvij^e. jour de Mars l'an de Grace mil quatre cens soixante seize. Ainsi signé par Madamoiselle la Ducheſſe & de J. de Beere.

Camera Insulensis anno 1665. uti supra adnotavimus, Brugas translata, anno tandem 1682. Bruxellas evocata est. Anno 1702. die 2 Junii, Cameræ Brabantiæ unita, anno 1706. ab ea dissociata, postremò die 16. Octobris 1735. per gloriosæ memoriæ *Carolum VI.* Imp. jam tertium eidem Cameræ Brabantinæ unita est, unumque ambæ corpus constituunt.

Porro ipsa Camera Rationalis Brabantina instituta fuit per *Antonium* Ducem Burgundiæ, Comitem Rhetelii &c. die 1. Julii 1404.

Dicendum foret de reliquis Tribunalibus Justitiæ per Duces Burgundiæ in Belgio erectis; verùm de Parlamento, seu Magno Consilio, quod Mechliniæ sedet, nihil controvertitur. *Carolus Audax* illud Mechliniæ sedere fecit per litteras patentes datas Theodonis-villæ mense Decembri 1473. & per aliud diploma designavit Senatores qui illud componerent, constituerentque, prout postea statuit Archidux *Philippus* sabbatho die 27. Januarii 1503.

De Conſilio Supremo Brabantiæ lis eſt, aliis ejus erectionem tribuentibus *Philippo Bono* ad an. 1427. aliis contendentibus illud idem eſſe quod vetuſtum Conſilium Cortenbergenſe. Non eſt quod hîc pronuntiem, dum pro ſtatuenda Epocha Inſtitutionis Conſilii Provincialis Hollandiæ noſter unicè ſuſceptus eſt labor.

FINIS.

ERRATA

TOM. II. PART. I.

Pag. 48. lin. 8. a fin. *Chriſtophoro.* Adde: *Madrutio.*
— 59. — ult. *typrog. l. typogr.*
— 60. — penult. Ex Ænipon. *l.* Ex Æniponte.
— 67. — 8. a fine. notum. *l.* noto.
— 98. — 3. eminentiæ. *l.* eminentis.
— 108. — 8. a fine. qui. *l.* quæ.
— 115. — antepenult. miſſius. *l.* miſſus.
— 117. — 8. Volunt. *l.* Nolunt.
— 151. — 4. a fine. *en. l. in.*
— 182. — 6. a fine. me. *deleatur.*
— 193. — 10. a fine. novum opus, novum prematur in annum. *lege:* nonum prematur in annum.
— 225. — 3. diſtribuerat. *l.* diſtribueret.
ibid. — 24. Etſi. *l.* Et ſi.
— 226. — 5. a fin. Cæſar Hiſpaniam. *l.* in Hiſpaniam.
— 231. — 11. a fin. molire *l.* moliri.
— 278. — 12. inverecundæ. *l.* verecundæ.
ibid. — 23. litteras. *l.* litteris.
— 297. — 17. mojorem. *l.* majorem.
— 301. — 13. a fin. facile. *l.* facite.
— 328. — 4. a fin. 1534. *l.* 1544.
— 335. — 11. *Colirius. l. Colinus.*
— 340. — penult. Domini eam. *l.* Dominicam.
— 348. — 7. a fine. Gugernatrici. *l.* Gubernatrici.
— 364. — 13. a fin. hac. *l.* hæc.
— 365. — 18. a fin. ſecclaribus. *l.* ſecularibus.
ibid. — 8. a fin. *Gaugcrici. l. Gaugerici.*
ibid. — 7. a fin. tranſulerunt. *l.* tranſtulerunt.
— 380. — 17. a fin. utque. *l.* uſque.
— 198. — penult. præpoſtitura. *l.* præpoſitura.
— 402. — 10. lectum. *l.* lætum.
— 411. — 21. præferire. *l.* præterire.



SEP 15 1943